Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Kirchmann

Johan: Kirchmanni Lubecensis De Funeribus Romanorum : Libri Quatuor Cum Appendice

Editio Correctior, Lubecae: Janovius, 1637

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767782267

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767782267/phys_0001
DFG

S. c. 3220.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767782267/phys_0002
DFG

Contenta.

1. Kirchmann de funeribus Romanorum.
2. Rigaltii Funus Parasiticum.
3. Laurembergii Castrum doloris.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767782267/phys_0003
DFG

Johan. Kirchmann ein gelehrter Mann, geboren zu Lübeck 1575 d. 18 Jan. studirte zu Franckfurt an der Oder, Jena und Straßburg, besahe auch fremde Länder, wurde darauf zum Professore Poeseos in Rostock und endlich zum Rectore in Lübeck beruffen. Er schrieb de funeribus Romanorum; de annulis; rudimenta Logicæ &c. und starb 1643. d. 20 Mertz. In Schelhorns amoenitatibus literariis stehen etliche von seinen bisher ungedruckten Briefen. Ein päpstlicher Legat, Legat welcher durch Lübeck reisete, besuchte ihn unvermuthet, und redete ihn mit einer wohlgesetzten Rede an, darüber er schrack Kirchmann so heftig, daß er gantz confus wurde, und ihm fast kein Wort antworten konte. Hierauf nahm der Nuncius bald Abschied: und obgleich Kirchmann den andern Tag ihm aufwarten, und seinen Fehler verbessern wolte, bekam er doch keine Audientz. Pope Blount censura celebr. autor. Acta erud. lat. Witte memoriæ theologor. Hanckius de scriptorib. rerum romanar. Bayle Dictionaire histor. et critique.

Nicol. Rigaltius ein Jurist, Philologus und Poet, von Paris, königlicher Bibliothecarius und Parlaments-Rath zu Metz, war in den Sprachen, sonderlich in der griechischen, wohl versirt, schrieb Glossarium τακτικὸν μιξοβάρβαρον; das Leben Petri Puteani seines guten Freundes, gab auch Cypriani und Tertulliani Werke mit Anmerkungen; ingleichen Phædrum, Artemidorum und Julianum nebst den Schriften de re agraria heraus, und starb in hohem Alter 1653. H. P.B. Perault les homes ill.

JOHAN. KIRCHMANNI
Lubecensis
DE
FUNERIBUS
ROMANORVM
Libri Quatuor
Cum
APPENDICE.
Accessit &
FUNUS PARASITICUM
NICOLAI RIGALTII.
Editio Correctior.

LUBECÆ,
Sumptibus MARTINI JANOVII
ANNO M. DC. XXXVII.

LXVII a.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767782267/phys_0007
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Gedanensis

MAGNIFICIS, NOBILIBUS,
ET AMPLISSIMIS VIRIS,

D. ALEXANDRO LUNEBURGIO.

D. LAURENTIO MOLLERO, J. U. D.

D. JOHANNI FINHAGIO.

D. HENRICO COLERO.

Consulibus,

D. HIERONYMO SCHABBELIO, J. U. D.

D. OTHONI TANCKIO, J. U. D.

Syndicis,

D. JOACHIMO WIBBEKINGIO.

D. THOMÆ A WICKEDEN.

D. HIERONYMO LUNEBURGIO.

D. HENRICO BROMSIO.

D. GEORGIO PAWLS.

D. PAULO KIRCHRINGIO.
D. ALEXANDRO LUNEBURGIO.
D. BERNHARDO WEDEMHOFIO.
D. HARTWICO A STITEN.
D. THOMÆ STORNINGIO.
D. ADRIANO MOLLERO.
D. JOHANNI PETERSEN.
D. GEORGIO A LENGERKEN.
D. FRANCISCO PRUNSTERO.

Senatoribus

REIPUB. LUBECENSIS

Dominis & Amicis Suis
honorandis
S.P.D.

MAGNI-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767782267/phys_0010
DFG

MAGNIFICI, NOBILES,
ET AMPLISSIMI VIRI.

NUnquam putavi fore, cum librum hunc ante viginti, & quod excurrit, annos publici juris facerem, ut illi denuo excudendo fecundas curas adhibiturus essem. Neq; enim verosimile mihi videbatur, quosdam inventum iri, qui Mor-

tualibus hisce mercandis pecuniam impendere, aut iis legendis aliquid succisivi temporis impertiri vellent. Et post illud tēpus, ea negotiorū moles me invasit, ut iis recensendis & sub incude revocandis minus otii mihi fuerit, quàm quod auribꝰ scalpendis tribui solet. Sed tamen cum præ-

ter

ter opinionem meam
acciderit, ut libro hoc
per literatum orbē di-
stracto, ab aliquot jam
annis exemplaria in Bi.
bliopolarum officinis
apparere desierint, gra
tificandum amicis cē-
sui, qui se hujus legendi
desiderio teneri nō ob.
scurè mihi ostenderūt.
Quâ in re cum non dif-
ficilē se mihi Typogra-

phus præberet, ſummâ ope annixus ſum, ut nō ſolùm quantum maximè fieri poſſet, priore editione melior & emendatior prodiret, ſed & auctario quodam locupletatus. Nam & mantiſſæ vicem capita quædam adjeci ab hoc argumẽto non aliena; & ut totam funebrem pompam

pam paucis pagellis Lectori repræsentarē, visum mihi fuit illis addere CL. V. Nicolai Rigaltij *Funus Parasiticum*, cujus exemplar vir amicissimus, tanquam monumentum & pignus amoris, mihi Lutetia discedenti donabat. Cui autem hunc librum offerrem, non diu mihi deliberandū

fuit, nisi voluissem illud genus hominum imitari, qui mera accedia ægri procul investigant ea, quæ domi habent præsto. Vobis semel hic liber dedicatus fuit, vel potius antecessoribus vestris. Nam ex iis, qui tum temporis ad Reipub. hujus gubernacula sedebant, cum liber hic pri-

primùm vulgaretur, vostres hodiè tantum superstites estis, atque utinam diu sitis! tu Magnifice D. ALEXANDER LUNEBURGI inclytæ hujus Reipub. Princeps, Patriæq; Pater laudatissime & tecum duo illustria Curiæ lumina D. JOACHIMUS WIBBEKINGIUS octogenario jam major

jor & THOMAS à WICKEDEN, auctoritate & prudentia graviſsimi Senatores: ceteros fati iniquitas abſtulit, ex quibus tamen honoris cauſa nomino egregium illud Conſulum par & veteribus comparandum, D. JACOBUM BORDINGUM & D. HENRICUM BROKESIUM, quorum

rum virtutes & præ-
clara in hanc Rempub.
merita nulla unquam
ætas obliterabit. His i-
gitur & Anteceſſoribus
veſtris cum hunc li-
brum olim inſcripſe-
rim & quidem eo tem-
pore, cum vixdum
in Ampliſsimum ordi-
nem Profeſſorum A-
cademiæ Roſtochien-
ſis allectus de transfe-
rendo

rendo huc domicilio
ne per ſomnium qui-
dem cogitarem, flagi-
tium certè me admiſ-
ſurum putavi, ſi nunc
alios illi patronos cir-
cumſpicerem, poſtquā
duodecimum jam an-
num in hac Urbe ago
& docendæ & regen-
dæ juventuti litera-
rum ſtudiis operatæ,
honeſta conditione à
Vobis

Vobis præfectus & benignè habitus. Quapropter quem librum Vobis quasi infantem & recens in lucem editum anno ab hinc vigesimo suscipiendum detuli, eundem nunc pueritiæ annos egressum & nisi animi fallor, doctissimis quibusque hujus seculi viris non improbatum, denuo

sisto

sisto & quæ antiqua
Votorum formula est
LUBENS MERITO-
QUE DONO DICO-
QUE. Tibi quoque
Amplissime D. HEN-
RICE COLERE i-
stam Consulatus di-
gnitatem, in qua te
nuper præclara tua
Virtus & accurata non
Juris solùm publici pri-
vatique, sed & omnis
hone-

honestæ disciplinæ variarumque linguarum cognitio collocavit, per hanc occasionem gratulor, Deumque rogo, ut eam gloriæ suæ administram, & tibi Reique publicæ jubeat esse salutarem. Valete, *Magnifici*, *Nobiles* & *Amplissimi Domini*, & librum hunc, in cujus

vestibulo clarissima nomina vestra præscripta cernitis, tanquam tesseram meæ erga Vos observantiæ, æquis animis accipite, meque porrò Vobis commendatum habete. Dabam LUBECÆ Natali meo quinquagesimo, qui erat XV. Kalendarum Februarij anni

ni post Christum natum clɔ Iɔ cXXV.

Amplissimæ Dignitatis
Vestræ

Studiosissimus

JOHANNES KIRCHMANNUS.



PRÆFATIO

Magnificis Nobilibus & Amplissimis

CONSULIBUS AC SENATORIBUS URBIS LUBECÆ

Dominis suis honorandis

L. M. D. D.

JOHAN. KIRCHMANNVS

ROMANÆ antiquitatis atque adeo ipsius Græcæ, ex qua illa maximam partem videtur derivata, quantus sit fructus, quantaque utilitas, non ignorare possunt ii, qui modò cum Musis, id est, cum humanitate & doctrina habeant aliquod commercium. Nam ut mittam, quod proprium huic scientiæ & insitum est, facem præferre veterum scriptis, unde non solùm utriusque linguæ copiam, sed & omnem civilem prudentiam hauriunt melioris literaturæ candidati: hoc quanti existimandum est, quod frustra quis in superiorum disciplinarum aliqua excellere se posse speret, qui antiquitatis præsidio sit destitutus? De Jurisprudentia

dentia extra omnem controversiam est, eam & ornamentum & adjumentum & lumen sumere à ritibus priscis : An verò horum cognitio etiam Theologo necessaria sit, video nonnullos dubitare ; sed, quod verè dixerim, sine causa. Nam etsi quidem in eo accuratam antiquitatis peritiam requiri non affirmo : permulta tamen in sacris literis esse, quorum seria ac penitior intelligentia à ceremoniis ac moribus antiquis dependeat, tam certum est, quàm nivem algere. Nihil jam dico de illis majorum gentium S. Patribus, quos constat crebro ad sui seculi ritus olim desitos allusisse, & plurima ex remotissima antiquitate descripsisse, quæ ad evellendam ex animis hominum impiam superstitionem ac cultum veræ religionis inducendum facerent. Qui verò sacra illa monumenta non à limine, quod dicitur, ac vestibulo salutare, sed in eorum adyta longè sese penetrare cupit sacrarum literarum studiosus, eum certè oportet animum afferre non vulgari antiquitatis notitia præparatum, nisi unâ & eadem opera velit, ut Plautus ait,

——— *piscari in aëre*
Venari autem rete jaculo in medio mari.

Hæc ita se habere, res clamat ipsa. Quo magis mirum est, reperiri nonnullos adeo insulsos & ridiculos, ut hoc studii genus non modò non laudare, sed & vitilitigare soleant idque juventuti de manibus excutere omnibus machinis omnique contentione conentur, dummodò patrocinium aliquod ignorantiæ suæ prætendant. Est enim ita ferè comparatum, ut qui se solos sapere existimant & aliis omnibus aditum ad doctrinæ laudem obstructum cupiunt, simul atq; posito cum conscientia sua calculo, relictos se in eruditionis stadio animadvertunt ab iis, qui per latissimos humaniorum literarum campos inoffenso pede ad candidam calcem cucurrerunt, protinus invidiam concipiant & tanquam inutilia & non magni momenti reprehendere sustineant, quæ ipsi vel ob ingenii tarditatem consequi non potuerunt, vel præ opum honorumque studio neglexerunt. Sed horum sermones ego semper præterfluere sivi, nec unquam adduci hactenus potui, ut ita me severiori disciplinæ addixerim, ut

non

non respectum semper habuerim ad hæc antiquitatis studia & reliquas, quæ humanitatis nomine censentur artes: sine quibus neminem posse videbam ad sublime eruditionis fastigium pervenire. Hoc autem institutum dum plusculos annos teneo, & in copulanda cum elegantioribus Musis sacra Theologia diutius me occupo, animum tandem adjeci periculum facere, ecquid tantum literarii thesauri assidua lectione à me comportatum esset, quo publicam rem juvare & aliquam gratiam à studiosa juventute inire possem. Excutienti igitur mihi diligentiùs Adversaria nostra, & ex varia materiarum, quas undiquaque congesseram, silva seligenti unam, in qua ingenium meum experirer, forte fortuna occurrit farrago quædam de Funeribus Romanorum, quam penè puer ex veterum scriptis in proprios usus sine ullo ordine consarcinaram. Aurem quidem mihi vellebat hortabaturque veterum consuetudo, Censores priscos imitarer, & ut illi in lustro condendo aut vectigalibus locandis fausti ominis gratia à bono nomine solebant auspicari; sic ego ex lætiore aliqua materia fa-

mæ nascentis primordia peterem. Sed cum & ista olim fuisse recordarer, quando gentilis superstitio latissimè regnabat: & argumentum hoc à nemine hactenus ita pertractatum esse intelligerem, ut quidem res ipsa postulabat, non autem indignum mihi videretur, cui & manum & mentem seriò quis admoveret; cœpi id extemplo sub incudem revocare, in capita disponere, locupletare & nihil denique intermittere omnium, quæ ad colligendas hasce infimæ vetustatis reliquias nimium quantum diffectas dispersasq; pertinere videbátur. Interea accidit, ut in terram Galliam Italasq; oras iter mihi occipiendum esset: ubi cum nonnullis viris doctis, quibus utraque hæc regio, etsi olim quidem magis abundavit, etiam nunc ad invidiam cæteræ Europæ instructa est, hanc operam nostram ostenderem, illique eam non inanem aut supervacuam nobis sumptam judicarent, hortarenturque ne diutiùs intra privatos parietes continerem: facere tandem non potui, quin iam feliciter absoluta ferè triennali nostra peregrinatione hæc, cuicuimodi sint, in luce publica repræsentarem, partim

tim expungendi nominis mei gratia apud eos, quibus id jam pridem promisissem: partim verò ne viderer tantorum hominum autoritatem, quæ mihi rationis instar esse poterat, superciliosè spreviſſe. Cur autè Vobis potissimùm, Viri Magnifici Nobiles & Amplissimi, has studiorum meorum primitias oblatum ire, & futuræ famæ velut vadum sub vestri nominis auspicio tentare, vel ut propriè loquar, percontari mihi visum, in promptu sunt causæ & multæ satis & graves. Nam præterquam quod fas esse existimavi, ut Vobis otii illius literarii, quo complures jam annos perfruor, rationem aliquando, tanquam Reipub. vestræ civis, redderem: volui etiam hac nuncupatione omnem ingrati animi notam à me amoliri, & meam erga Vos devotionem ac pietatem publicè testari. Denique verò lucem quoq; aliquam huic libello fœnerari conatus sum á claritate & luce vestra: qui ad clavum sedetis ejus Reipublicæ, cujus vix natæ & in libertatem assertæ tantus repentè splendor effulsit, ut non solùm Germaniæ universitas eam ex Liberarum civitatum omni numero dignam judicarit, quæ

inclitam illam Urbium eximiarum, quæ columnis hujus præpotentis imperii accenſetur, quadrigam conſtitueret: Verùm etiam ipſæ fœderatæ civitates omnes tam Anſaticæ quàm Vandalicæ quæ appellantur, faſces ſuos illi ſubmiſerint, & velut Reginam aliquam ſint amplexæ. Atque hanc dignitatem majores veſtri jam ab annis circiter quadringentis tam fortiter & ſtrenuè defenderunt ac tutati ſunt, ut cum potentiſſimis regibus interdum armis experiri & opes, fortunas, ſanguinem, vitam denique profundere maluerint, dummodò ne commiſſa ſibi Reſpubl. quid detrimenti caperet. Quo etiam factum, ut patria noſtra paulatim adid culmen aſcenderit, ut hodieq; (abſit faſcinum) in primariarum Europæ urbium luſtro cenſeri mereatur: imo verò cum multis de principatu contendere auſit, ſive ædificiorum incredibilem & ad cœlum exaggeratam altitudinem, ſive viarum ſymmetriam, ſive onerariarum navium, quarum magnitudo in exteris quoq; nationibus prædicari ſolet, infinitam copiam ſpectare quis velit: nam de Legibus taceo, quas ſapientiſſimè æquiſſimèque

mèque descriptas esse nullum dubium est, cum pleræque omnes ad Balthicum hunc Oceanum Resp. non solùm iis tanquam norma & regula utantur; sed etiam ad vestrum judicium non raro provocare soleant & civium suorum lites ac controversias tam à Vobis decidi malint, quàm à Principibus, quibus sunt subjectæ. Sed quo me ducit jucunda Patriæ commemoratio? cujus laudes ne culpa ingenii deterere videar, finem faciam, si prius Vos, Magnifici Nobiles & Amplissimi viri, etiam atq; etiam rogavero, ut hoc, quicquid est, libelli ingratum vobis accidere ne patiamini, meque adversus malevolos veteratores, quorum nimis quàm ferax hoc seculum, autoritate & patrocinio vestro tuendum defendendumque suscipiatis. Valete. Rostochii, Idibus Augusti, Anno cIↃ. IↃ. cIIII.

HIE-

HIERONYMUS MERCURIALIS JOHANNI KIRCHMANNO de Funeribus Romanorum scribenti:

CUM viderim cogitationes tuas de ritu sepeliendorum cadaverum Romanorum, easq; dignissimas judicem, ut à cunctis legantur, ne differas in ipsis edendis etiam atque etiam te hortor: præterquam enim quod omnes eruditos juvabis, tibi quoque æternum nomen comparabis. Vale. Pisis die 21. Januarii, Anno 1602.

RADULPHUS FORNERIUS GUL. F. Antecessor Aurelius.

FVnera dum scribis veterum, Kirchmanne, Quiritum,
Luce beans ritus tam longa nocte sepultos,
Hac te funeribus subducunt funera, jamq;
Conciliant nullo perituram tempore famam.

Lusit ex tempore Aureliis 9. Cal. Febr. An. 1601.

RÆ-

RÆMVNDVS MASSACVS D.

FUnera quæ multis urnas tumulosq; dedêre
Illa tibi interitum, subripientq; necem.
Nam de Funeribus semper tua scripta manebunt:
Hinc de funeribus funera nulla tibi.

Aurelijs Idib. Ianuar. Ann.
1601.

GEORGIUS REMUS JC. JUDICII Norici Assessor.

EXpers funeris obtigisse nomen
Piscis Romulidis fatemur omnes:
Hos dum tu modò, Jane perpolite,
Laudas à pietate, quam supremam
Functûm corporibus dedêre, suaves
Queis clausere oculos, rogoq; lota
Ritè composuêre; concinente
Buxo funereâq; tibiâq;:
Permixtis & odoribus, beatûm
Allatis procul Insulis & Indis

Excus-

Excussere; pium hoc boni putabant:
Urnis cum cinerem ossuariisq;
Tandem reppoſuêre, quos quieti
Æternæ voluêre conſecratos.
Hos dum multiplices ſacrosq; ritus
Nunc charta exigis eruditiore,
(Quod nemo hactenus evplicavit) arte,
Magno judicio, labore multo,
Tibi ex Funeribus tuis videmus
Expers funeris obtigiſſe nomen.

Norimbergæ, menſe Auguſto
An. 1602.

CVNRADVS RITTERSHVSIVS
J. C. & Anteceſſor Noricus.

FUnereos ritus, priſca & ſolemnia mortis
Dum tu vivaci condis, Kirchmanne, papyro,
Et veterum illuſtras nitida face nubila ſcripta,
Ipſa tibi æternam reparabunt Funera vitam:
Effugiensq; rogos ardentes inclyta Fama
In Sophiæ regno plaudet fulgentibus alis.

Altorphij menſe Septembr.
An. 1602.

JA-

JANUS GRUTERUS JC.

CVm tibi pompa sepulchralis, Kirchmanne, decenter
A capite ad calcem sit celebrata libro,
Quem Musa lustrare oculis, quem Gratia posset,
Nec Genius fugiat parte fovere sinus:
Haud trutinâ Libitina tuum pensaverit æqua
Officium, ipsa tibi ni velit esse cliens:
Et sic te chartasq; tuas defendere, contra
Morborumq; dolos, mortiferumq; nefas.
Vt quoq; cum tenuem fuerit mutatus in umbram,
Vsq; tuis chartis vita sit usq; tibi.

Heidelbergæ x v. Martii
An. 1604.

BALTHASAR CAMINÆVS D.

FUneribus lucem Romanis Teuto novellam
Vis inferre, situm & demere codicibus.
Sic est: hunc geminum sed dum te ferre laborem
Censes, bis gemino fungeris egregie.
Namque simul temet bene clara in luce reponis,
Expers & nomen funeris esse facis:
Et studiis juvenum quoque consulis, ut tibi nemo
Non cupide clarùm plaudat utraque manu.
Perge ita: sic levius GULIELMI patria fatum
Sufferet, & JANUS tu Charisi alteris.

Francofurti ad Oderam fl. An.
cIↃ. IↃ cIV. IX.
Augusti.

DA-

DAVID HOESCHELIUS.

Τȣ̃ κρύψαι γαίῃ σὺν νεκρȣ̀ς, εἰδέν' ἐρῶν τις,
ἦν ἂν Ῥωμαίοις τοῖς πάλαι ὅσα γένη;
Τὴν δε λαβὼν δέλτον Ναομάννȣ, κάρτα μαθεῖται:
κείνȣς τȣ̃ θάπτειν ὅς σάφα γράψε τρόπȣς,

Augustæ Vindelicorum IX. Kal. Junij
Anno 1602.

M. MICHAEL PICCARTVS Francus, Professor Noricus.

SI qua fides Veterum scriptis, KIRCHMANNE, Syrorum
Funere mersa suo sese ipsa reseminat ales,
Et vitam de morte trahit: Tu rectius illa
De virtute tua atq; aliorum Funere vitam
Cum Fama ducis, divinamq́; ingenii vim
In succum vertens, omni sine parte pericli,
Quacunq; Aonides & earum præses Apollo
Cum sacra Charitum triga fixere Tropæum
Extendis, Kirchmanne, tuæ pomæria laudis.

Altorphij Anno DoMInICo mense Octobr.

AR-

ARNOLDUS CLAPMARIUS
Professor Noricus.

KIrchmanne, rei lux magna literariæ
Men' obsecras præconium libri tui
Pleni ingenij & reconditæ pleni notæ?
Funesta res & ominosa pernegat.
An tu putas Apollini & DIs ceteris
Negotium esse cum sepulchretis tuis?
Fremit Camœna, insurgit Æsculapius
Infensus hostis atq; prædo funerum,
Mihiq; dum tot cerno busta, tot rogos
Et tot recordor scæva mortualia,
Sensim cadentes frigus artus occupat.
Adeone cordi sunt tibi ista Funera?
Quid? Morta si annis post tibi labentibus
Manum inferat, lugubre quis carmen canet?
Nam tu labore macte funebri tuo
Omnem supra nunc te erigis panegyrin.
Cur ergo me præconium tui obsecras?
Quo Præficæ, quo funerum tibicines
Dignas negant se posse canere nænias.
Non ille, cujus os Venus saliverat

Melle atq; cœlesti sale, atq; sesamo
Gulielmus, heu immite raptus funere, &
Famosa factus mortis atræ infamia,
Si vivat, atq; utinam ille vivat! hoc queat,
Non ipsa par erit Lubeca luctui
Saxonicarum gloria & caput rerum.

Altorfij Noricorum
An. 1602.

CL. Viro

Dn. JOHANNI KIRCHMANNO

Poëseos & humaniorum literarum in inclyta Rostochiensi Academia Professori quondam Publico, nunc Scholæ patriæ in Imperiali et libera Repub. Lubecensi Rectori dignissimo suum *de Romanorum Funeribus* librum iterum publicanti.

CVm tot sustineas patrij tanto; q; labores
Gymnasii Kirchmanne, decus præclustre Lubecæ
Præsidiumq; Urbis, sub quo tolerare magistro
Discendi grave gaudet onus formanda Juventus,
Ingenium mirata fidemq; docentis & artem.

Id ta-

Id tamen impensè navus, præstantibus ausis
Dissimilem ne te lux arguat ulla, laboras.
Vidimus, ut nuper jucunda lucis in auras
Aureus, atq; adamante nitens, rutiloq; Pyropo
Prodierit partus, nulli parcente labori
Te duce cum scitum est, ut fulvi circulus auri
Ambierit digitos meritis & honore potentum,
Moribus antiquis cum res Romana Virisq;
Staret adhuc: nunc actorum meminisse laborum
Te juvat, atq; operi supremam imponere Curam
Funereo, à multis retrò labentibus annis
Cujus primitias & libamenta dedisti,
Cum terras alio lustrares sole calentes,
Et Campos ubi Roma fuit, tumulosq; Latinos,
Plurimus ingenii sublimis spiritus in queis
Errat adhuc, pulchrisq; anima exhalata sub orsis.
Perge adeo patriam factis insignibus urbem
Illustrare, quod est nati ad sublimia Civis,
Tuq; tuâ patriâ, te rursus & illa fruatur,
Non speciem rerum sectari nata vel umbram,
Nec verum ficto decus in splendore reponens,
Sed solida bonitatis amans, dulciq; parata,

Si sit opus, Vitam pro libertate pacisci.
Hinc meritus tibi surget honos, tibi Funera famam
Perpetuam, pulchramq; dabunt post funera Vitam.

HENRICUS VAGETIUS Hamburgensis
F. Lunæburgi Anno 1625.
Mense Januario.

JUDICIA CLARORUM VIRORUM.

JOHANNES MATTHÆUS VVACKHER à VVackenfels S. C. Majestati à Consiliis Imperialibus aulicis.

KHδεύτικὰ tua statim legi, ut ex proximis nundinis huc allata fuerunt. Et legi verò & probavi inventionem, judicium, stilum. &c. Pragæ 21. Martij Anno 1605.

ISAACIUS CASAUBONUS.

DE Mortualibus tuis quid sentiam, dicerem nisi effecisses, ne liberum mihi esset

esset de ec pronunciare. Non enim possum eum librum non ferre in cœlum laudibus, quo libro meæ laudes & quidem immeritæ tot locis attinguntur. &c. *Bretoneriæ septimo ab Urbe lapide, huc enim migrare nos coëgit grassans per Urbem pestilentia. IV. Kal. Sept. Anno 1606.*

DANIEL HEINSIUS

SCaligero nostro quantum placuerit opus tuum non facilè dixerim. Laudat enim κατὰ τὸ ἀφέλειαν in scribendo, κατὰ τὸ ἀκριβειαν in persequendis singulis, quibus nullum volumen par futurum putabamus omnes. Macte ingenio, macte hoc judicio! &c. Lugduni Batavor. v. Novemb. cIↃ.IↃcv.

JOHANNES VVCVVERIUS

Centur. I. Epist. 54.

FUneralia tua vidi vel potius basio excepi. Nihil dabo auribus, verè me cepit simplex & inornata Venus & ratio differendi inaffectata. Sæpius in hac scena siparium expande: juvabit te clamor, sed in equestri-

bus concitatus. &c. Ex arce Wandesbeck Non. Februarij cIↃ. IↃcv.

JULIUS CÆSAR CAPACIUS Neapolitanæ Urbi à Secretis Libro Secundo Elogiorum.

NVlla de re differentes doctos viros libentiùs audivi, quàm de Gentium funeribus; nihil enim in tota Antiquitate curiosius existimavi. De Humatione multa ignorabam. De Combustione in varias ferebar opiniones. Verebar ut à Græcis uterq; mos defluxerit, vel à trium Philosophorum dogmatibus. Nam Heraclitus Combustionem proposuit, quòd omnia ex igne constare dicebat; Thales humationem, ut corpora humore resolverentur, ex quo omnia procreari arbitrabatur, & Democritus in melle servãda affirmabat, quæ sic revivisçere pollicebatur. Ignorabam an Romani ex Græcis exemplum sumpserint; nec constabat quo pacto in rogum

rogum cadaver cum lecto collocatum comburebatur, quo pacto legerentur ossa, servarentur cineres; nescio quid de lino Asbestino, vel Indico in mentem venerat, quo comburi corpora pleriq; tàm verè affirmabant, ut vel etiam credidissent navibus onerarijs opus fuisse, ut comportaretur ad tot corpora comburenda, multaq; alia ad quæ ediscenda multorum annorum usuram contulissem. Cum ecce tibi eruditum opus, à JOHANNE KIRCHMANNO LUBECENSI elaboratum accepimus, qui fortasse aspernatur Porcachij exiles in ea materie labores (sed plurimi faciendos, quòd primus in arenam descendit) uberiùs absolvit, quæ ille jejunus inchoavit. Nihil est, quod amplius desideres. Ex optimis quibusq; Latinis, Græcisq; Auctoribus, effossis cæmentis, nobilissimum sepulcrorum ædificium condidit. Habes itaque indictiva, tacita, vulgaria, plebeia, translatitia, censoria, triumphalia funera, oscula, lotionem, unctiuram, vestitum, coronas, lectum, conclamationem, elationem, cantus, tubas, tibias, nænia, ludos, imagines, pheretra, lacerationes, convivia, crines, digitos abscissos, insignia, orationes, pyras, decursionem, mactationem, sepulcrorum loca, munera, odores, δῶρα, ψυχαγωγίαν,

Leges,

Leges, Præficam, urnas, pacis precationem, ossilegia, religionem, violationis pœnam, parentationes, Feralia, Novemdialia, Denicalia, victimas, mensas, aras, inferias, unguenta, vel χοὰς, Arferiam aquam, vel Arferial, aut Adferial, ut in Glossis, quam Græci χθόνια λουτρὰ dixere, vinum, lac, & sanguinem, flores, tænias, silicernia, Manes, ferales cibos, cuncta prætereà, quæ cùm in libris, aut in lapidibus legeris, in Nomismatibus inspexeris, in eorum notitiæ cupiditatem te impellere posse videbantur. Brevi scies. Callebis optimè; & multa, quæ in Poëtis præsertim legendis præterieras, diligentiùs cum hac lectione animadvertes.

JOHAN.

JOHAN. KIRCHMANNI.

DE FUNERIBUS Romanorum.

LIBER PRIMUS

CAPUT I.

Humatio & Combustio præcipua sepeliendi genera. Viramq; Græcis, à quibus Romani plerosq; ritus accepêre, fuisse in usu monstratur. Combustionis fabulosum initium ad Herculem refertur. Philosophorum de utraq; discordes sententiæ. Combustionis causa nonnullæ.

FUNEBRES Romanorum ritus pro mea virili explicaturus, & quicquid hujus argumenti vel ipsemet veterum scripta pervolutando observavi, vel nostro seculo notatum ab aliis est, quod memoriam meam non fugiat, συνήθειαν atq; uno velut fasce complexurus, operæ precium existimavi, prius quàm seriò spatium hoc ingrediar, paulisper ante carceres consistere & paucis indicare, quodnam sepulturæ genus in urbe domina, quæ τῆς οἰκουμένης δέσποινα non immeritò dicta est, usitatum fue-

rit. Notum est enim omnibus qui *mython plasmata & historiam* primoribus tantùm labris gustârunt, varia fuisse olim & penè innumera apud diversos populos sepeliendorum mortuorum servata discrimina: De quibus fortassean alibi erit uberior dicendi locus. Inter illa autem duo potissimum familiam ducunt, ac literis monumentisque autorum sunt famosissima, *Humatio* nimirum & *Combustio*, quarum utrãq; Romanis in usu fuisse reperio & quidem ad exemplum Græcorum ac inprimis Atheniensium, à quibus plerasq; non solùm leges, sed & ritus ac ceremonias acceperũt. Hos enim, ut paulò altius exordiar, jam inde à Cecropis primi ipsorum regis tempestate, mortuos suos terrâ condidisse, Cicero author est 2. de leg. *Nam & Athenis jam illo more à Cecrope, ut ajunt, permansit hoc jus terrâ humandi*. Atq; Cecropem hunc *Athenis in Minervio terræ mandatum* ex Antiocho refert Arnobius lib. VI. advers. gent. Huic rei etiam indicio est catum illud & prudens Solonis factum, qui Salamina optimo jure ab Atheniensibus occupatam probaturus, effossis sepulchris ex cadaverum

περὶ δυσμὰς dicam an ἀνατολὰς βλεπόντων positura id demonstravit, ut memoriæ proditum à Plutarcho, Laertio & Æliano: quorum pugnantia super hac re loca alibi concilio. Et ut plurima alia testimonia præteream, inter inferioris ævi scriptores humationis Græcanicæ meminit Petronius in Satyrico de matronâ Ephesinâ loquens. & Phlegon Trallianus περὶ θαυμασίων καὶ μακροβίων: quos infrà laudo.

Sed & igne solebant Græci mortuos comburere: cujus ritus initium ad Herculem referunt, à quo Argeus Licymnii F. hoc modo sit sepultus. Historia, sive fabulam appellare malumus, sic habet: Mos erat Trojæ, ut quotannis virginum tempestivarũ aliqua certo devorãda objiceretur: quòd aliter iram Deorum, quos Laomedon rex offenderat, placari non posse, è cortinâ esset responsum. Sorte igitur ductâ Hesione ipsius Laomedontis filia cruento huic sacrificio destinatur: stabat infelix virgo jam scopulo alligata, & mortem præsentaneam expectabat, cùm fortè illac transiens Hercules liberaturũ se filiam Laomedonti pollicetur, sed ea lege, ut, quos ipsum habere

constabat, equos divino seminio ortos in præmium sibi donet. Accipit conditionem Laomedon; sed monstro occiso, filiaq; liberata promissis stare recusat. Ea re indignatus Hercules Ilium expugnare & acceptam injuriam ulcisci cogitat: cumq; exercitum colligeret, etiam Argeum familiarē suum à Licymnio patre petit; quo abnuente, quòd jam antè alterum filium Eonum bello Lacedæmonico amisisset, Hercules jurejurando se de reducēdo Argeo obstringit. Profectus igitur ad Ilium, cùm Argeus in acie cecidisset, comburi ipsum curavit, ac ossa ejus & cineres ad patrem remisit, hoc modo fidem suam se liberasse & perjurii crimen effugisse arbitratus. Sed placet ipsa Scholiastæ verba, unde pleraq; hæc, licet non αὐτολεξεὶ, desumsimus, hic adscribere: Sic autē ille ex Androne vetere historico ad Homericæ Iliad. α. ἡδὲ αἰτία τοῦ καίεσθαι τὰ σώματα παρ' Ελλησιν αὕτη. Πρῶτος φασὶν, ὅτως ἐτάφη Αργειὸς ὁ λικυμνίου δι' ἀνάγκην ὑπ' Ηρακλέους, Συναγαγὼν γὰρ στρατείαν ἐπὶ Ιλιον Ηρακλῆς, διὰ τὸ τὴν Λαομέδοντα παρὰ συνταξιν ποιῆσαι αὐτῷ σώζαντι τοῦ κήτους τὴν θυγατέρα αὐτοῦ Ησιόνην, καὶ μὴ δοῦναι τοὺς ἵππους, οὓς ὑποσχόμενος ἦν αὐτῷ ὑπὲρ τῆς τοσαύτης εὐεργεσίας, ἐξήτει καὶ τὸν Αργειὸς ὡσανεὶ οἰκεῖον.

Ληκυ-

Λικυμνίου δὲ φασὶ τοῦ πατρὸς Αργείου φοβουμένου, ὅτι καὶ τὴν πρότερον αὐτοῦ υἱὸν ὀνόματι Ηωνὸν ἀποστήλας εἰς Λακεδαίμονα, μεθ' Ηρακλέους ἀπέβαλεν, καὶ μὴ διδόντος, Ηρακλῆς ὤμοσεν ἀπάξειν πάλιν αὐτὸν. Τότε δ' οὖν συμπεσούσης Αργείῳ τῆς τοῦ βίου τελευτῆς, διαπορηθεὶς ὁ Ηρακλῆς πῶς ἀνδιατηρήσοι τὴν ὅρκον, ἔκαυσεν αὐτὸν. Καὶ πρῶτον φασὶ τοῦτον τοιαύτης ἐπιμελείας τυχεῖν. ἡ ἱστορία παρ' Ανδρωνι.

Plura adhanc rem petes, si operæ tibi est, ab Eustathio Iliad. α. Quicquid autem sit, sive Herculem sive alium habeat auctorem Crematio, hoc constat, Troicis temporibus illam apud Græcos fuisse usitatissimã, si modo fides habenda ipsorum Poëtis, quorum testimonia cuivis sunt in promptu. Meminit & Thucydides lib. II. ubi de peste, quæ suâ ætate Athenas infecerat, sic loquitur inter alia: ἐπὶ πυρὰς γὰρ ἀλλοτρίας φθάσαντες τοὺς νοσήσαντας, οἱ μὲν ἐπιθέντες τὴν ἑαυτῶν νεκρὸν ἐφῆπτον: οἱ δὲ καιομένου ἄλλου ἄνωθεν ἐπιβαλόντες ὃν φέροιεν ἀπήεσαν, &c. Quem locum Lucretius ita reddidit lib. VI.

Namq; suos consanguineos aliena rogorum
Insuper exstructa ingenti clamore locabant,
Subdebantq; faces multo cum sanguine sæpe
Rixantes potius, quàm corpora desererentur.

Scholiastes quoq; Thucydidis lib. eo. ad hæc verba: οἱ Αθηναῖοι τῷ πατρίῳ νόμῳ χρώμενοι,

disertè notavit: τὸ πάτριον νόμον πληροῦντες περὶ τῆς τῶν Αθηναίων ταφῆς: δηλονότι καύσαντες τὰ σώματα: οὗτος γὰρ ἦν νόμος Αθηναίοις καὶ πᾶσιν Ελλησιν. Et, quod maximè huc facit, Silius Italicus ac Lucianus, dum diversos gentium in sepeliendis mortuis ritus enumerāt, Græcis Cremationem uno ore uterq; tribuunt: hic quidem de Luctu: ὁ μὲν Ελλὴν ἔκαυσεν: ὁ δὲ πέρσης ἔθαψεν. *Nam Græcus exurit, Persa defodit, &c.* Ille verò lib. XIII.

Cecropidæ ob patriam Mavortis sorte peremptos
Decrevere simul communibus urere flammis.

Ex dictis igitur liquet & Combustionis & Humationis morem apud Græcos obtinuisse, nec introducto uno exolevisse alterum, sed remansisse utrumq;, aliis hūc, aliis istum usurpantibus pro cujusq; arbitrio, opinor, & voluntate. Cujus rei supernumerarium testem facio Platonem, apud quem Socrates venenum hausturus sic loquitur in Phædone: ἵνα Κρίτων ῥᾷον φέρῃ καὶ μὴ ὁρῶν μοῦ τὸ σῶμα ἢ καιόμενον ἢ κατορυττόμενον ἀγανακτῇ ὑπὲρ ἐμοῦ, ὡς δεινὰ ἄττα πασχόμενος. Hoc est, *Ut Crito facilius ferat & videns corpus meum aut comburi aut humo mandari, meam vicem minimè indignetur, quasi acerba quædam passus fuerim.* Arguunt idipsum non obscuré veterum

terum Philosophorum de utroque sepulturæ genere discordes sententiæ, quas Servius annotavit in lib. XI. Æreid. *Heraclitus qui omnia vult ex igne constare, dicit debere corpora, in ignem resolvi. Thales verò qui confirmat omnia ex humore procreari, dicit obruenda corpora, ut possint humore resolvi.* Heracliti autem dogma amplexus & Heraclides Ponticus teste Varrone περὶ ταφῆς. *Quare Heraclides Ponticus plus sapit, qui præcepit ut comburerent, quàm Democritus, qui, ut in melle servarent: quem si vulgus secutus esset, peream si centum denariis calicem mulsi emere possemus.* Neque tamen adeò insipienter Democritus, cùm in spem reviviscendi hoc modo cadavera asservanda docuerit, ut patet ex libr. VII. cap. LV. Plinii his verbis eum irridentis: *Similis & de asservandis corporibus hominum & reviviscendis promissa à Democrito vanitas, qui non revixit ipse.* Sed ut ad Heracliti dogma redeamus, Cremationem adstruentis, id multi etiam ex posterioribus amplexi sunt, existimantes animam non nisi hoc modo à corporis sordibus purgari & ad suam naturam reverti posse. Scho-

liastes Homeri Iliad. α. τὸ παλαιὸν τὰ σώματα τῶν θνησκόντων πρότερον ἐκαίετο. Διὸ τὸ ἀπείρητα γίγνεσθαι. εἰθ' ἕτως ἐθάπτετο ὑπὸ γῆν. Servius III. Æneid. *Romani contrà faciebant comburentes cadavera, ut statim anima in generalitatem, id est, in suam rediret naturam.* Respexit huc Ovidius I. Trist. El. 4.

Spiritus hic vacuas prius extenuandus in auras
Ibit, & in tepido deseret ossa rogo:
Quàm subeant animæ meritorum oblivia nostro, &c.

Et Silius Italicus lib. X. in funere Pauli.

Hæc Lybys: Atq; recens crepitantibus undiq; flammis
Æthereas anima exultans evasit in auras.

Concludam hoc caput eleganti loco Quintiliani, qui mirè ad hanc rem facit: is verò declamatione X. sic ait: *Vana ergò sapientes persuasione frustrati, qui constare homines & perfici corporis alimentis animæq; dixerũt, corpus caducum, fragile, terrenum, ut sicca humidis, calida frigidis, resoluta astrictis pugnarent, partim aut doloribus affici, aut novissimis annis & senectute dissolvi. Animam verò flammei vigoris impetum perennitatemq; non ex nostro igne sumentem, sed quo sydera volant, & quò sacri torquentur axes, inde venire, unde omnium rerum auctorem parentemque spiritum ducimus, nec interire nec solvi,*

nec

nec ullo mortalitatis affici fato : Sed quoties humani pectoris carcerem effregerit, & exonerata membris mortalibus levi se igne lustraverit, petere sedes inter astra. Vide Eustath. in Iliad. α. Synesium de Insomniis.

CAP. II.

Romanos ad exemplum Græcorum & humasse & combussisse mortuos. Plinius leviter reprehensus quod Combustionem non esse veteris instituti dixerit. Ejus antiquitas ostensa & creber usus. Usurpatam quoq; à Germanis & Gallis : improbatam verò à Persis ac Aegyptiis & quare ? Iustinus fortassean correctus. Non esse sublatam ab Antoninis : Sed Christiana religionis politia invalescente paulatim desitisse.

SED in viam revertamur, à qua longiusculè præter opinionem aberravimus: ostensuri Romanos ad exemplũ Græciæ tàm cremasse quàm terrâ condidisse mortuorũ cadavera. De Græcis autem, quantum res postulare videbatur, peregimus. Ad Romanos igitur jam stylum convertamus, quos utrumq; hunc ritum usurpasse disertè Plinius scribit lib. VII. cap. LIV. *Ipsum cremari*, inquit, *apud antiquos non fuit veteris instituti, terrâ condebantur. At postquam longinquis bellis obrutos erui cognovêre* (nota

causam) *tunc institutum. Et tamen multæ familiæ priscos servavêre ritus: Sicut in Corneliâ nemo ante Syllam Dictatorem traditur crematus: Idq; voluisse, veritum talionem eruto C. Marii cadavere.* Et ante ipsum Cicero lib. 11. de Legibus. *Ac mihi quidem antiquissimum sepulturæ genus id fuisse videtur, quo apud Xenophontem Cyrus utitur. Redditur enim terræ corpus & ita locatum ac situm, quasi operimento matris obducitur. Eodemque ritû in eo sepulchro, non procul à fontis arâ regem nostrum Numam conditum esse accepimus: gentemque Corneliam usque ad memoriam nostram hâc sepulturâ scimus usam. C. Marii sitas reliquias apud Anienem dissipari jussit Sylla victor acerbiore odio incitatus, quàm si tàm sapiens fuisset, quàm fuit vehemens. Quod haud scio an timens, ne suo posset corpori accidere, primus è patriciis Cornelius igne voluit cremari.* Hic nequeo satis mirari Plinium, qui ipsum cremari affirmat *non esse veteris instituti.* Atqui, ut Virgilium ac Ovidium præteream, quorum ille cremandorum cadaverum ritus in Italiâ

etiam

etiam ante urbis conditum meminit libr. XI. Æneid: hic verò sub ipso nascentis Reipub. exordio Remum hoc modo sepultum tradit libr. IV. Fastor. Sed ut hos mittam, quibus fortean per Anticipationem ista esse dicta, posset quis objicere: ille ipse Plinius suo se gladio jugulat, dum libr. XIIII. cap. XII. rogum vino aspergi à Numa rege vetitum scribit. Sed & Plutarchus author est, eundem Numam testamento caviisse, ne corpus suum post mortem combureretur. Πυεὶ μὲν inquit: σὸκ ἔδοσαν τ' νεκρὸν, αὐτὸ κωλύσαντα ὡς λέγεται. Δύο δὲ ποιησάμενοι λιθίνας σόρους, ὑπὸ τὸν Ιάνικλον ἔθηκαν. τὴν μὲν ἑτέραν ἔχουσαν τὸ σῶμα, τὴν δὲ ἑτέραν τὰς ἱερὰς βίβλους. id est, *Corpus crematum non est, quod ipse* [*ut fertur*] *prohibuerit, duas autem lapideas arcas confecêre & sub Janiculo posuerunt: in quarum alterâ corpus ejus condebatur, in alterâ libri sacrorum.* Hujus verò rei causam Numa non habuisset, nisi jam tùm uterque ritus & terrâ obruendi & igne cremandi Romæ obtinuisset. Et, ut exempla alia deessent, quorum tamen inopia nobis non est, ex interdi-

terdicto legis 12. tabul. de non sepeliendis *neve urendis* in urbe mortuis, quod diximus clarius est

Quàm solis radii esse olim, cum sudum est solet.

Antiquissima itaq; Combustio & quidem adeò frequens, ut ferè sola quasi regnum obtinuerit: unde Tacitus lib. *XVI.* Annal. de Poppæa: *Corpus non igni abolitum ut Romanus mos.* Et Laertius in Pyrrhone: *Ægyptij quoq; condientes sepeliunt corpora, Romani verò incendentes.* Nec pluribus opus in re tam manifestâ. Unum hoc addo, ὡς ἐν παρόδῳ, Gallis etiam & Germanis nostris aliisq; septemtrionalibus populis hanc Νεκροκαυσίαν fuisse usurpatam, ut legimus apud Cæsarem lib. *VI.* bell. Gall. Tacitum in German. & Eustath. Iliad. ω. E contrario autem improbatam Ægyptiis & Persis, quorum illi ignem existimarũt esse animatam belluam, quæ quicquid nanciscitur, devoret ac consumat: ubi verò exsaturata sit, simul cum eo, quod devorârit, moriatur: Hi vero ignem pro DEO colebant, ac venerabantur: & ideo humana corpora DEO consumenda objicere, nefas censebãt. Sed placet ipsius Herodoti verba adscribere ex *III.*

Musâ:

Musâ: ubi de Persis sic loquitur: Περσαι γὰρ θεὸν νομίζουσιν εἶναι τὸ πῦρ: τὸ ὦν κατακαίειν τοὺς νεκροὺς, οὐδαμῶς ἐν νόμῳ οὐδετέροισί ἐστι, πέρσῃσι μὲν δι' ὅπερ εἴρηται, θεῷ οὐδίκαιον εἶναι λέγουσι νέμειν νεκρὸν ἀνθρώπου. De Ægyptijs verò hoc modo: Αἰγυπτίοισι δὲ νενόμισται πῦρ θηρίον εἶναι ἔμψυχον: πάντα δὲ αὐτὸ κατεσθίειν, τάπερ ἂν λάβῃ. πλησθὲν δὲ αὐτὸ τῆς βορῆς, συναποθνήσκειν τῷ κατεσθιομένῳ. Magos etiam ἀνόσιον ἡγεῖσθαι πυρὶ θάπτειν *nefas existimare igne sepelire* notavit Laërtius in Proœmio. Hos secutus Pythagoras, qui & ipse cadavera κατακαίειν οὐκ εἴᾳ, μάγοις ἀκολούθως: Et rationem subjungit Jamblichus, quia μηδενὸς τῶν θείων τὸ θνητὸν μεταλαμβάνειν ἐθέλησε: *nullius rei divinæ mortalem quempiam participem fieri voluit.* Sed hîc mihi in mentē venit Justini locus, quem ab omni mendo purum, nec ullâ exscriptoris manu inquinatum, vix adducor ut credam. Scribit is lib. *XIX.* Legatos à Dario Persarum rege Carthaginem venisse, afferentes edictum, *quo mortuorum corpora cremare potius, quàm terrâ obruere à rege jubebantur.* Quod edictum cum patrio Persarum ritu pugnare, ex superioribus constat. Suspicabar igitur, duo ista verba τὸ *cremare* & τὸ *terra obruere* sede suâ esse sollicitata, atq; hoc quidem

dem primo, illud autem postremo loco re poni debere: quæ transpositio cum veteri Persarum consuetudine ad amussim planè convenit, nec aliena est à ritu ipsorum Carthaginensium, quibus Cremationem cadaverum etiam ante istius Darii ætatem in usu fuisse legimus. Et potuerunt quidem illi jussu Persæ aliquantisper à Crematione abstinuisse, ad quam tamē, ut fuit illorum ingenium, paulò post redierunt. Sed de hac re viderint doctiores & inprimis tu, amplissime Bongarsi, cujus acerrimo limatissimoq; judicio non solum hanc in Justinū tuum [cur enim non ita appellem, cui tu princeps vitam & lucem dedisti?] suspicionem; verùm adeo totam nostram de mortualibus hisce ceremoniis commētationem submittimus. Ad νεκροκαυσίαν jam revertimur, quæ quando desita sit, fateor me juxtà cum ignarissimis scire. Nam ab Antoninis illam esse abrogatam, ut quidam volunt, neq; fictum, neq; scriptum, neq; pictum usquam memini legere. Longè alia mens Jul. Capitolini, cujus locus corruptus fortean illos in errorem induxit, ut infrà videbimus. Macrobius, quidem disertè scribit,

scribit, morem illum suo jam tempore planè exoleviſſe, lib. VII. cap. VII. *Deindè licet urendi corpora defunctorum usus nostro seculo nullus sit: lectio tamen docet, &c.* Vixit autem ille sub Theodosio juniore: quod omnibus notum. Sed cum de hac re nihil, quod sciam, ab antiquis scriptoribus literarum monumentis consignatum sit, ἀναφισβήτως ita existimamus, politiam religionis Christianæ ritum hunc gentilem paulatim sustuliſſe, strenuè laborantibus in eo sanctis Patribus, ut ex Tertulliani scriptis passim videre est. Quod cum Paganus illis vitio verteret apud Minurium Felicem his verbis: *Inde videlicet & execrantur rogos & damnant ignium sepulturam.* Sic responsum huic criminationi ab Octavio: *Nec (ut creditis) ullum damnum sepulturæ timemus: sed & veterem & meliorem consuetudinem humandi frequentamus.*

CAP. III.

Infantes & Fulguritos cremari fas non fuisse. Suggrundarium. *De fulguritorum humatione varia scitu digna.* *Ravardi & Fruterii interpretatio Legis Numæ rejecta.* Supra genua tollere *quid sit ex sententia Casauboni.* *Graecos τὸς αὐλόχυτους non combussisse.*

VERUM

VERUM hic præterire non debeo, religionem antiquitus fuisse Infantes & Fulguritos igni cremare. De Infantibus Plinius lib. *VII.* cap. *XVI.* *Hominem prius quàm genito dente cremari, mos gentium non est.* Unde lux Juvenali Satyr. *XV.*

Naturæ imperio gemimus, cum funus adultæ
Vitginis occurrit, vel terrâ clauditur infans,
Et minor igne rogi.

Locus autem autem, ubi infantes hujusmodi sepeliebantur, dictus fuit *Suggrundarium.* Fulgentius Placiades: *Suggrundaria antiqui dicebant sepulchra infantium, qui necdum XL. dies implessent, quæ nec Busta dici poterant, quia ossa, quæ comburerentur non erant, nec tanta cadaveris immanitas, quâ locus tumesceret.* Utitur eo Rutilius Geminus Astyanacte: *Melius suggrundarium quæreres, quàm sepulchrum.*

De Fulguritis quoq; idem Plinius lib. *II.* cap. *LIV.* *Hominem ita exanimatum cremari fas non est: condi terrâ religio tradit.* Et Tertullianus: *Qui de cœlo tangitur salvus est, ut nullo igne cinerescat.* Sepultos autem fuisse eo ipso in loco, ubi fulmen eos occiderat, discimus ex Artemidoro lib. II. cap. VIII. οὐ γὰρ οἱ κεραυνωθέντες μεταθίτενται, ἀλλ' ὅπου

ἂν ὑπὸ

ἂν ὑπὸ Διὸς πυρὸς καταλυφθῶσιν, ἐνταῦθα θάπτοντες. *Fulguriti non transferuntur in alium locum, sed ubicunq; fulmine occupati, ibi & sepeliuntur.* Quo pertinet Scholastica illa lex Quintiliani Declam. CCLXIV. *Quo quis loco fulmine ictus fuerit, eodem sepeliatur.* Excipio tamen locum publicum: nam quos intra urbem fulgur exanimasset, puta in templo, theatro, circo, via, &c. eos alibi humatos, si quis ambigat, me indice clarissimum exemplum reperiet apud Festum: *Statua est*, inquit ille, *ludij ejus, qui quondam fulmine ictus in circo, sepultus est in Janiculo.* Atq; hinc etiam de reliquis locis facile est judicare. Humati quidem igitur οἱ κεραυνοπλῆγες: sed, quod notandum, sine ullis justis, & funerum solemnibus, prohibitis, cascâ lege Numæ Pompilij, quam recitat Festus in voce *Occisum*. Ea, ut Lipsius emendavit, sic habet: SEI HOMINEM FULMINIS OCCISIT EM SUPRA GENUA NE TOLLITO. HOMO SEI FULMINE OCCISUS ESIT, EI IUSTA FIERI NULLA OPORTETO. *Fulminis* antiqui nominandi casu dicebant pro Fulmen, ut *Vulturis* pro

Vultur Ennius: & *Oscinis* pro Oscen Cicer. testibus Prisciano & Carisio Lipsius lib. 1. Epist. Quæstion. XI. Paulò aliter legit doctissimus Fruterius in Epistolâ quadam ad Muretum, quam, si operæ tibi, vide. Variis enim lectionibus paginas implere non est nostri instituti. Satius fuerit in Legis ipsius interpretatione aliquanto diutius immorari. Rævardus, quem, si benè memini, Lipsius vocat magnum Belgicæ Papinianum, existimat κεφαλωθέντας velut sceleratos & impios uno tractos fuisse, non capulo elatos. qui verò capulo efferebantur, eos non capulo humeris impositò efferri solitos: sed in eam altitudinem à terra capulo levatos, ut supra genua duntaxat tollerentur. Vide ejus verba cap. XXII. ad Leg. XII. tab. Cui non absimile est Fruterii interpretamentum, sed cum leviori lapsu conjunctum. Nam tantùm hoc dicit, se putare *Supra genua tollere* esse ad sepulturam tradere. Theod. Marsilius ad Persium *efferre* explicat, quod idem est. Sed addit Fruterius, videri sibi morem olim fuisse, qui etiam nunc in quibusdam Galliæ partibus est [vidi ipse Aurelii non semel]

semel] ut restibus quibusdam vel lineis mantilibus feretro circumvolutis, earumque extremitatibus manui obvolutis, funus ultra genu sustollerent, sicque in locum communem Mettiâ porta transferrent. Atque hæ sunt Rævardi & Fruterii super lege hac opiniones; quibus refutandis tempus non libenter tero: satis est, si dixero eas esse planè ἀνεμμαπίους, nec in ullo veteri scriptore hujusmodi elationis volam aut vestigium extare. Contrà verò mortuos humeris fuisse elatos, vel sexcentis testibus tam facilè confirmare possum.

—— *quàm pirum volpes comest.*

Verùm omnis error ex phrasi *Supra genua tollere* non rectè intellectâ pullulasse mihi videtur. De hac igitur incomparabilis viri, quo quidem, cum viveret, in Gallia Sol doctiorem nullum illucebat alterum, Isaacii Causoboni sententiam argutam Jupiter! & meo judicio, opinor etiam aliorum, veriſſimam placet adscribere. Cum enim illas doctiorum nostri ævi super Numæ lege explicationes & meas ab iis dissensiones ad ejus tribunal

afferrem, ac pro nostrâ amicitiâ rogarem, ut serio de hac lite cognosceret c. ertiq; aliquid concluderet, ac signaret, ut Jurisconsi. dicunt, responsum, in hunc sensum vir humanissimus ad me perscripsit: id loquendi genus *Supra genua tollere* sibi quoq; persæpè negocium fecisse: Jam verò se ita censere, φράσιν esse ἀπὸ μέρους τοῦ παντὸς, hoc est, πασῆς τῆς περὶ νεκρὸν ὁσίας καὶ κηδείας, Propriè enim *Supra genua tollere* ijs convenisse, qui sedentes cruribus tibiisque porrectis supra genua positum corpus exanime mundabant, lavabant, unguebant. Quæ cura vel mulierculatum ut plurimum fuit, vel pollinctorum, ut alibi monstramus. Hanc conjecturam confirmant antiquæ statuæ, quæ passim locorum conspiciuntur. Mulieres sunt impositum genibus habentes CHRISTI τοῦ σωτῆρος corpus cruci detractum, idq; nudum, πρὸς τὸ ἐνταφιάζειν αὐτὸ. Qui hujusmodi imagines viderunt, non quærent amplius quid sit *Supra genua tollere*. Mihi certè non tam docere ut intelligamus, quàm manu ducere videntur, ut quid ista Numæ verba propriè denotent, penè contractemus. Et confirmat hanc con-

conjecturam Dionysius Alexandrinus, cujus verba ceremonias in Christianorum funeribus usitatas accuratè recensentis extant apud Euseb. lib. VII. cap. XVII. *Sanctorum corpora*, inquit ille, *manibus erectis supinisq; excipere, gremio suo reponere, occludere oculos, ora obturare, gestare humeris cadavera, decenter ornare, illis adhærescere, amicè complecti, lavare accuratè & linteo funebri involvere non gravati sunt.* Est igitur ἀναληφότως mens Legis, non licere τὰ νομιζόμενα ποιεῖν *justa facere* illi, quem fulmen occidisset. Non repugno, si quis in duo capita velit partiri; unum de non persolvendis τῷ χειροτονηθέντῳ justis & parentalibus; alterum de negando illi funeris honore, ὅπερ ἧττον ἐστὶ θανόντων. Funeris honore, inquio: non, ut Turnebus vult lib. XVI. Adverss. cap. XII. omni omnino sepultura. Humabantur enim, ut suprà ostendimus: Et quidem Aruspicum curâ ad funebre hoc officium accedente, ut divinus Scaliger notavit ex Seneca lib. I. De Clementia cap. VII. *Ecquis regum erit tutus, cujus non membra Aruspices colligant? Quod si Dij placabiles & æqui delicta potentium non statim*

fulminibus prosequuntur, &c. Quin imò, si Cornuto Persii glossatori fidem arbitrari velimus, non, ut alii, terrâ defodiebantur, sed in planicie terræ humabantur, tellure nempe adgestâ: Sic enim ille ad hunc versum:

Triste jaces lucis evitandumq́ bidental

Iaces, inquit, *quia fulminati supra terram positi mandantur sepulturæ.* Interdum tamen & super terram intra bidentalis conseptum relictos, ut spectarentur, observavit Th. Marsilius ex Plutarcho Sympos. Prob. 11. lib. 1 v. Τῶν ὑπὸ κεραυνοῦ διαφθαρέντων ἀσηπτα τὰ σώματα διαμένει. Πολλοὶ γὰρ οὔτε καίουσιν οὔτο κατορύττουσιν, ἀλλ' ἐῶσι περιφράξαντες ὥς τε ὁρᾶσθαι τοὺς νεκροὺς ἀσήπτους, hoc est, *Fulmine ictorum corpora non putiscunt. Multi enim neq́ cremant ea, neq́ terrâ obruunt, sed sinunt ita jacere, sepientes illum locum, ut spectaculo sint mortui isti non putiscentes.* Nam septa fuisse loca cœlo tacta, alii annotarunt, quorum scrinia non compilo. Habeo quidem plura de fulguritis, sed non sunt hujus loci. Hæc autem sufficiunt ad ostendendum humatos fuisse, quos fulgur tetigisset, non combustos: ob quod tota hæc disputatio

fuit

fuit instituta. Jam velut ἐπίμετρον admetiar adhuc quendam ritum Græcorum, qui & ipsi nefas esse duxerunt, cremare eos, qui sibimet mortem intulissent. autor Philostratus in Heroicis: ἔθαψαν δὲ αὐτὸν (Αἴαντα) καταθέμενοι εἰς τὴν γῆν τὸ σῶμα, ἐξηγεμένου Κάλχαντος, ὡς ἐχ ὅσιον πυρὶ δαπανᾶσθαι οὓς ἑαυτοὺς ἀπεκτόνασιν: h. e. *Sepelierunt autem Ajacem corpus ejus in terram ponentes, cum Calchas censuisset, fas non esse, eos igne comburi, qui se ipsi interfeciſſent.* Hinc & apud Statium l. c. III. Thebaid. Rex Thebanorum Mœonem, qui seipsum è vitâ sustulerat

—— vetat igne rapi, pacemq; sepulchri
Impius ignaris ne quicquam manibus arcet.

CAP. IV.

In funeribus habita ratio Ætatis, Facultatum, Dignitatis ac Ultimæ voluntatis defuncti. Funera duûm generum Indictiva & Tacita. Indictionis funebris formula solemnis. Publici funeris honos à Senatu decerni solitus. Usurpatus quoq; à Græcis & Massilienſibus. Inter publica funera præcipuum Consortium. Funus Tacitum *alio nomine* Vulgare, Plebeium, Commune, Translatitium, *fortean &* Simpludcarium. *Funera acerba & immatura qua?*

VENIO nunc ad Funerum discrimina, quæ, sicut hodieque fit, ex diversâ

ſepeliendorum Ætate, Facultatibus, Dignitate & Voluntate ultimâ oriebantur. Horum enim quatuor in Funerationibus habitam rationem reperio.

Ac de Ætate planum eſt ex Tacito lib. XIII. Annal. de morte Brjtannici: *Feſtinationem exèquiarum edicto Cæſar defendit, id à majoribus inſtitutum referens, ſubtrahere oculis acerba funera, neq; laudationibus aut pompâ detinere.* Idem affirmat Plutarchus Conſol. ad uxorem: Τοῖς γὰρ αὐτῶν νηπίοις ἀποθανοῦσιν, inquit, οὔτε χοὰς ἐπιφέρουσιν, οὔτ' ἄλλα δρῶσι περὶ αὐτὰ, οἷα εἰκὸς ὑπὲρ θανόντων ποιεῖν τοὺς ἄλλους: οὐ γὰρ μέτεστι γῆς οὐδὲν, οὔτε τῶν περὶ γῆν αὐτοῖς. οὐδ' αὐτοῦ περὶ ταφὰς καὶ μνήματα καὶ προθέσεις νεκρῶν φιλοχωροῦσι καὶ παρακάθηνται τοῖς σώμασιν, hoc eſt: *Veteres neq; infantibus pueris inferias ferebant, neq; cætera faciebant, quæ par eſt facere alios pro mortuis: nondum enim his terra communicata eſt, neq; eorum quicquam, quæ terrâ naſcuntur: neq; ſepulchra extruebant, neq; monumenta ac collocationem mortuorum amabant, neq; corporibus aſſidebant.* Alluſit huc Auſonius in Parentalibus Epigrammat. X.

Tu gremio in proavi funus commune locatus,
Invidiam tumuli ne paterere tui.

Sic

Sic apud Græcos hoc quoq; ætatis discrimen observatum innuit Furipides in Alcestide, ubi Apollinem sic loquentem inducit:

Κἂν γραῦς ὄληται, πλουσίως τἀφήσεται.

Si anus moriatur, splendidius sepelietur.

Sed & ad Facultates respiciebant, pro reputa atq; opibus unicuiq; funus facientes. Ulpianus lib. XIV. § VI. D. De Religios. *Sumptus funeris arbitrantur pro facultatibus vel dignitate defuncti.* Quemadmodum igitur leges jubebant exquisitas mortuo diviti exsequias ducendas esse, unde idem Ulpianus lib. XIV. § IX. D. eod. disertè inquit: *Judicem, qui de eâ æquitate cognoscit, interdum sumptum omnino non debere admittere modicum factum, si fortè in contumeliam hominis locupletis modicus factus sit:* Ita etiam è contrario non permittebant, pauperum Funera majoribus expensis duci, quàm facultates ipsorum ferrent. Id quod etiam suo exemplo docere voluit M. Porcius Cato, *quem funus mortui filii in Prætur â tenuissimo, ut valuit, nam pauper erat, sumptu fecisse,* autor est Epitomator Livii lib. XLVIII.

Sæpissimè tamen etiam Dignitatis &

meritorum habebatur ratio. Non enim facilè committebant Romani, ut quis summis honoribus defunctus & optimè de Republ. meritus propter inopiam vili sepulturâ afficeretur: Ideoq; aliquammultos ex collatitiâ stipe splendidissimè funeratos legimus: ut Valerium Publicolam regum exactorem teste Livio lib. III. *In Consulis domum plebes quadrantes ut funere ampliore efferretur, jactasse fertur.* & Plutarcho in ejus vitâ: ὁ δὲ δημὸς ὥσπερ οὐδὲν εἰς ζῶντα τῶν ἀξίων πεποιηκὼς, ἀλλὰ πᾶσαν ὀφείλων χάριν, ἐψηφίσατο δημοσίᾳ ταφῆναι τὸ σῶμα, καὶ τεταρτημόριον ἕκαστος ἐπὶ τιμῇ συνεισηνέγκεν. Addo & Ammian. Marcellinum lib. XIV. *Hinc ex collatitiâ stipe Valerius humatur ille Publicola.* Mitto Apulejum, qui Apolog. I. & hujus & Menenii Agrippæ, qui populum Senatui reconciliavit, *funus ob tenues opes à populo Romano collatis sextantibus adornatum* scribit. Et ante illum Seneca ad Albinam cap X. *Menenius Agrippa, qui inter patres & plebem publicæ gratiæ sequester fuit, ære collato funeratus est.* Vide sis & Dionys. Halicar. lib. VI. & Livium lib. II. In eadem classe & Q. Fabius Maximus, teste Valerio

Maxim.

Maximo lib. v. cap. II. *Magnum grati populi specimen in Q. Fabio Max. enituit. Nam cum quinq; consulatibus salutariter Reipubl. administratis decessisset, certatim æs contulit, quo major ac speciosior ejus funeris pompa duceretur.* Idem tradit auctor de viris illustrib. cap. XXXII. De Scipione simile narrat Plinius lib. XXVII. cap. III. *Nec erat in bonis funeris impensa. Asses ergo contulit populus & funus elocavit.* Pertinet huc vetus Inscriptio Neapolitana in domo quondam Petri Lupi:

M. VINICIO. P. F.
POST MORTEM
MUNICIPES SUI
ÆRE CONLATO
PIETATIS CAUSA
POSUERUNT.

Symphosius interpres historiæ Apollonii Tyrii: *Pro meritis fabricant loculum ex ære collato & scripserunt: DII. MANES. CIVES. TARSIÆ. VIRGINI. PRO. BENEFICIIS. PATRIS. EIUS. SEPULCHRUM. EX. ÆRE. COLLATO. POSUERUNT.*

Deniq;

Deniq; Ultimam voluntatem etiam & suprema morientium judicia attendebant, quorum erat funus mortuis curare. Sic Pomponius Atticus *elatus est in lecticulâ, ut ipse præscripserat, sine ulla pompa funeris, comitantibus omnibus bonis, maximâ vulgi frequentiâ*, ut ait Cor. Nepos in ejus vitâ. Annæum Senecam quoque *sine ullo funeris solemni* crematum tradit Tacitus lib. xv. nimirum *ita codicillis præscripserat, cùm etiam tàm prædives & prapotens supremis suis consuleret.* Et de Othone Imp. Suetonius: *Et celeriter & parvo cultu, nam ita præceperat, funeratus est.* Ex quibus locis & hoc apparet, solitos Romanos plerunque modum & rationem funeris sui hæredibus præscribere: quod longâ exemplorum serie demonstrare nihil est necesse: ex multis tamen pauca hæc affero. Augustum Cæsarem *mandata de funere suo uno volumine complexum esse*, Suetonius cap. ult. & Dio lib. LXXI. scribunt. Julium Frontinum quoq; vetuisse *omnino monimentum sibi fieri* additis his verbis: *Impensa monumenti supervacua est, memoria nostri durabit, si vitam meruimus*, legimus apud Plinium lib. IX. Ep. XIX.

Ep. XIX. qui etiam alibi scriptum reliquit Cæcilium Isidorum testamento suo funerari se jussisse HS. XI. M. Atq; hæc sunt quatuor ista, quorum vel unius vel plurium in qualibet Funeratione habitam esse rationem diximus.

His diligenter consideratis, reperio Funera fuisse duûm generum: Indictiva & Tacita. Indictivum funus erat, teste Festo, *ad quod per præconem populus evocabatur*, ab Indicendo dictum, quâ voce in hoc significatu veteres usi. Suetonius in Cæsare: *Funere indicto, rogus extructus est in campo Martio.* Utitur & Cicero, quanquam per transslationem, in oratione pro Domo suâ ad Pontifices: *Qui etiam de me ipso cum tua rogatione funere elatam Rempublicam esse dicerent, tamen id funus etsi miserum atque acerbum fuisset, jure indictum esse dicebant: quod de me civè ac de Republic. benè merito tulisses, funestum funus te indixisse Reipubl. quod salvus auspicijs tulisses jure egisse dicebant.* Et de Provinciis Consularibus. *Itaq; vir summâ autoritate, summa eloquentiâ dixit graviter, easum illum meum funus esse Reipublicæ, sed funus justum & indictum.*

Sole-

Solemnia autem hujus Indictionis verba fuère ejusmodi: *Ollus Quiris Letho Datus Est. L. Titio Exequias Ire, Cui Commodum Est, Jam Tempus Est. Ollus Ex Ædibus Ecfertur*, ut jam olim observavit illustris Scaliger ex Terentio & Varrone: quorum ille in Phormion. Act. v. Sc. ult. *Exsequias Chremeti, quibus est commodum, ite, hem tempus est.* Hic verò lib. iv. de Ling. Lat. *Ædes*, inquit, *ab aditu, quod plano pede adibant. Itaq; ex ædibus efferri Indictivo funere præco etiam eos dicit, qui è tabernis efferuntur.* Et lib. v. *Alterum apparet in Funeribus Indictivis, quum dicitur, Ollus letho datus est.* Id quod etiam Festus notavit, qui, quantum ex literarum vestigiis conjectare licet, in voce *Quirites* scripserat, *Quiris etiam singulari numero à nonnullis usurpari: indicioq; esse præconis vocem, qui in Funeribus Indictivis prædicabat: Ollus Quiris letho datus est.* Hoc igitur, ut dixi, modo populus per præconem publicitus evocabatur ad Funera Indictiva, quæ amplissima fuisse, & præter alium sumptuosum apparatum

ratum quoq; ludis celebrata discimus ex eodem Festo : *Indictiva* inquit ille, *sunt quibus adhibentur non ludi modò, sed etiam desultores, quæ sunt amplissima.* Et ex Cicer. lib. 11. de Leg. *Reliqua sunt in more, Funus ut indicatur, si quid ludorum.* Huc pertinet Funus Publicum, quod nunc idem cum Indictivo fuisse existimo, nunc tantum ejus partem. Idem est, cum omnem amplioris ac splendidioris funeris apparatum denotat, quo ditiores potissimum ac primores civitatis sepeliebantur. de hoc Apulejus capiendus lib. 11. Metamorph. *Ecce jam ad ultimum defletus atq; conclamatus processerat mortuus, rituq; patrio unus de optimatibus pompâ funeris publici ductabatur per forum.* Pars autem est, cum vel justicium indicitur, ac publicus luctus, vel sumptus fiunt è publico. Utrunque quidem publicitus per præconem fuisse indictum arbitror : sed alterum non nisi decreto Senatus, alterum verò etiam privata interdum Domini funeris authoritate, puta, si quid ludorum, quos ditiores plerique post mortem suam

ſuam ſibi fieri teſtamento ſolebant cavere. Atqui hos omnes publicis impenſis funeratos aut ob eorum mortem juſtitium indici ſolitum, non fit mihi veroſimile; qui ſcio hujuſmodi funere efferri, habitum ſemper fuiſſe pro eximio aliquo honore, quem Senatus aut Imperatores viris illuſtribus & benè de ſe aut Repub. meritis ſolebant decernere. Id quod δημοσίᾳ τάφῃ τιμεῖν, vel δημοσίᾳ θάπτειν, & *publico funere honorare* Scriptores appellant. Tributus is honor Siphaci quondam opulentiſſimo Numidiæ regi, quem teſte Valerio Max. lib. V. c. I. *captivum in cuſtodia Tiburi mortuum, publico funere ſenatus cenſuit efferendum, ut vitæ dono honorem ſepulturæ adjiceret.* Et Perſæ, qui cum, teſte eodem, poſt Pauli Æmilii triumpum *Albæ, in quâ cuſtodiæ causa relegatus erat, deceſſiſſet, Senatus quæſtorem miſit, qui eum publico funere efferendum curaret.* Xiphilinus de Tiberio καὶ δημοσίας τάφης ἔτυχε καὶ ἐπῃνέθη ὑπὸ τοῦ γαίου. Suetonius in Vitellio cap. 3. *Defunctum Senatus publico funere honoravit.* Dio de Sphæro Cæſaris Auguſti pædagogo & liberto lib. XLIIV. Σφαῖρον ὁ Καῖσαρ παιδαγωγόν τε καὶ ἐξελεύθερον αὐτοῦ γενόμενον

δημοσίᾳ

δημοσίᾳ ἔταψε. Et de L. Pisone Urbis præfecto, quem Tiberius publico funere honotavit, idem Dio lib. LVIII. Τόντε Πείσωνα τὸν πολίαρχον τελευτήσαντα δημοσίᾳ ταφῇ ἐτίμησεν, ὅπερ πυ καὶ ἄλλοις ἐχαρίζετο. Hinc illa veteris monumenti verba: *HUIC DECURIONES. FUNUS. PUBLICUM. STATUAM. EQUESTREM. CLYPEUM. ARGENTEUM. LOCUM. SEPULTURÆ. DECREVERUNT.* Sed nec fœminæ illustres hujus Funeris expertes fuêre. Attiam Cæsaris matrem δημοσίᾳ ταφῇ τιμηθεῖσαν scribit Dio lib. XLVII. De Livia Xiphilinus in Tiberio: οὐ μὴν οὐδὲ ἐς τιμὴν ἄλλό τι αὐτῇ, πλὴν δημοσίας ἐκφορᾶς καὶ εἰκόνων, ἑτέρων τε τίνων οὐδενὸς ἀξίων, ἔνειμεν. *Nullos honores illi tribuit præter funus publicum & imagines, aliaque nonnulla non magni momenti.* Nec dubium, quin multò plures hoc Funere sint elatæ: quarum nomina mihi jam memoria non suggerit. Hoc insuper addo, apud Græcos quoq; honorem publici funeris obtinuisse. Laertius de Democrito libr. IX. Τελευτήσαντα αὐτὸν, δημοσίᾳ ταφῆναι βιώσαντα ὑπὲρ τὰ ἑκατὸν ἔτη. hoc est, *vitâ functum publicè sepultum esse cum vixisset ultra centum annos.*

Pausanias in Arcadicis de Gryllo: Φαίνον-
ται δὲ οἱ Μαντινεῖς Γρύλλον μὲν δημοσίᾳ θάψαντες,
καὶ ἔνθα ἔπεσεν ἀναθέντες εἰκόνα ἐπὶ στήλης ἀνδρὸς
ἀρίστου τῶν συμμάχων, hoc est, *Quin apparet Mantinenses Gryllum publicè sepeliviſſe, & quo loco cecidit, ſtatuam ei poſuiſſe ac dicaſſe ſuper Cippum viri ſociorum fortiſſimi.* Et apud Maſsilienſes Græcorum coloniam, ut conjicere eſt ex Juſtini libr. XLIII. *audiverant urbem Romanam à Gallis captam incenſamq;. Quamobrem nunciatam domi Publico Funere Maſsilienſes proſequuti ſunt.*

Sed ad Romanos revertamur: apud quos Publicorum Funerum varia fuerunt genera, puta pro diverſitate honorum aut Magiſtratuum, quos defunctus olim geſſerat, ut ſunt: Prætoria, Conſularia, Cenſoria, Triumphalia: quemadmodum non obſcurè indicare videtur Polybius libr. VI. *Ubi autem præclarus aliquis ex domeſticis obijt, inſtituunt funeris apparatum, & circumfuſi qui ſimiles magnitudine & ſtatura videntur, veſtes capiunt: ſi Conſul vel Prætor fuit, purpura prætextas: ſi Cenſor, purpureas: ſi Triumphalis, auro intextas.* Poſtre-

ma

ma verba Græcè sic habent: ἐὰν μὲν ὕπατος καὶ στρατηγὸς ᾖ γεγονὼς, περιπορφύρους (intellige ἐσθῆτας λαμβάνουσι) ἐὰν δὲ τιμητὴς, πορφυρᾶς. ἐὰν δὲ καὶ τεθριαμβευκὼς, διαχρύσους. Ex quibus verbis videmus distinctum fuisse Censorium Funus à Triumphali, & hoc dignius: quod fortassean Polybii quidem temporibus ita fuit: sed sub Imperatoribus videtur confusum cum Censorio, ut rectè monuit antiquitatis promus condus Justus Lipsius. Omnia enim ornamenta, quæ Triumphali tribuit Polybius, reperire est in isto. Vide Xiphilinum in *Severo*. Deinde nemo Latinorum Triumphale nominat, nisi fortè Seneca, qui in Consolat. ad Martiam cap. III. Druso *funus triumpho simillimum fuisse ductum* affirmat. Deniq; Censorio funere tanquam dignissimo elati non solùm viri illustres & quib. summum honorem delatú ibant, ut Lucil. Largus omnium Cæsari Tiberio tristium lætorumq; socius. de quo Tacit. lib. IV. Annal. *Ita quanquam homini novo Censorium funus, effigiem apud forum Augusti publicâ pecuniâ Patres decrevêre.* Et Ælius Lamia Urbi præfectus teste eodem libr. VI.

Extremo anni mors Ælij Lamiæ funere Censorio celebrata: Verùm etiam ipsi Principes, ut Claudius autore Tacito libr. XII. *Decretum Claudio Censorium funus & mox Consecratio.* Item, Pertinax imperator, de quo Capitolinus: *Funus imaginarium ei & Censorium ductum est & ab ipso Severo funebri laudatione honoratus est.* Dignissimum igitur Censorium Funus, & quemadmodum inter Magistratus honoratissima Censura, eaq; κορυφὴ τῆς ἐμῆς ἀπάσης καὶ τρόπον τινὰ τῆς πολιτείας ἀπάσης ἐπιτελείωσις, ut Plutarchus vocat in Catone majore: sic inter Funera etiam illud primo loco. Spartianus in Ælio vero: *Funus Imperatorium* vocavit: in Opilio Macrino *Regium*, quæ appellationes isti seculo magis conveniebant.

Tantum de Funere Indictivo: cui Tacitum opposui, quod fiebat sine pompa, sine designatore, sine ludis, præcone & indictione. Seneca lib. 1. De Tranquillitate. cap. 1. *Vis tu nunc id agere, ne te posteri taceant? Morti natus es: minus molestiarum habet Funus Tacitum.* Ovid. l. 1. Fast. Eleg. 3.

Quocunq; adspiceres, luctus gemitusq; sonabant,
Formaq; non Taciti funeris instar erat.

Alio

Alio nomine appellatur Funus Vulgare: Capitolinus in M. Antonino Philosopho: *Tantaq; clementia fuit, vt & sumptu publico vulgaria funera juberet fieri.* Item Funus Commune: Ausonius Parentalibus:

Tu gremio in proavi funus commune locatus.

Etiam Plebejum Funus: Propertius lib. II. Eleg. XIV.

—— *adsint*
Plebeij parvæ funeris exequiæ.

Item Funus Translatitium. Suetonius Nerone cap. XXXIII. de morte Britannici: *Postero die raptim inter maximos imbres translatitio extulit funere.* Hujus generis fuisse videntur etiam Simpludiaria, de quibus Festus: *Simpludiaria funera sunt, quibus adhibentur duntaxat ludij corbitores q. quidam ea dixerunt esse, quibus neutrum genus interesset ludiorum.* Vide Scalig. ad Festum & libr. I. Auson. Lect. cap. XXIIX.

Porrò ad Tacita Funera pertinent etiam Acerba, hoc est, eorum qui intra tyrocinii diem & ante sumptam togam virilem moriebantur. Senec. Epist. CXXIII. *Quantulum enim à funere absunt & quidem Acerbo, qui ad faces & cereos vivunt?* Idem

libr. I. de Tranquil. cap. XI. *immaturas exequias* vocat. Et Juvenalis Sat. II.

Non prematuri cineres, non Funus Acerbum
Luxuriæ, sed morte magis metuenda senectus.

Quanquam Julianus Archiepiscopus Toletanus Acerba ab Immaturis hoc modo distinguit, ut illa sint Infantum duntaxat, hæc verò Juvenum. Sic enim libr. I. περὶ γενέσεως vel de origine humanę mortis cap. 51. *Tria sunt genera mortis, Acerba, Immatura, Naturalis. Acerba infantum: Immatura juvenum: Naturalis senum.* Græcis Ἄωροι θάνατοι vel ὁμοφανίαι νεκροὶ dicuntur. Larvata Funera quid sint, alibi ostendemus.

CAP. V.

De osculis quæ dabantur non solum morientibus, sed etiam jam jam in rogum ponendis. Causæ hujus ritus investigatæ. Animam in primo ore, labris tenere. Annuli morientibus detracti.

SEd jam tempus, ut in rem præsentem veniamus. Ordiar igitur ab ipso capite & quod ait Aristophanes ἀπὸ τῶν βαλβίδων. Cũ jam omnis vitæ spes in ægro decollasse, & anima in summo quasi ore versari videretur, jam jam è corporis hospitio emigratu-

gratura, amici & sanguine proximi, qui aderant, morientem solebant osculari, & corpus ejus amplecti, donec animam exhalaret. Cujus moris nihil apud scriptores frequentius. Seneca de Brevitate vitæ: *Cæsar patruus meus Drusum intima Germaniæ recludentem & gentes ferocissimas Romano imperio subjicientem in complexu & osculis suis amisit.* Ausonius Parentalibus carmine XXIII.

Illa manus inter genetricis & oscula patris
Occidit, Hispanâ tum regione procul.

Sic Augustum Cæsarem in osculis Liviæ defeciſſe, autor Suetonius in ejus vita, cap. XIC. Nec opus est pluribus in re adeo manifestâ & pueris etiam septuennibus notâ. At quâ de causâ Romani morientes osculati sunt? An quemadmodum peregrè abeuntes, sic etiam morientes osculo dimittendos censuerunt? mortem enim ad vitandam τὴν δυσφημίαν, antiqui *Abitionem* dixêre, ut multi notarunt. An verò exeuntem animam hoc modo excipere & in se transferre voluerunt? quod fieri posse, veteres muliebriter existimarunt. Cicero in Verrina V. *Matres ejus miseræ per-*

noctabant ad ostium carceris, ab extremo complexu liberûm excluſæ, quæ nihil aliud orabant, niſi ut filiorum extremum halitum excipere ſibi liceret. Virgil. IV. Æneid.

—— *date, vulnera lymphis*
Abluam, & extremus ſi quis ſuper halitus errat,
Ore legam.

Albinovanus in Epicedio de Liviâ:

Soſpite te ſaltim moriar Nero: tu mea condas
Lumina, & excipias hanc animam ore pio.

Et paulò antè Liviam deplorat, quod ipſi non licuerit, ut Senecæ verba uſurpem, conſolatione ad Martiam: cap. 2. filii oſcula gratumque extremi ſermonem oris haurire:

Non animam, inquit, *appoſito fugientem excepit hiatu,*
Nec traxit ſciſſas per tua membra comas.

Putabant enim antiqui animam à corpore diſceſſuram per os tanquam januam aliquam exire: atq; ideo *Animam in primo ore vel labris tenere* dicebant de iis, qui in mortis confinio. Seneca Epiſt. XXX. *Non dubitare autem ſe, quin ſenilis anima in primis labris eſſet, nec magna vi abſtraheretur à corpore.* Et in Hercule furente verſu 1310. Verba ſunt Antigonæ ad Herculem:

hanc

—— hanc animam levem
Fessamq; senio, nec minus quassam malis
In ore primo teneo.

Utitur & Cyprianus Sermon: De Cœna, cujus aureola, & omnibus, qui Christiani audimus, memoriter ediscenda, animoq; penitus infigenda sententia hæc est: *Sed in eodem articulo temporis, cum jam anima festinet ad exitum & egrediens ad labia exspirantis emerserit, pœnitentiam clementissimi* DEI *benignitas non aspernatur, nec serum est, quod verum, nec irremißibile, quod voluntarium: & quæcunq; necessitas cogat ad pœnitudinem: nec quantitas criminis, nec brevitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas (si vera contritio, si pura fuerit voluptatum mutatio) excludit à venia: sed in amplitudine sinus sui mater charitas prodigos suscipit revertentes, & volit nolit Novatus hæreticus, omni tempore Dei gratia recipit pœnitentes.*

Non autem de morituris solùm genus illud dicendi usurpatum: sed & iis, qui se invicem animitus osculabantur. Aristænetus libr. II. Epistol. VII. de osculis, quæ amantes invicem mutabant: ἐγλὺς μὲν τοῦ στό-

ματος ἡ καρδία, ἡ δὲ ψυχὴ τῶν θυρῶν, hoc est, *tum cor proximum ori, proximaque anima januæ suæ.* Et libr. eod. Epistol. XIX. οὐ μόνον στέρνῳ ἁρμόζοντες: ἀλλὰ καὶ φιλήμασιν ἐπισυνάπτοντες τὰς ψυχάς. Τοῦτο γὰρ τὸ φίλημα δύναται καὶ τοῦτό ἐστιν ὁ βουλόμενος. Σπεύδουσιν αἱ ψυχαὶ διὰ τῶν στομάτων πρὸς ἀλλήλας καὶ περὶ τὰ χείλη συναντῶσιν. Καὶ ἡ μίξις αὕτη γλυκεία γίνεται τῶν ψυχῶν, hoc est. *Non admotis solum pectoribus, sed juncta per oscula ipsis etiam animis. hoc enim osculum potest, hoc petit. Festinant invicem ad sese animæ per ora, concurruntquè circùm labias: fitquè ibi coitus animarum dulcissimus.* Allusit huc Plato carmine in Agathonem, quod est apud Laërtium & A. Gellium, libr. XIX. cap. XI.

Τὴν ψυχὴν Ἀγάθωνα φιλῶν ἐπὶ χείλεσιν εἶχον,
ἦλθε γὰρ ὁ τλήμων ὡς διαβησαμένη.

Quod alius apud Aul. Gellium & Macrobium libr. II. cap. II. in plures versiculos licentius liberiusq; sic vertit:

Dum semihulco savio
Meum puellum savior
Dulcemq; florem spiritus
Duco ex aperto tramite

Ani-

Anima tunc ægra & saucia
Cucurrit ad labias mihi, &c.

Huc pertinet & illud Lucilii Satyra XX.

Eduxiq; ollis animam in primoribus labris.

Sed quando hîc de osculis agitur, moneo veteres oscula fixisse non solum moribundis, & adhuc in viciniâ mortis versantibus; sed etiam jamjam in rogum ponendis, ut patet ex Propertii libr. 2. Eleg. Non tot Achæm. ubi sic ait:

Osculaq; in gelidis pones suprema labellis,
Cum dabitur Syrio munere plenus onyx.

Et Tibullus lib. 1. Eleg. 1.

Flebis & arsuro positum me Delia lecto
Tristibus & lachrymis oscula mixta dabis.

Porrò annulos quoq; morientibus detrahi solitos discimus à Plinio, qui libr. XXXIII, cap. 1. circa finem: *Gravatis somno*, inquit, *aut morientibus religione quadam annuli detrahuntur.* Exemplum in Tiberio, cui deficienti annulum extractum, quem mox resipiscens requisiverit, testis est Suetonius in ejus vita cap. LXXIII. Nec enim audiendi, qui Tiberium id mutandi hæredis causa fecisse censent. Nam, etsi

etsi quidem veterum consuetudo erat annuli traditione hæredem & successorem designare, quemadmodum Alex. Magn. ἐπιδὴ τὸ ζῆν ἀπέγνω τῷ ἑταίρῳ τὸ δακτύλιον ἔδωκε Περδίκκᾳ teste Dio. Siculo. Er vide plura apud Valer. Max. lib. VII. extremo: Hic tamen annulorum traditio id efficere non potuit exstante scilicet testamento. Ex hoc more intelligendus Æl. Spartianus, qui annuli spontaneum de digito casum inter signa mortis Hadriano Imp. oblata retulit: *Signa mortis*, inquit, *hæc habuit: Annulus in quo imago ipsius sculpta erat, sponte de digito delapsus est.* Fortè autem ideò detrahebantur annuli, ne in pollinctorum manus pervenirent. Nam pòst redditos iterum digito & unà cum cadavere combustos, non obscurè indicat Propertius lib. IV. Elegia: Sunt aliquid, &c.

Et solitum digito beryllon adederat ignis.

Cap. VI.

Oculi morientibus clausi. καθαιρεῖν, συναρμόττειν, συγκλείειν ὄμματα ὀφθαλμούς, condere, formare, operire, comprimere oculos. *Lex Mœnia explicata apud Varronem.* Κατευθύνειν *pro mori. In causas hujus ritus inquisitum. Papillas morituris albescere.*

Pro-

PRogredior ad ritum oculos mortuo claudendi Græcis pariter ac Romanis familiarem: quod illi καθαιρεῖν, συναρμόττειν, συγκλείειν τοὺς ὀφθαλμὸς ἢ βλέφαρα; hi verò *condere, formare, operire, premere, comprimere oculos* vel *lumina* dicebant, ut ex plurimis autorum locis apparet, quorum nonnulla hîc adscribam, & quidem eo ordine, ut uxores viris & contrà viros uxoribus, parentes liberis & vice versâ liberos parentibus, amicos denique & congnatos amicis & cognatis suis hoc officium præstitisse demonstrem.

Uxores maritis oculos condidisse clarum est ex Homero, qui in Necya fingit Agamemnonem querentem de officio hoc ab uxore sua Clytemnestra neglecto: Verba ejus ad Ulyssem hæc sunt:

— οὐδέ μοι ἔτλη ἰόντι περ εἰς ἀΐδαο
χέρσι κατ' ὀφθαλμοὺς ἐλέειν σύντε στομ' ἐρεῖσαι, hoc est, *Neque mihi eunti ad Plutonis domos voluit manibus oculos comprimere, neque os componere*, id est, malas hiantes & ἐκ τοῦ σφαδασμοῦ deformatas corrigere. Idem Homerus Odyss. ω.

οὐδ'

οὐδ' ἄλοχος πυλύδωρος ἐχείφρων πηνελόπεια
Κώρυσ' ἐν λεχέεσσι φίλον πόσιν, ὡς ἐπέοικεν,
Οφθαλμοὺς καθελοῦσα. τὸ γὰρ γέρας ἐστι θανόντων.

Ovidius libr. IV. Trist. Eleg. III. ad Conjugem:

Supremoq; die notum spectantia cœlum
Texissent digiti lumina nostra tui.

Maritos autem uxoribus supremum hoc officium exhibuisse, testatur Ariadne apud Ovidium in Epistola ad Thesea:

Ergo nec lachrymas matris moritura videbo?
Nec mea qui digitis lumina condat, erit?

De parentibus qui liberis oculos operuerunt, elegans locus est Homeri Iliad. λ. ubi Ulysses Soccum interficiens sic loquitur:

Αδείλ', οὐ μὲν σοίγε πατὴρ καὶ πότνια μητὴρ
Οσσε καθαιρήσουσι θανόντι περ.

hoc est, *Ah miser, non quidem tibi pater & honoranda mater oculos claudent mortuo.* Hinc Polynices ad matrem apud Euripidem Phœnissis:

Συνάρμοσον δὲ βλέφαρα μου τῇ σῇ χερὶ
Μᾶτερ, τίθησι δ' αὐτὸς ὀμμάτων ἐπὶ.

hoc est, interp. J. Gulielmio:

Iam claude mater oculos mihi manu tuâ
Simul oculis & ipsus imponit manum.

Lucanus lib. 3. de Argo jam animâ agente:

Ille ca-

Ille caput labens & jam languentia colla
Viso patre levat: vox fauces nulla solutas
Prosequitur: tacito tantùm petit oscula vultu
Invitatq; patris claudenda ad lumina dextram.

Ovidius lib. III. Amor. Eleg. VIII.

Hic certè manibus fugientes presit ocellos
Mater, & in cineres ultima dona dedit.

Mater Euryali apud Vergil. IX. Æneid.

Heu terra ignota canibus data præda Latinis
Alitibusq; jaces: nec te tua funera mater
Produxi presivè oculos, nec vulnera lavi.

Quid de liberis dicam? à quibus ut hoc officii sibi contingeret, parentibus unicè erat in votis. Tale votum Penelopes apud Nasonem in Epistola ad Ulyssem de Telemacho loquentis:

Dij precor hoc jubeant, ut, eunibus ordine fatis,
Ille meos oculos comprimat, ille tuos.

Optat idipsum Livia apud Albinovanum:

Sospite te fatim moriar, Nero: tu mea condas
Lumina & excipias hanc animam ore pio.
Atq; utinam Drusi manus altera & altera fratris
Formarent oculos comprimerentq; meos.

Mento apud Senecam lib. IX. Controvers. cap. IV. *Ita oculos meos filij manus operiant, ut ego inter liberos meos fortior steti.* Varius Maximus lib. II. cap. I. de muliere Asiana; *Cum jam visceribus rigorem cordi imminere esset locuta, filiarum manus ad su-*

ad supremum opprimendorum oculorum officium advocavit. Penelope Epist. 1. ad Ulyssem:

Respice Laërten ut jam sua lumina condas.
Extremum fati sustinet ille diem.

Meminit hujus ritus & Polyxena matrem consolans sollicitam de filii Polydori salute apud Euripidem Hecuba:

Ζῇ καὶ θανόντος ὄμμα συγκλείσει τὸ σὸν.

Commodùm hîc mihi in mentem venit legis Mœniæ, qua interdiu hoc officio defungi filiis interdictum fuisse quidam existimant. Extat ea apud Varronem in Geminis: *Contrà lex Mœnia est in pietate, ne filij patribus luci claro sigillent oculos*, hoc est, Claudant & quasi obsigillent. Nonnulli ita interpretati sunt, quasi caveatur, ne filii morituris patribus oculos occludant: sed ut id faciant propinqui & necessarii. Alii filiis id quidem licuisse arbitrati, sed velarium fuisse obductum, aut clausas fenestras, ne assistentes viderent oculos morientis. Neutrum placet. Potius assentior CL. v. Antonio Augustino Tarraconensi Archiepiscopo, existimanti dictum id per translationem esse, videlicet ne parentum

rentum mortem maturent, iisq; ſpiritum adhuc ducentibus oculos operirent. Verum ne longiùs abeam, Fratrem quoque fratri oculos compreſſiſſe videre eſt ex Epicedio Pedonis ſæpius jam laudato:

Lumina cærulea jam jamq; natantia morte
Lumina fraternas jam ſubitura manus.

Adhunc ritum procul dubio reſpexit Bion apud Laërtium libr. IV. qui εὔκολον ἔφασκε τὴν εἰς ᾅδου ὁδὸν καταμύοντας γοῦν ἀπιέναι. *Facilem eſſe dicebat ad inferos viam: clauſis enim oculis illuc ire.* Itaque etiam καταμύειν pro mori veteres uſurpabant, εὐφημισμοῦ χάριν. Lucianus; καὶ μεγάλας ἐλπίδας ἔχομεν παρ' αὐτοῦ, ἢν ὁ γέρων μόνον καταμύσῃ. Morientibus igitur clauſi oculi. Nam nefas eſſe Romani exiſtimabant eos ſupremùm ab homine ſpectari. Plinius diſertè lib. XI. cap. XXXVII. *Morientibus oculos operire, rurſusq; in rogo patefacere, Quiritium magno ritu ſacrum eſt: ita more condito, ut neq; ab homine ſupremùm ſpectari fas ſit, & cœlo non oſtendi nefas.* Fortè etiam eoipſo indicare voluerunt, mortem ferè ſomnum quendam eſſe aut ſomno quàm ſimillimum; Vel cavere ne horror aliquis circumſtantibus oboriatur,

cum terribile appareat apertis oculis à mortuo velut conspici: Vel etiam gratificari ipsis morientibus, quibus maximæ curæ esse solet, ut membris decenter compositis è vita migrent. Sic enim Augustus Cæsar eo die qui supremus ipsi illuxit, *petito speculo capillum sibi comi ac malas labantes corrigi præcepit*, teste Suetonio, cap. xcix. Hinc *formare oculos* dixit suprà Albinovanus. De ritu autem corrigendi & dirigendi distorta mortuorum membra, quod Græci κατορθοῦν & ἐκτείνειν dicebant, vide Casaubonum lib. ii. Animadvers. Suetonianarum, & Petrum Victorium libr. x. Var. Lect. capit. xx. Notandum hic etiam, quod Physici tradunt, pupillas solere morituris albescere. Servius in illud Virgilii:

Dat somnos adimitq; & lumina morte resignat.

Physici dicunt pupillas, quas in oculis videmus, morituros ante triduum non habere: quibus non visis est summa desperatio. Idem alibi ad hunc versum: Ut senior letho canentia lumina solvit; notat: *Physicam rem dicit;*

dicit: *dicuntur enim pupillæ mortis tempore albescere.* Quomodo autem pupilla diffundatur, ut desinat apparere, medici docent, cum περὶ ὑποχύσεων ὀφθαλμῶν disputant. Vegetius lib. II. artis veterinariæ, cap. XVI. *Cum accidit suffusio, oculus videtur incolumis, nullis lachrymis, nullo sanguine, nulla indignatione prodit injuriam, sed uno tantum declaratur indicio, quod cum pupillæ ipsius imaginem tuam tanquam in speculo videre non potes.* Capitolinus in pertinace: *Signa interitus hæc fuerunt: Ea die qua occisus est, negabant in oculis ejus pupillas cum imaginibus, quas reddunt spectantibus, visus.*

CAP. VII.

De lotione & unctura mortuorum. Plinii προοίμια *de unguentis. Causa hujus unctionis quæ exsequias præcedebat, indicata.*

PEregi de *Morientibus* & in mortis quasi vicinia constitutis: sequitur jam, quid *Mortuis* factum & *ante Funerationem & in Funeratione & post Funerationem.* In hæc tria enim summa capita omnem hanc funebrem materiam divisimus, de singulis,

ut quidem noster captus est, subtiliter acturi & partitè.

Ac *Ante Funerationem* omnium primò *Lotio* occurrit & *Vnctura*. Nam simul quis animam efflasset, corpus ejus statim lavari solebat & ungi, hoc quoque ritu priscæ Græciæ, ut sunt pleriq; alii, cum Romanis communi. De lotione clarum ex Euripide, apud quem in Phœnissis Creon Jocasten accersit, ut filium suum mortuum lavet:

ἐγὼ δ' ἥκω μεταστέλλων
Αδελφὴν Ιοκάστην, ὅπως
Λούσῃ, πρόθηται δ' οὐκέθ' ὄντα παῖδ' ἐμὸν

hoc est, interpr. J. Gulielmio:

Ipse ad sororem eo Jocastam, vt abluat
Cadaver illa filij atq; collocet.

Et in eadem Tragœdia circa finem Antigone à Creonte petit, ut sibi fratrem lavare liceat:

Σύ δ' ἀλλὰ νεκρῷ λουτρὰ περιβαλλεῖν μ' ἔα.

At tu abluam saltem concede mortuum.

Apulejus lib. VIII. Metamorph. *Tunc properè familiares, miseræ Charites accuratissimè corpus ablutum unita sepultura ibidem marito perpetuam conjugem reddidêre.* Apud Dardanenses autem quàm solemnis hujusmo-

jusmodi Lotio fuerit audiamus ex Æliano qui libr. IV. Variæ histor. cap. I. ὅτι Δαρδανεῖς, inquit, τοῦ ὑπὸ τῆς Ἰλλυρίδος ἀκούω τρὶς λούεσθαι μόνον παρὰ πάντα τὸν ἑαυτῶν βίον, ἐξ ὠδίνων καὶ γαμοῦντας καὶ ἀποθανόντας. *Dardanenses Illyricos ter tantum lavari audio per universam vitam, & post partum, & cum nuptias inirent, & post mortem.* Sed & in primitiva Ecclesia receptam fuisse lotionem, apparet ex IX. cap. Actuum, ubi Tabitham vita functam confestim lotam fuisse, manifestè legimus. Meminit ejus moris etiam Tertullianus, qui inde jocum captavit in Apol. C. XLII. *Non lavor diluculo Saturnalibus, ne & noctem & diem perdam. Attamen lavor honesta hora, & salubri, quæ mihi & colorem & sanguinem servet. Rigere & pallere post lavacrum mortuus possum.* Cujus loci hæc est sententia interprete Desid. Heraldo: Nolo ex lavacro matutino rigorem & pallorem mihi contrahere: satis mihi est, quod mortuus rigere & pallere debeo post lavacrum, quo mortui procurantur. Nam fieri nequit, ne ii qui diluculo lavantur palleant & de sanguine amittant.

Non autem lota solùm, sed unguento-

rum usu invalescente etiam ungi cœperunt mortuorum cadavera, sive ea terræ mandanda essent, sive igni comburenda. De cujusmodi unctura intelligendus Plinius secundus libr. v. Epist. xvi. *Non possum exprimere verbis, quantum animo vulnus acceperim, quum audivi, Fundanum ipsum præcipientem, quod in vestes, margaritas, gemmas fuerat irrogaturus, hoc in thura & unguenta & odores impenderetur.* Apulejus Apol. *Etsi thus & casiam & myrrham, cæterosquè id genus odores funeri tantum emptos arbitreris, cum & medicamento parentur & sacrificio.* Macer libr. i. ad Leg. xx. Hæreditatum: *Funeris sumptus accipitur quicquid corporis causa, velut unguentorum, erogatum est.* Allusit hunc ritum Martialis, lepidum hinc dicterium trahens in hominem, qui convivas affatim exterius, sed non interius perfuderat:

Unguentum fateor bonum dedisti
Convivis, here, sed nihil scidisti.
Res salsa est, benè olere & esurire;
Qui non cœnat, & unguitur Fabulle,
Is vero mihi mortuus videtur.

Sed

Sed omnium disertissimè Plinius libr. XIII. hist. naturalis cap. I. *Postea voluptas ejus* (unguentum intelligit) *à nostris quoque inter laudatissima atque etiam honestissima vitæ bona admissa est: Honosq; is & ad defunctos pertinere cœpit.* Sed ut hoc obiter moneam, duplex eo loci magni istius viri πρόσημα. Unum quod ignorata dicit Iliacis temporibus unguenta: Alterum à Persis primum ab Alexandro Magno devictis usum eorum ad Romanos Græcosque transfisse. Verba ejus hæc sunt: *Unguenta Iliacis temporibus non erant nec thure supplicabatur.* Et mox: *Persarum esse debet gentis unguentum. Illi madent eo & acerrita commendationis ingluvie natum virus extinguunt. Primum quod equidem inveniam, castris Darij regis expugnatis in reliquo ejus apparatu Alexander cepit scrinium unguentorum.* De primo audiamus judicium viri eruditissimi & τῶν ἰατρῶν πρωτοφώτου Hier. Mercurialis in libro de Decoratione cap. ult. *Quo tempore*, inquit ille, *inventa fuerint unguenta, invenio Plinium lib. XIII. esse deceptum, qui scripsit tempore Trojano non fuisse unguenta: cum tamen Home-*

Homerus mentionem faciat unguentorum & Homero antiquior Moses. Ac Mosis quidem loca de funeratione Jacobi & Josephi cuivis sunt in promptu. De Homero autem jam pridem Athenæus monuit libr. xv. ὁδ' ὅμηρος τὸ μὲν χρῆσιν οἶδε τῶν μύρων, ἔλαια δ' αὐτὰ καλεῖ μεθ' ὑπαθέτων. ῥοδόεντι δ' ἔχρισεν ἐλαίῳ. καὶ ἡ ἀφροδίτη αὐτῷ τ' ἔκτορος νεκρὸν, ῥοδόεντι χρίσεν ἐλαίῳ Ambrosiῳ. *Unguenta & Homerus novit, sed μύρα nomen haud novit, ἔλαια nominans cum Epitheti adjectione.* Sed hujus ἁμαρτήματος μνημονικῆς excusationem fortean meretur Plinius sacrarum literarum ignarus: Quandoquidem Homeri etiam loca per παράλειψιν accipi possent; verùm alterum illud multo gravius est, vix tanto viro dignum. Nam longè ante Darium devictum [quod accidit circa olympida CXII. vel annum ab urbis conditu CCCCXXII.] unguenta Romanis suis fuisse cognita, ab iisq; usurpata in hac ipsa funeratione, scire poterat vel ex XII. *servilem unctiuram* prohibentibus: quam legem Romano scriptori in mentem non venisse, nequeo equidem satis mirari. Mitto, Anacreontem quoq;, quem circa olympida LXV. vixisse ple-

plerique asserunt, hujus feralis unctionis meminisse. Sic enim ille in Odis:

Τί τε δεῖ λίθον μυελίζειν; *Tumulū quid est quod ungas?*
Τί δε γῆ χέειν μάτην, *Vel humo quod ebibenda,*
Ἐμὲ μᾶλλον, ὡς ἔτι ζῶ *Peritura dona fundas?*
Μύεσσον ῥόδοις δε κρᾶτα *Potius manente vita*
Πίκασσον hoc est inter- *Roseas meo corollas*
pret. H. Steph. *Capiti ferasq; odores.*

Verum hæc nimis generaliter ita à nobis dicuntur. plures enim feralium hujusmodi unctionum differentiæ, de quibus singillatim suo loco. Nam nunc tantum unguentatos fuisse mortuos non multò post efflatam animam, nimirum ante exsequias & collocationem erat ostendendum: id quod planum est ex Persio Sat. III. funus alicujus divitis depingente:

—— *tandemq; beatulus alto*
Compositus lecto crassisq; lutatus amomu, &c.

Et Apulejo libr. I v. Florid. ubi hominem describit qui jam in rogum erat exportandus: *Jam miseri illius membra omnia aromatis perspersa, jam os ipsius unguine odoro delibutum, jam eum pollinctum, jam cœnæ paratum (contemplatus enim diligentissimè) quibusdam signis animadvertit, &c.* Ac causa hujus unctionis erat, ut fœtor à corpore

mortuo arceretur. Monuit Lucianus de luctu: Μετὰ πολλὰ δὲ λέσωπες αὐτοῦ, ὡς ἐκ ἱκανῆς τῆς κάτω λίμνης λετρὸν εἰ ας τοῖς ἔκει, καὶ μύρῳ τῶ καλλίςῳ χρίσωπες τὸ σῶμα πρὸς δυσωδίαν ἤδη βιαζόμενον. Qua fini etiam Acerram mortuo appositam existimo. Festus: *Acerra ara quæ ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebantur.*

Cap. VIII.

Vnctura feralis usurpata etiam à Iudæis & Christianis. Ejus origo ab AEgyptiis, quorum ritus nonnulli indicantur. Usi veteres in condiendis corporibus mortuorum, Sale, Nitro, Cedro, Asphalto, Melle, Cerâ, Myrrha, Balsamis. Gypso, Calce.

NEC verò Romani solum: sed & pleræque omnes gentes humaniores, hunc ritum ungendi usurparunt. De aliis taceo: apud Judæos unctura obtinuisse, videre est ex Joanne Evangelista, qui cap. xix. corpus Salvatoris nostri aromatis delibutum narrat καθὼς ἔθος ἐστὶ τοῖς Ιουδαίοις ἐνταφιάζειν. Vel, ut Nonnus ait:

Ὡς νόμος Ἑβραίοις ἐπιτύμβια θέσμια φυλάσσειν.

Et ex Matthæo cap. xxvi. ubi Christus Mariæ

Mariæ peccatricis, à qua ungebatur, pietatem laudans: ἔργον, inquit, καλὸν ἠργάσατο εἰς ἐμὲ. Βαλοῦσα γὰρ αὕτη τὸ μύρον τοῦτο ἐπὶ τοῦ σώματός μου πρὸς τὸ ἐνταφιάσαι με ἐποίησεν. *Opus bonum operata est erga me. Quod enim hæc unguentum hoc misit super corpus meum ad sepeliendum me fecit.* Nec fallit in eo Tacitus, quamvis rerum Judaicarum imperitus. nam & hic scriptum reliquit, *Judæos corpora condere quàm cremare è more Ægyptio.* Transiit is mos deinde & ad Christianos, quod ex S. Patrum scriptis discimus, qui sæpissimè eum tangunt. Tertullianus Apologet. cap. XLII. *Thura planè non emimus. Si Arabiæ queruntur, sciant Sabæi pluris & carius suas merces Christianis sepeliendis profligari, quàm Dijs fumigandis.* Idem de Resurrectione carnis: *Proinde enim & corpora medicata condimentis sepulturæ mausoleis & monumentis sequestrantur.* Et in De Idolatria loquens de aromatibus: *Etiam hominibus*, inquit, *ad pigmenta medicinalia, nobis quoq; insuper ad solatia sepulturæ usui sunt.* Clemens Alexand. lib. II. Pædag. cap. VIII. *Nimiæ unguentorum unctiones justa quæ fiunt, mortuis potiùs, quàm fami-*

familiarem vitæ consuetudinem redolent. Minucius Felix Octavio inter crimina Christianis objecta: *Non floribus caput nectitis, non corpus odoribus honestatis; reservatis unguenta funeribus.* Rectè autem Tacitus institutj hujus originem ad Ægyptios retulit, ex quorum ritu Josephus pollinctoribus suis in mandatis dedit, ut patrem Jacobum vitâ functum aromatibus condirent. Et paulò post Josephus ipse simili ritu ab Ægyptiis sepultus legitur Genesi extremâ. At qua ratione & modo Ægyptii corpora mortuorum condierint, multis narrat Herodotus lib. II. & Diodorus Siculus libr. II. cap. v. quorum loca longum foret huc transcribere. Hoc tantum addo, quosdam ex Ægyptiis hunc morem habuisse, ut mortuos suos unctos & ita conditos ne facilè putrescerent, domi secum servarint. Cicero I. Tusc. *Condiunt Ægyptii mortuos, & eos domi servant.* Pomp. Mela. lib. I. c. IX. de Ægyptiis loquens: *Mortuos nec cremare nec fodere fas putant: verùm arte medicatos intra penetralia collocant.* Sextus Philosophus libr. III. Pyrrhon. hypothes. cap. XXIV. *Ægyptii intestina extrahentes condi-*

condiunt defunctos & secum super terram habent. Imò etiam mensis adhibebant, tanquam convivas; unde Silius Italicus libr. XII.

——— *AEgyptia tellus*
Claudit odorato post funus stantia saxo
Corpora & à mensis exanguem haud separat umbram.

Cujus consuetudinis oculatum testem advoco Lucianum in De luctu: Ταχρᾶς δ' ὁ Αἰγύπτιος. ἔτος μὲν τοι, λέγω δὲ ἰδὼν, ξηρὰς τὰ νεκρὸν σύνδειπνον καὶ συμπότην ἐποιήσατο. Sed quod amplius est, interdum etiam parentum aut amicorum cadavera hoc modo medicata creditoribus pignoris loco deponebant, teste eodem Luciano dicto libro: Πολλάκις δ' καὶ δεομένῳ χρημάτων ἀνδρὶ Αἰγυπτίῳ ἔλυσε τὴν ἀπορίαν, ἐνέχυρον ἢ ὁ ἀδελφὸς ἢ ὁ πατὴρ γυμνὸς ἐν καιρῷ. Qui verò pignus illud non solveret, eum maxima manebat infamia ac privatio sepulturæ. Diodor. Siculus libr. I. νόμιμον δ' ἐστὶ παρ' αὐτοῖς καὶ τὰ διδόναι τὰ σώματα τῶν τελευτησάντων γονέων εἰς ὑποθήκην: Τοῖς δὲ μὴ λυσαμένοις ὄνειδός τε μέγιστον ἀκολουθεῖ καὶ μὴ τὴν τελευτὴν, στέρησις τάφης.

Cæterum usos reperio veteres in condiendis mortuis & putredine abigenda potissimum Sale, Nitro, Cedro, Asphalto,

to, Melle, Cerâ, Myrrha, Balſamis, Gypſo, Calce.

De Sale Plinius libr. XXXI. cap. IX. *Salis*, inquit, *natura eſt per ſe ignea & inimica ignibus fugiens eos, omnia erodens, corpora verò aſtringens, ſiccans, alligans: defuncta etiam à putreſcendo vindicans, vt durent ita per ſecula.* Et Eunapius ſalita martyrum corpora irridet De vitis Philoſop. Ædeſio.

Nitrum etiam, teſte Herodoto libr. II. carnes ita tabefacit, ut mortui tantum cutis & oſſa relinquantur. Τὰς σάρκας τὸ νίτρον κατατήκει. Καὶ δὴ λείπεται τοῦ νεκροῦ τὸ δέρμα μόνον καὶ τὰ ὀστέα.

De Cedro Scholiaſtes Nicandri Θηριακοῖς: ἡ κεδρὸς σοῦ νεκροὺς ἀσήπτους ποιεῖ τὸ νοτερὸν καὶ τὸ ῥευστικὸν ἐξωθοῦσα, ὅθεν καὶ νεκρῶν ζωὴν ἔνιοι αὐτὴν ἐκάλεσαν. Plinius libr. XXIV. capit. V. *Cedrus magna, quam Cedrelatem vocant, dat picem, quæ Cedria vocatur. Defuncta corpora incorrupta ævis ſervat, viventia corrumpit; mirâ differentiâ, cum vitam auferat ſpirãtibus, defunctis pro vita ſit.* Huic Cedriæ ineſſe vim, ξηραίνειν καὶ ἄσηπτα φυλάττειν τὰ τεθνεῶτα μόρια. Galenus ſcribit lib. 7. ſimp.

simp. medicament. quam Dioscorid. φυλακὴν τῶν νεκρῶν σωμάτων appellavit libr. I. de Cedro.

Asphalto autem, hoc est, bitumine, quod in mari Sodomæorum legitur, Ægyptios usos tradit Strabo lib. XVI.

Maximè verò ob hanc virtutem Mel commendatur, de quo Plinius libr. XXII. cap. XXIV. *Mellis quidem ipsius natura talis est, ut putrescere corpora non sinat, jucundo sapore, atq; non asspero, aliâ quam salis natura.* Atq; ideo Democritum mortuos in melle servandos statuisse, autor Varro, cujus testimonium supra laudavimus. Babylonios hoc ritu cadavera sua condiisse, memoriæ prodidit Herodotus libr. I. Alexandrum Magnum quoq; hoc modo conditum præter plerosque historicos etiam Statius libr. III. Syl. in Propemtico Metii Celeris indicat:

Duc & ad Emathios manes, ubi belliger urbis
Conditor Hyblæo perfusus nectare durat.

Idipsum de Hippocentauro, qui Claudio Cæsari allatus fuit ex Ægypto, narrat Plinius dicto loco, & Athenæus lib. II. Agesipolin quoque Spartiaten, cùm è Macedonia

donia cum exercitu rediret, in vicinis Olynthi oppidi locis gravi morbo correptum, mortuumque septima die in melle conditum Lacedæmonem esse reportatum, atq; regia sepultura ornatum, autor est Xenophon libr. v. de rebus gestis Græcorum.

Ab hoc ritu non multum abit Persarum consuetudo, qui Cerâ mortuos oblinebant. Herodotus lib. i. καταχηρώσαντες δὴ ὧν τὸν νεκρὸν Πέρσαι, γῇ κρύπτουσι. Quod ipsum & Cicero affirmat. i. Tuscu. *Persæ jam cera circumlitos condiunt, ut quàm maximè permaneant diuturna corpora.* Et Strabo lib. xv. Θάπτουσι δὲ κηρῷ περιπλάσαντες τὰ σώματα. Idipsum Scythis tribuit Herodo. lib. iv. De Agesilao sic loquitur Æmilius Probus: *Ibi eum amici, quò Spartam facilius proferre posset, quod mel non habebant, cerâ circumfuderunt, atq; ita domum retulerunt.*

Myrrha etiam corpora mortuorum condita fuisse, ne putrescerent, tradit Philo Carpathiorum Episcopus in Cantica. Meminit & Prudentius in Cathem. hymno de defunctis:

Can-

Candore nitentia claro
Pratendere lintea mos est,
Aspersaq; myrrha Sabæo
Corpus medicamine servat.

De Balsamis Corippus lib. III. de funere Justiniani Imperatoris:

Thura Sabæa cremant, flagrantia mella locatis
Infundunt pateris & odoro balsama succo,
Centum alia species, unguentaq; mira feruntur
Tempus in æternum sacrum servantia corpus.

Inscriptio Hispanica: *MATER. AD. LUCTUM. ET. GEMITUM. RELICTA. EUM. LACHRIMIS. ET. OPOBALSAMO. VDUM. HOC. SEPULCHRO. CONDIDIT.* vide Arnob. libr. V.

Gypso Æthiopes induxisse suos mortuos jam arefactos, autor Herodot. lib. III.

Calcis quoq; usum huic fini non ineptum fuisse existimat amplissimus Vuelserus. Nam sive caro tabefacienda, calcis vivæ mordax & caustica vis est, teste Dioscoride lib. V. cap. XCI. sive cadavera alioquin exsiccanda, Galenus tradit calcem sæpius aqua lotam valde siccare, absque ulla mordacitate, lib IX. de simp. medic. facultat. Sic S. Afræ corpus ab Embricone Episcopo repertum *quondam candidissimo*

camento obductum fuisse, memoriæ proditum est: Et corpus D. Thomæ Apostoli ferè eodem modo conditum Melianore in Coromandelio littore sub Joanne III. Lusitaniæ rege inventum esse, autor Maffejus in Indicis libr. VIII. scilicet immista calci & arenæ candidissima specie ossa: apposita lanceæ cuspide & viatorii baculi frusto atque vase fictili.

Cap. IX.

Lotio mulierum fuit: unctura Pollinctorum. De Libitinariis & Venere Libitina. In hujus templo τὰ πρὸς τὰ ἀφροδίσια erant venalia. Servij Regis institutum, de conjiciendo nummo in arcarium Veneris Libitinæ. Funus locare. *De pollinctoribus.* Servilis unctura *apud Tullium quid?*

NIMIS fortè diu peregrinati sumus; ad Romanos remigrandum est: apud quos lota & uncta fuisse defunctorum corpora satis jam superque demonstratum est. Hujus verò muneris curam ad mulieres pertinuisse, Muretus libr. III. Var. Lect. cap. XIX. probat hoc versu Ennii:

Tarquinij corpus bona fœmina lavit & unxit.

Dicebantur hæ mulieres proprio nomine

mine Funeræ. Servius ad illud Virgil. IX. Æneid. *Nec te tua funera mater, Produxi, &c.* id est, *Funerea.* inquit. *Apud majores Funeras dicebant eas, ad quas funus pertinet, ut Sororem, Matrem. Nam Præficæ sunt planctus principes, non doloris.* Sed & apud Athenienses sequiorem sexum mortuos laviſſe, clarum ex Platonis Phædone, ubi Socrates venenum bibiturus sic loquitur: Δοκεῖ γάρ ἥδη βέλτιον εἶναι λελουμένον πιεῖν τὸ φάρμακον, καὶ μὴ πράγματα παρέχειν ταῖς γυναιξὶ παρέχειν τεκρὸν λέειν hoc est, *Nam mihi quidem consultius videtur, me prius lavari, quàm bibam venenum, nec mulieribus negotium facesſere, ut mortuum lavent.* Nec apud Chriſtianos hic mos desiit. Nam mulierculas potiſſimùm cadavera martyrum curaſſe, ipsarumque ſtudium in hoc pietatis officio præcipuè enituiſſe cùm alibi videre est, tùm in Actis SS. Tharaci, Probi & Andronici, quæ Baronius in II. Annal. Tomo edidit. Dicit ibi Maximus Præses: *Putas quia mulierculæ aliquæ corpus tuum habent aromatibus vel unguentis condire iniquiſſime? nam de hoc est cogitatio, ut reliquias tuas perdam.* Et paucis interjectis: *Nonne*

sic te perdam, & sicut antea prædixi, & reliquias tuas, ne mulierculæ in linteamine corpus tuum involvant & unguentis & odoribus adornent? Sed, sceleste, jubebo te comburi, & cineres hosce in ventum dispergam. Verum enimverò tenuioris quidem fortunæ homines fortean à fœminis ablui & ungi tantum soliti: nam ditiores plerumque ad hanc rem advocabant, qui cum cura & arte quadam mortuorum cadavera unguentis & odoribus oblinerent. Erat enim Romæ, ut hoc semel dicam, certum quoddam hominum genus, quod funebribus ejusmodi ministeriis obeundis victum quæritabat; Eos generali nomine Libitinarios vocabant à Libitina, quam Θάνατον τῶν περὶ τοὺς θνήσκοντας ἱερῶν θεὸν ἔσαν. id est, *Deam præsidem eorum, quæ defunctis justa fiunt*, Plutarchus appellat in Numa. Unde & pro ipsa morte usurpat Horatius libr. III. Oda XXX. *Multaq; pars mei Vitabit Libitinam.* Et lib. II. Epist. I. *Miraturq; nihil nisi quod Libitina sacravit*, de Poëtis, qui maximè sacri post mortem. Et pro lectulo, in quo mortui efferebantur, Sidonius libr. II. Ep. VIII. *Sed cum Libitinam ipsam flentes*

flentes omnes externi quoque prensitarent, remorarentur, oscularentur, sacerdotum propinquorumquè manibus excepta perpetuis sedibus dormienti similior illata est. Item pro ipso ferali hoc officio, quo Libitinarii fungebantur. Valer. Max. libr. v. cap. 11. *qui tunc Libitinam exercebant.* Denique pro quicquid ad curandum funus necessarium. Livius lib. XL. *Pestilentia in agris forisq; & conciliabulis & in urbe tanta erat, ut Libitina tunc vix sufficeret.* In Libitinæ enim templo venalia erant, quæcunq; ad sepulturam pertinebant. Plutarchus in Causis: Διὰ τὶ τὰ πρὸ τὰς ταφὰς πιπράσκουσιν ἐν τῷ τεμένει τῆς Λιβιτίνης; νομίζοντες Αφροδίτην εἶναι τὴν Λιβιτίνην. *Quid causæ est, quod in æde Libitinæ, quæ ad sepulturam pertinent, vendere consueverunt? Libitinam nihil aliud nisi Venerem esse existimantes.* Quo videtur respexisse & Phædrus libr. IV. Fabul. LXXVII. in Avarum:

Qui circumcidis omnem impensam funeris
Libitina ne quid de tuo faciat lucrum.

Sed audiamus à Plutarcho causas: Πότερον, inquit ille, καὶ τοῦτο τοῦ Νουμᾶ τοῦ βασιλέως φιλοσοφημάτων ἕν ἐστιν, ὅπως μανθάνωσι μὴ δυσχεραίνειν τὰ

τοιαῦτα, μηδὲ φεύγειν ὡς μιασμὸν; ἢ μᾶλλον ὑπόμνησίς ἐστι τοῦ φθαρτὸν εἶναι τὸ γενητόν; ὡς μιᾶς Θεοῦ τὰς γενέσεις καὶ τὰς τελευτὰς ἐπισκοποῦσης. Καὶ γὰρ ἐν Δελφοῖς Αφροδίτης ἐπιτυμβίας ἀγαλμάτιόν ἐστι πρὸς ὃ τοῦτ' κατοιχομένους ἐπὶ τὰς χοὰς ἀνακαλοῦνται. hoc est, *An hoc unum ex Numæ Pompilij institutis fuisse putandum est, vt discant homines talia non aspernari, nec tanquam rem pollutam aut sceleratam fugere? An verò ea re homines fragilitatis humanæ admoneri putant, quod una & eadem Dea principium & finem vitæ in potestate habeat: quippe quæ ingredientibus vitam vel decedentibus præsideat? Nam Delphis quoque Veneris Epitymbiæ est imaguncula, ad quam evocant eorum manes, quibus libant.*

Et quando hic semel in Libitinæ mentionem incidimus, non possum insigne institutum Servii Tullii Roman. regis præterire, qui ut sciret numerum nascentium, denascentium, virorum, adinvenit, uti propinqui nata prole certum aliquem nummum in ærarium Junonis Lucinæ inferrent: iidem aliquo mortuo in Veneris Libitinæ; & sumente quopiam virilem togam, in Juventutis, teste Dionysio

nysio Halicarnassæo libr. IV. Ἀρχαιολογ. cujus hæc sunt verba: Βουλόμενος καὶ τῶν ἐν ἄστει διατριβόντων τὸ πλῆθος εἰδέναι τῶν τε γιγνομένων καὶ ἀπογενομένων καὶ τῶν εἰς ἄνδρας ἐγγραφομένων, ἔταξεν ὅσον ἔδει νομίσματος κατοφέρειν ὑπὲρ ἑκάστου τοῦ προσήκοντος, εἰς μὲν τὴν τῆς Εἰληθείας θησαυρὸν, ἣν Ῥομαῖοι καλοῦσιν ἥραν φωσφόρον, ὑπὲρ τῶν γενομένων. εἰς δὲ τὴν τῆς Ἀφροδίτης ἐν ἄλσει καθιδρυμένον, ἣν προσαγορεύουσι Λιβιτίνην, ὑπὲρ τῶν ἀπογινομένων. εἰς δὲ τὴν Νεότητος ὑπὲρ τῶν εἰς ἄνδρας ἀρχομένων συντελεῖν; ἐξ ὧν ἤμελλε διαγνώσεσθαι καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν, ὅσοιτε οἱ σύμπαντες ἦσαν καὶ τίνες ἐξ αὐτῶν τὴν στρατεύσιμον ἡλικίαν εἶχον. Locum totum adscripsi, etsi illud de nummo in ærarium Veneris Libitinæ inferendo, tantùm ad nostrum propositum faciat: qui ritus, ut & reliqui planè exolevisse videtur, nec aliquod ejus vestigium in ullo scriptore me legere memini. Verosimile tamen est Libitinarios numerum morientium observasse, quod ut credam, me pervincit Suetonius in Nerone c. XCIII. *Pestilentia unius autumni, quâ triginta funerum millia in rationem Libitinæ venerunt.* Nimirum hoc genus hominum nō solùm quicquid ad exsequiarum apparatum requirebatur vendere: sed & operam suam fune-

funerum curatoribus solebat elocare; cujus ritus insigne testimonium est apud Valerium Maximum lib. v. cap. II. *M. Cornuto Prætore funus Hirtij & Parsæ jussu Senatus locante, qui tunc Libitinam exercebant, tum rerum suarum usum, tum ministerium gratuitum polliciti sunt, quia ij pro Republ. dimicantes occiderant; perseverantiâ, postulatione extuderunt, ut exsequiarum apparatus sestertio nummo, ipsis præbentibus, addiceretur: quorum laudem adjecta lege conditio auget magis, quàm extenuat, quoniam quidem quæstum contempserunt, nulli alij rei, quàm quæstui viventes.* Quo loci notanda phrasis *Funus locare*, de iis qui certo aliquo pretio cum Libitinariis solebant contrahere, ut omnem funeris apparatum suis sumptibus præstarent. Utuntur ea & alii. Plinius libr. VI. cap. LII. *Romæ quoq; Corfidium materteræ suæ maritum funere locato revixisse, & locatorem funeris ab eo elatum.* Seneca de Tranquillitate, cap. XI. *Dum illi hæres publicum funus esurienti locat.* Et Epist. IC. *Quàm multi cum maximè funus locatur: quàm multi cum vitalia eruuntur; quàm multi post luctum tuum lugent.*

Atque

Atque hinc lucem capit Plautus in Aulularia Sc. *Nimium libenter*, &c. ubi Euclio sic loquitur:

—— *Tum tu quidem optimum est*
Loca efferendum, nam jam credo mortuus est

Verùm etsi hi homines perquàm necessario in Republ. ministerio fungebantur: inter viles tamen habitos opinor propter sordidum & turpe genus vitæ: quandoquidem nulli alii rei vivebant, quàm quæstui, quem absq; plurimorum morte facere non poterant. Seneca libr. VI. de Beneficiis, cap. XXXVIII. *An tu Aruntium & Aterium & ceteros, qui captandorum testamentorum artem professi sunt, non putas eadem habere, quæ & Designatores & Libitinarios vota? Illi quorum mortes optent, nesciunt: hi familiarissimum quemq; ex quo propter amicitiam spei plurimum est, mori cupiunt.* Et paulò ante narrat, Demadem Athenis damnasse eum, qui necessaria funeribus venditabat, cum probasset, magnum lucrum optasse, quod contingere illi sine multorum morte non poterat. Hujusmodi igitur Libitinarii: quos credo dominos fuisse feralium horum officiorum,

& in familia ſua habuiſſe Pollinctores, Veſpillones, Uſtores & alios hujus farinæ, de quo ſingillatim dicemus ſuo loco. Jam de Pollinctoribus clarum ex Ulpiano l. v. D. De Inſt. action. *Si Libitinarius, quos Græcè* νεκροθάπτας *vocant, ſervum Pollinctorem habuerit, isq; mortuum ſpoliaverit, &c.* Horum autem erat mortuos ungere, unde & dictos illos putat Fulgentius *quaſi pollutorum Vnctores*, hoc eſt, *cadaverum Curatores.* Servius ad libr. IX. Æneid. à polline, *quo mortuis os oblinebant, ne livor appareret extincti.* Turnebus libr. XXIIX. Adverſ. capit. XXXI. à pelle ungenda, quaſi pellis unctores: quem non audio. Magis arridet, quod clariſſimus vir Fr. Junius adfert in Notis ad Tertullianum, Pollinctorem dici à verbo *Polincio*, vel ut alii volunt *Polinceo*: ac potiùs ut Gloſſarium à *Polingo* περιστέλλω νεκρὸν, σιροπλοκῶ, ἐνταφιάζω, *poliens ungo.* *Polire* autem curare eſt & colere: ut apud Nonium *Polire agros* dicebat Ennius pro colere. De quo Turneb. libr. XXIX. Adverſ. c. XX. Gloſſarium vetus *Pollinctor* ἐνταφιαστὴς. Item *Pollinctor* νεκροφόρος, νεκρόκοσμος, Lexicon Græcolati-

colatinum: Ταριχεύω νεκρὸν, *Polingo.* Hanc Etymologiam confirmat Prologus Pænulî Plautinæ:

Eorum alter vivit, alter est mortuus:
Propterea apud vos dico confidentius
Quia mihi pollinctor dixit, qui cum pollinxerat.

Pollinctores igitur mortuos ungebant, unde patet Sidonium impropriè Pollinctorem dixisse pro Ustore libr. III. Epist. XIII. *Enimvero illa sordidior est, atq; deformior, cadavere rogali quod facibus admotis semicombustum, moxq; sidente strue torrium devolutum, reddere pyræ jam fastidiosus pollinctor exhorret.* Quanquam cum in eadem familia fuerint, vero non est absimile, ussisse illos etiam non raro & exportasse mortuum, quem antea pollinxerant, & unum hominem fortè duo interdum munia functum esse. Sed Pollinctorum crebra fit mentio apud bonos scriptores. Apulejus in Hermagora: *Pollinctor ejus funeri dum unctionem parat.* Varro περὶ Φαινομένων: *Itaq; si plures dies inter medici discessum & adventum pollinctoris interfuerunt.* Arnobius huc respexit lib. I. adverss. gentes. *Unus fuit è nobis, qui redire in corpora jam dudum ani-*

animas præcipiebat efflatas? prodire ab aggeribus conditos? & post diem funeris tertium pollinctorum velaminibus expediri? Et jocum inde captavit Parasitus Plautinus Asinaria Sc: Ain' tu. ubi Demænetum visa uxore ejusque minis auditis metu esse exanimatum, & penè mortuum significaturus exclamat: *Ecquis currit pollinctorem accersere?*

Atque hæc de Pollinctura, quam legibus XII. tab. vetitam plerique existimant. Sic enim *servilem uncturam* apud Ciceronem I. de Legib: interpretãtur Turnebus, Ursinus, Marcilius, alii. Quanquam ne quid dissimulem, vero propius mihi videtur Decemviros voluisse, ne servis honor iste tribueretur. Quam explicationem confirmat lex Solonis, quæ servos ξηραλοιφεῖν vetabat. Plutarchus in ejus vita primori: Νόμον ἔγραψε δοῦλον μὴ ξηραλοιφεῖν μηδὲ παιδεραστεῖν.

Caput X.

De Mortuorum vestitu: qui in vulgo civium erat Toga. Pauperes non elati in albis vestibus. Ditiorum toga varia, pro conditione mortuorum. Honestissima autem purpurea, cujus & Lacedæmone usus. Dalmatica, Colo-

Colobium. *In fœmina quoq; vestium discrimen. Cura veterum in conficienda sibi funebri veste. Vivos, instante jam morte, splendidè sese vestire solitos, aliquot exemplis probatum.*

VERUM jam reliquos ritus breviter attexemus. Nam postquam hæc, quæ diximus, peregissent, vestibus etiam mortuorum corpora induebant. Ennius in Ctesiphone apud Macrob. libr. VI. cap. II.

—Neq; terram injicere, neq; cruenta
Convestire mihi corpora licuit,
Neq; misera lavere lacrymæ salsum sanguinem.

Apulejus libr. x. Metam. *Atq; ut erat adhuc feralibus amiculis obstrictus atq; obditus portatur ad judicium puer.* Quem morem, ut plerosque alios, salsè deridet Lucianus de Luctu, alludens veterum superstitionem existimantium mortuos in inferis rigere absque vestibus & frigore confici: Λαμπρῶς ἀμφιέσαντες, ἵνα μὴ ῥιγῷεν δηλονότι παρὰ τὴν ὁδὸν, μηδὲ γυμνοὶ βλέποιντο τῷ Κερβέρῳ. hoc est, *Splendidè vestientes ne algeant per viam, nevè nudi conspiciantur à Cerbero.* Quo pertinet & illud Herodoti Musa V. Εφη ἡ Μέλισσα ἐπιφανεῖσα οὔτε κατερέειν ἐν τῷ κέεται χώρῳ ἡ παρακαταθήκη. Ῥιγοῦντε γὰρ καὶ εἶναι γυμνὴ. τῶν γὰρ οἱ συγκατέθαψε ἱματίων ὄφελος εἶναι οὐδὲν, οὐ κα-

ἐναζωγραφήντων. Sed hæc erant Græculorum deliria: Nam Romani, ut ex sequentibus patebit, aliovorsum respexerunt, vestibus involventes mortuos: quorum communem per totam adeò Italiam amictum fuisse Togam, docuit nos Juvenalis Satyra III.

Pars magna Italiæ, si verum admittimus, in qua
Nemo togam sumit nisi mortuus.

Et Martialis libr. IX. Epigr. LVIII.

Et pallens toga mortui tribulis.

Apulejus lib. I. Florid. *Nam illic quoq; viderat hominem præsidere, hominem depugnare, togam quoq; parari & voto & funeri: item pallio cadavera operiri & Philosophos.* Ad quem locum Colvius: Toga voto paratur cum virilis sumitur: funeri, cum eâ cadaver involvitur. Hinc lucem capit Paulus Jurisconsultus in L. XIX. D. De in rem verso: *Filiusfamilias togam emit, mortuo deinde eo pater ignorans & putans suam esse, dedicavit eam in funus ejus.* Nam togam in funus alicujus dedicare, nihil aliud est, quàm in id eam dare, ut eâ mortuus involvatur.

Ceterùm toga illa fuit varia pro conditio-

ditióne eorum, quibus funus fiebat. Nam in vulgo civium & Tacito funere, vulgarem Togam, quæ alba erat, usurpatam existimo. Et de hac capiendus Plutarchus in Problem. qui inter alias causas, cur fœminæ in luctu utantur albis vestibus, etiam hanc ponit, quod ipse mortuus sit hujuscemodi veste indutus: πο σῶμα, inquit, τοῦ τεθνηκότος ἀμφιεννύουσι λευκοῖς. Et Artemidorus lib. II. cap. III. Ἀνδρὶ νοσοῦντι λευκὰ ἔχειν ἱμάτια θανατὸν προαγορεύει, διὰ τὸ σοῦ ἀποθανόντας ἐν λευκοῖς ἐκφέρεσθαι. hoc est, *Viro ægrotanti albas habere vestes mortem denotat: Propterea quòd mortui in albis vestibus efferuntur.* Agnosco hunc ritum & in Græcis. Homerus Iliad. Σ. de Patrocli funere:

Εν λεχέεσσι δὲ θέντες ἐανῷ λιτὶ κάλυψαν,
Ες πόδας ἐκ κεφαλῆς. καθύπερθε δὲ φάρεϊ λευκῷ.
In lectum autem imponentes linteo subtili texerunt,
Ad pedes à capite: desuper autem alba veste.

Pauperes tamen & tenuioris fortunæ homines non videntur elati in albis, monente eodem Artemidoro: οἶδα δὲ ἐγὼ, inquit ille loco laudato, πολλοὺς καὶ πένητας καὶ δούλους καὶ δεσμώτας νοσοῦντας, οἱ καὶ μέλανα δοκοῦντες ἔχειν ἱμάτια, ἀπέθανον. ἦν γὰρ εἰκὸς τούτους μὴ ἐν λευκοῖς διὰ τὴν ἀπορίαν ἐκκομισθήσεσθαι. hoc est,

Novi

Novi ego multos & pauperes & servos & vinctos ægrotantes, qui etiam cum viderentur sibi nigra habere vestimenta mortui sunt. Verosimile enim erat hos non in albis propter inopiam efferendos esse. Atqui hos vilibus pannis fuisse involutos existimo, monitus ab Eusebio in Chronicis: *Cassius Severus Orator egregius vigesimo quinto exsulij sui anno summâ inopiâ moritur, vix panno verenda contectus.* Sic Phyromachum helluonem ἐν τρύχει χλαίνης πελληνίδος *frusto Pellenicæ chlenæ* tectum leviter & solum dicis causa, ait Posidippus apud Athenæum lib. x. ut extremâ ejus paupertatem significaret. Nam τρύχος est frustum vestis laceræ, ῥάκος. De hujus igitur sortis hominibus intelligenda Artemidori verba lib. I. cap. x. οἱ ἀποθνήσκοντες ἐσχισμένοις ἐνειλοῦνται ῥάκεσιν, ὡς τὰ βρέφη, καὶ χαμαὶ τίθενται. Nam aliàs cadavera in honestissima veste efferri mos erat. Valer. Maximus lib. IV. cap. V. *Vt fratrem germanum esse cognovit, multum ac diu convitio Deos ob donum impiæ victoriæ insectatus, propè castra transtulit & pretiosa veste opertum rogo imposuit.* Lactantius lib. II. cap. IV. *Pari enim ratione defunctorum cor-*

pora

pora odoribus & pretiosis vestibus illita ac convoluta humi condant, quâ Deos honorant. Hieronymus in vita Paulæ: *Cur mortuos vestros auratis obvolvitis vestibus.* Suetonius in Nerone cap. L. *Funeratus est impensa ducentorum millium stragulis albis auro intextis, quib. usus Kal. Januarij fuerat.* Hinc qui publicè magistratum gesserant, vel bello honorem sibi quęsiverant, induebantur vestibus, quæ harum rerum indices essent: unde Polybius expressè magistratibus togam prætextam, Censoribus purpureâ, Triumphalibus auro intextam tribuit lib. VI. cujus verba suprà posuimus. Testatur idipsum Livius lib. XXXIV. *Purpura viri utemur: prætextati in magistratibus, in sacerdotiis, nec id ut vivi solùm habeamus insigne, sed etiam ut cum eo crememur mortui.*

Et hæc causa est cur Marcus Antonius, postquam Marci Bruti corpus liberto suo sepeliendum tradidisset, quo honoratiùs cremaretur, injici ei suum plaudamentum, τὸν φοινικίδα, jusserit, teste Val. Max. lib. V. cap. I. Et Appiano Ἐμφυλ. δ. Fortè huc Eutychianus Pontifex etiam respexit,

qui autore Damaso, constituit, *ut quicunq; fidelium martyrem sepelirct, sine Dalmatica aut Colobio purpurato nullatenus sepeliret.* Est enim Dalmatica, ut explicat Isidorus lib. xix. Orig. cap. xxii. *tunica sacerdotalis candida cum clavis & purpura*; sive, *cum duabus lineis*, ut Ammalarius de Eccles. offic. lib. ii. c. xxi. & Albinus de divin. officiis. Quæ quod manicata sit, crucis speciem aliquo modo referre videtur, hisdem autorib. Colobium vestem sine manicis esse ait Albin. idem significat Isidor. & innuit Servius in Virgilii ix. Æneid. *Et tunicæ manicas.* Jac. Cujacius lib. xii. observ. c. xxxix. annotavit Acronem Horatii interpretem. Latum clavum, Purpuram, quæ in Senatorum pectore extenditur, & Colobium pro re una eademq; accipere.

Non autem Romæ solùm: sed & Lacedæmone honestiores ἐν πορφύρᾳ elatos legimus. Quod generaliter factum absq; ullo discrimine docere videtur Plutarchus Νομιμ. Λακων. de Lycurgo loquens: Σωφάπτειν δὲ οὐδὲν ἐπέτρεψεν, ἀλλ' ἐν Φοινικίδι καὶ φύλλοις ἐλαίας θέντας, τὸ σῶμα κεῖσθαι καθ' ἴσον ἅπαντας hoc est, *Ne quid unà cum cadaveribus sepelirent,*

lirent, mandavit, præter puniceam vestem & olivæ folia, in quibus æquè omnes cadavera ipsa componerent. Distinguit tamen disertè Ælianus libr. x. Var. histor. cap. vi. & vult eos solos, quorum virtus inter ceteros enituerat, σὺ τελέως ἀριστεύσαντας ἐν φοινικίδι ταφῆναι: Mediocris autem fortitudinis homines ramis oleæ & aliis frondibus decoratos: οἱ δὲ καλῶς ἀγωνισάμενοι, inquit, καὶ ἀποθανόντες, θαλλοῖς ἀνεδοῦντο καὶ κλάδοις ἑτέροις καὶ δι' ἐπαίνων ἤγοντο. οἱ δὲ τελέως ἀριστεύσαντες καὶ φοινικίδος αὐτοῖς ἐπιβληθείσης ἐνδόξως ἐθάπτοντο. Sed ad Romanos revertamur: apud quos illud vestium discrimen non in viris tantum fuit observatum: sed & in matronis. Quarum enim filii magistratus curules gessissent, eas in honoratiore veste elatas, patet ex Propertio lib. iv. Eleg. ult.

Et tamen emerui generosos vestis honores.

Ceterum veteribus tanta semper cura fuit vestium funebrium, ut eas plerumque in vita sibi & suis conficerent: ut videre est apud Virgilium lib. ix. qui matrem Euryali sic querentem introducit:

—— Nec te tua funera mater
Produxi pressivè oculos, nec vulnera lavi:
Veste tegens, tibi quam noctes festina diesq;
Vrgebam, & telâ curas solabar aniles.

Sic Penelope ad Procos apud Homer. Odyſ. β,

Κοῦροι ἐμοὶ μνηστῆρες, ἐπεὶ θάνε δῖος ὀδυσσεὺς
Μίμνετ' ἐπειγόμενοι τὸν ἐμὸν γάμον, εἰ ζόκε φᾶρος
Εκτελέσω (μή μοι μεταμώλια νήματ' ὄληται)
Λαέρτῃ ἥρωϊ ταφηίον; εἰ ὅτε κέν μιν
Μοῖρ' ὀλοὴ κατέλῃσι τανηλεγέος θανάτοιο.
Μή τίς μοι κατὰ δῆμον Αχαιϊάδων νεμεσήσῃ
Αἴκεν ἄτερ σπείρου κεῖται πολλὰ κτεατίσσας. hoc eſt.
Iuvenes mei Proci poſtquam mortuus eſt divinus Vlyſſes
Suſtinete urgentes meas nuptias, donec linteum
Perfecero (ne mihi fila vana pereant)
Laerti Heroi pollinctum, quando tandem ipſum
Fatum malum prehenderit aſperæ mortis.
Ne aliqua me in populo mulierum Græcarum culpet,
Siquidem absq; tegumento jacuerit multa poſsidens.

Ex hoc ritu mortuos ſplendidè veſtiendi procul dubio ortum, ut etiam vivi in mortem, quam ſibi jamjam ſubeundam videbant, pretioſiſſimis veſtibus ſeſe exornarent, viri pariter ac mulieres. Cujus rei nonnulla exempla, quæ quidem jam mihi in mentem venerint, placet adducere. Ac fœminarum chorum mihi ducat Alceſtis, quæ pro marito ſeſe morti dare non recuſavit. Sic enim de illa Servus apud Euripidem in Tragœdia cognomine:

Επεὶ γὰρ ᾔσθεθ' ἡμέραν τὴν κυρίαν
Ἡκουσαν, ὕδασι ποταμίοις λευκὸν χρόα

Ελύ-

Ελέσθαι. ἐκ δ' ἐλέξατο κεδρίνων δόμων
Εσθῆτα, κοσμόν θ' ὅπερ ἐπῶς ἠσκήσατο.

Sequitur hanc Olympias magnanima illa Alexandri M. mater, de cujus animi constantia in perferenda morte Justinus lib. XIV. his verbis: *Sed Olympias ubi obstinatos venire ad se armatos vidit, veste regali duabus ancillis innixa ultrò obviam procedit.* Quid jam Cleopatram commemorem? de qua Florus lib. IV. *Ubi servari se triumpho videt, incautiorum nacta custodiam in Mausoleum* [*sepulcra regum sic vocant*] *se recepit, ubi maximo, ut solebat, induta cultu in differto odoribus solio, juxta suum se collocavit Antonium, admotis ad venas serpentibus, sic morte quasi somno soluta est.* De viris autem insigne exemplum habemus in Romanis Patribus, cum Galli duce Brenno urbem cepissent. Livius libr. V. *Romæ interim satis jam omnibus, ut in tali re ad tuendam arcem compositis, turba Seniorum domos regressa adventum hostium obstinato ad mortem animo expectabat. Qui eorum curules gesserant magistratus, ut in fortunæ honorumque, aut virtutis insignibus morerentur, quæ augustissima vestis est, thensas ducentibus*

triumphantibusvè, eâ vestiti medio ædium eburneis sellis sedêre. Et Varo Quintilio apud Paterculum, lib. II. *Varus autem Liberti, quem id facere coegerat, manu cum se insignibus honorum velasset, jugulatus est.* Sic Philoclem Athenienſem, lotum & ſplendida ſumpta læna ſe jugulandum præbuiſſe refert Plutarchus in Lyſandro: Λουσάμενος καὶ λαβὼν χλαμύδα λαμπρὰν πρῶτος ἐπὶ τὴν σφαγὴν ἡγεῖτο. Eadem de cauſa etiam Apollodorus videtur Socrati jamjam venenum bibituro pallium & pretioſam veſtem attuliſſe, teſte Æliano lib. I. Var. cap. XVI. & Diog. Laertio in ejus vita. quorum loca non exſcribo. Nec verò prætereundum militares etiam viros in aciem ad extremum diſcrimen euntes, hunc morem uſurpaſſe: unde Artabazus apud Q. Curtium lib. V. *Nos verò*, inquit, *pretioſiſſimis veſtium induti, armisq; quanto maximo cultu poſſumus adornati, regem in aciem ſequemur.*

CAP. XI.

De Coronis mortuorum. Lex XII. tab. explicata ex ſenſu Ful. Vrſini. Lectus, quo cadaver efferebatur, corollis & floribus ſparſus. A Græcis hunc ritum ortum videri. A priſcis Chriſtianis is repudiatus.

Sed

SED ne quid præteream, si quis virtute sibi coronam aliquam peperisset, eâdem etiam mortuus solebat condecorari: idq; ex permissu legis XII. tabul. quæ extat apud Plinium, libr. XXI. cap. III. & Ciceronem II. de legib. quorum loca non possum quin hîc adscribam. Plinius in vulgatis editionibus sic habet: *Semper auctoritas* [de coronis loquitur] *vel ludicro quæsitarum fuit. namq; ad certamina in circum per ludos & ipsi descendebant, & servos suos equosq; mittebant. Inde illa XII. tab. lex Qui coronam parit, ipse pecuniave ejus virtutis ergò arguitur: quam servi equiq; meruissent, pecunia partam lege dici nemo dubitavit. Quis ergo honos? ut ipsi mortuo parentibuq; ejus dum intus positus esset foris q; ferretur, sine fraude esset imposita.* Ciceronis verba hæc sunt: *Illa jam significatio est laudis, ornamenta ad mortuos pertinere, quod coronam virtute partam & ei qui perperisset & ejus parenti sine fraude esse Lex impositam jubet.* Sed opinor non ingratum fuerit benevolo lectori, si integram legem uti est ab Ursino emendata hic adposuero. Ea verò sic habet: *QVEI CORONAM PARET.*

ipsus. Pecuniæve. Eius. Virtutisve. Diditor. Ipseique. Mortuo. Parentalibus. Eius. Quum. Entus. Positos. Est. Quomque Foris. Exfertor. Imposita. Se. Frauded. Estod. Quæ lex plurimorum ingenia mirè torsit: sed nihil aliud voluisse videtur, quàm ut, qui coronam ludis adeptus esset, præterquam quod ejus nomen ludis peractis publice à præcone omnibus audientibus pronunciatur [sive equo sive quadrigis victoriam consequutus fuisset] eidem etiam mortuo corona virtute acquisita sine fraude imponeretur non tantùm illis septem diebus quib. intus, id est, domi positus esset: sed eo etiam die, quo cum pompa & ornatu in forum ad Rostra efferretur, ut explicat Cl. v. Fulvius Ursinus in Notis ad Leg. & Sen. consulta. Non solùm autem corpus defuncti: sed & lectum quo efferebatur [quemadmodùm & bustum & tumulum, ut infra ostendemus] corollis ac floribus solebant ornare: sive ut hac florum sparsione in memoriam sibi revocarent ævi hujus brevitatem & *quæ spectatissimè floreãt celerrimè marcescere.*

ut

ut ait Plin. lib. XXI. c. I. ſive ut defunctis animabus honorem habitum irent. Nam has ἄνθεων βολὰς receptas in eos, quos honore volebant affectos quosq; benevolentia proſequebantur, maximus Lipſius ad XIV. Taciti jam olim annotavit ex Livio, Capitolino, Ovidio, Herodiano & Virgilio: quibus & hoc addendum inſtituto noſtro apprimè ſerviens, quod in funere Scipionis factum tradit Plinius lib. XXI. c. III. *Aſſes ergò contulit populus ac funus locavit, quaq; præferebatur, flores è proſpectu omni ſparſit.* Et in funere filiæ Virginii, Halicarnaſſæus lib. XI. Ἐξεπήδων γὰρ ἐκ τῶν οἰκιῶν γυναῖκές τε καὶ πάρθενοι τὸ πάθος ἀποδυρόμεναι, αἱ μὲν ἄνθη καὶ στεφάνους βάλλουσαι κατὰ τῆς κλίνης, αἱ δὲ τελαμῶνας ἢ μίτρας, αἱ δὲ ἀθύρματα κόμης παρθενικὰ, καὶ πουτινὲς καὶ πλοκάμων ἀποκειράμεναι βοστρύχους ἄνδρές τε συχνοὶ λαμβάνοντες ἐκ τῶν πλησίον ἐργαστηρίων, τὰ μὲν ὠνῇ, τὰ δὲ χάριτι, συνεπεκόσμουν τοῖς προσφόροις δωρήμασι τὴν ἐκκομιδὴν. hoc eſt, *Quare ædibus exſiliebant & mulieres & virgines, caſum illum lugentes, atque aliæ flores & coronas in lectum jaciebant, aliæ faſcias aut zonas, aliæ vittas virginalis comæ, nonnullæ etiam detonſos crinium tortorum*

cincinnos: & multi viri ex proximis officinis capientes alia pretio persoluto, alia gratis funus, quod efferebatur, donis convenientibus simul ornabant. Idipsum de Bruti funere narrat libr. v. Τὸ δὲ Βρέτε σῶμα ἀράμενοι μετὰ πολλῶν ἐπαίνων τε καὶ δακρύων εἰς τὴν ῥωμὴν ἀπενέμιζον· οἱ κράτιστοι τῶν ἱππέων στεφάνοις κεκοσμημένον ἀγελείοις. Pertinet huc, quod de Corvi exsequiis memorat Plinius libr. x. cap. XLIII. *Funus innumeris alitu celebratum exsequiis, constratum lectum super Æthiopum duorum humeros præcedente tibicine & coronis omnium generum, ad rogum usq; qui constructus dextra viæ Appiæ ad secundum lapidem in campo Rediculi appellato, fuit.* Videtur autem hic ritus à Græcis originem traxisse: de quibus Scholiastes Euripidis in Phœnissis: Εἰώθασι στέφειν τοὺς νεκρούς. Et hac ipsa Tragœdia Creon rex de non sepeliendo Polynice ejusmodi edictum proponit:

Ὃς ἂν νεκρὸν τοῦδ' ἢ καλύπτει
Ἢ γῆ καλύπτων, θάνατον αὐτὰ λάξεται. hoc est
Hunc mortuum qui quis corollis induet
Terraq; operiet, morte mulctator mala.

Sic Hercules Μαινόμενος ab inferis redux apud eundem Poëtam liberos suos quibus

bus Lycus mortem intulerat, funebri ritu coronatos cernens, in hæc verba erumpit:

—— τί χρῆμα; τέκν' ὁρῶ πρὸ δωμάτων
Στολμοῖσι νεκρῶν κρᾶτας ἐξεστεμμένα:

Quid hoc rei? video liberos meos ante domum coronatos capita mortuorum ritu. Tetigit hoc institutum coronatos efferendi mortuos etiam Aristophanes ἐκκλησιαζούσαις. Ita enim induxit virum uxorem increpantem, quod eum noctu in lectulo dormientem reliquisset, tanquam cadaver:

ᾤχου καταλιποῦσ' ὡσπερεὶ προκείμενον
μόνον οὐχὶ στεφαννώσασ' οὐδ' ἐπιθεῖσα λήκυθον.

Addidit enim nihil desiderari potuisse, ut plenam speciem ejus rei redderet, nisi quod coronam capiti ipsius non imposuerat, neq; lecythum prope collocarat. uti interpretatus est P. Victorius libr. II. Var. Lect. VII. Et ne solos Poëtas tantum advocem, testatur idem etiam Cicero in orat. pro Flacco: *Vellem tantum habere otij, ut possem recitare psephismata Smyrnæorum, quæ fecerunt in Castricium mortuum; primùm vt in oppidum introferretur, quod aliis non conceditur: deinde, vt*

ferrent,

ferrent Ephebi: postremò vt imponeretur aurea corona mortuo. Ac Chion in Epistola ad Platonem: Σημαίνει γάρμοι καὶ ἱερὰ καὶ οἰωνίσματα καὶ πᾶσα ἁπλῶς μαντεία θανατὸν κατορθώσαντι τὴν πράξιν. ἐθεασάμην δὲ καὶ αὐτὸς ἐνεργεστέραν ἢ κατ' ὄνειρον. ἔδοξε γάρ μοι γυνὴ θεῖόν τι χρῆμα κάλλους καὶ μεγέθους ἀναδεῖν με κοτίνῳ καὶ ταινίαις, καὶ μετὰ μικρὸν ἀποδείξαι τι μνῆμα περικαλλὲς, καὶ εἰπεῖν: ἐπειδὴ κέκμηκας ὦ χίον, ἴθι εἰς τουτί τό μνῆμα ἀναπαυσάμενος. Quæ verba Joannes Caselius Germaniæ nostræ in hisce literis præcipuum ornamentum Latinè sic extulit: *Mortē enim mihi & victimæ & auguria & omnis denique divinatio prænunciat, sic tamen ubi ipsum negocium confecero. Conspexi autem visionem manifestiorem quàm in somno appareat. Mulier enim mihi quæpiam divina prorsus specie & statura redimere me corona ex oleastro & vittis videbatur, ac paulò post monumentum quoddam ostendere affabrè factum, mequè sic affari: Quoniam, Chion, laboribus defessus es, ingredere hoc monumentum, & quietem cape.* Ex quo ritu intelligendus Artemidorus libro IV. cap. XLIX. Τοῖς ἀποθανοῦσι ἐλαίας συνεκφέρουσι. *Cum mortuis simul coronas ex oleastro efferunt.*

Coro-

Coronasse autem veteres etiam suos mortuos, ut significarent ex victoria seculi ἀόχλητον ἀμεριμνίαν innuit Clemens Alexandrinus libr. 2. στρωματ. cap. 8. Αοχλήτου δ' ἀμεριμνίας ὁ στέφανος σύμβολον. ταύτῃ καὶ τοὺς νεκροὺς καταστεφανοῦσιν. *A turba & negotio remotæ securitatis signum est corona. quare ea & mortuos coronant.* Atqui hunc ritum coronandi mortuos prisci illi Christiani, qui nihil prorsus sibi commune esse cum paganis volebant, à moribus suis omninò repudiarunt, crebroquè in eum invehuntur S. Patres. Tertullianus de corona militis: *Quid tam indignum* DEO, *quàm quod indignum Idolo? quid autem tam dignum Idolo, quàm quod & mortuo? Nam & mortuorum est ita coronari, vel quoniam & ipsi Idola statim & habitu & cultu consecrationis, quæ apud nos secunda Idololatria est.* Minutius Felix in Octavio: *Sane quod caput non coromus ignoscite: auram boni floris naribus ducere, nou occipitio capillisvè solemus haurire. Nec mortuos coronamus: ego vos in hoc magis miror: quemadmodum tribuatis exanimi aut non sentienti coronam. cum & beatus non egeat, & miser non gaudeat floribus, &c.* Concludam

dam hoc caput versibus veteris Poëtæ, qui hanc coronationem, ut & unctionem cadaverum gentibus usitatam mirificè interpretatur, quasi scilicet significet convivia, sive, ut Græci vocabant συμπόσια, ad quæ defunctus proficisceretur. Unguentis enim delibutos coronatosq; ea celebrasse, nulli non notum est, qui veterum scripta tantum inspexerit. Addit etiam libamina & inferias mortuis tanquam Diis offerri, ac bona ab ipsis, qui jam μακαρίται & sint & vocentur, peti. Versus ejus conservavit nobis scriptor Anthologii ἐναρέτῳ πάνυ καὶ γέμοντι πάσης παιδεύσεως. [Johannem Stobæum dico, de cujus opere πεντεκαιδεκάβιβλῳ sic sensit Svidas] in Sermone cui tit. fecit Σύγκρισις ζωῆς καὶ θανάτου. mirum autem in modum corruptos, & non uno in loco depravatos Cl. Kittherfius, cui pro indicio μειώτερα hæc solvo lubens meritò, sic emendavit in Lectionibus sacris:

Καὶ μὴν πόθεν Πλάτων ἂν ὠνομάζετο
Εἰ μὴ τὰ βέλτι' ἔλαχεν; ἓν δὲ σοὶ φράσω,
Ὅσῳ τὰ κάτω κρείττω σὺν ὧν ὁ ζεὺς ἔχει
Οὕτω γὰρ ἰσχὺς ξὺν θαλάττῃ τὸ πλέον
Κάτω βαδίζει. τὸ δ' κενὸν πρὸς τ' Δία.
Θὺ μὴν γὰρ ἔτως ἂν ποτ' ἐσεφανωμένοι

Pag-

Προκείμεθ' ἄνθεσ', οὐδὲ κατακεχρισμένοι
Ἐν μὴ καταβάντας εὐθέως πίνειν ἔδει.
Διὰ ταῦτα γάρ τοι καὶ καλοῦνται μακάριοι.
Πᾶς γὰρ λέγει τις. ὁ μακαρίτης οἴχεται.
Κατέδαρθεν εὐδαίμων, ὅτ' οὐκ ἀνιάσεται.
Καὶ θύομεν δ' αὐτοῖσι τοῖς ἐναγίσμασιν,
Ὥσπερ θεοῖσι, καὶ χοάς γε χεύομεν.
Αἰτούμεν αὐτοῦ δεῦρ' ἀνιέναι τ' ἀγαθά.

CAPUT XII.

De collocatione: ejus causa indicata. Caræ cognationis id munus. Collocati mortui ad domus vestibulum. Custos collocationi appositus: Pueri muscas abigentes. Collocati vel humi vel in alto lecto: pedibus ad januam versis. Desperati *qui? Mos desperatos ad januas collocandi à quibus ortus videatur.*

SEquitur jam Collocatio mortui. Glossæ: *Collocatio* εἶδος νεκροῦ. Græci πρόθεσιν vocant: quibus ipsis etiam nihil hoc ritu frequentius. Socrates apud Platonem in Phædone: Μηδὲ λέγει, inquit, ἐν τῇ ταφῇ, ὡς ἢ προτίθεται Σωκράτης ἢ ἐκφέρει ἢ κατορύττει. *Ne in ipso funere dixeris collocari Socratem aut efferri, aut terrâ obrui.* Et lex Attica apud Demosthenem in Macartatum: Τὸν ἀποθάνοντα προτίθεσθαι ἔνδον ὅπως ἂν βούληται *Mortuum collocato in ædibus, ut voluerit.* scilicet Domi-

Dominus funeris. Lucianus de luctu: μετὰ ταῦτα ἢ λούσαντες αὐτοὺς καὶ μύρῳ τῷ κάλλιστῳ χρίσαντες τὸ σῶμα καὶ στεφανώσαντες τοῖς ὡραίοις ἄνθεσι προτίθενται. *Deinde lotos eos unguento q optimo delibutos & tempestivis floribus coronatos collocant.* Causam hujus ritus nobis Jul. Pollux indicavit lib. IIX. cap. I. Καὶ αἱ προθέσεις ἢ ἄρα τότε ἐγίγνοντο, ὡς ὤφθη ὁ νεκρὸς μήτι βιαίως πεπονθὼς, *Et verò collocationes idcircò fiebant, ut cerneretur mortuus, ecqua ei vis allata.* Sed placet hîc nihil ceremoniarum præterire, quibus in collocatione utebantur.

Primò propinquorum fuit hoc munus, ut parentum, fratrum aut certè hæredum. Unde Hecuba Eurepidæa accepto nuncio de nece Polyxenæ sic alloquitur ancillam in tragœdia cognomine:

Συδ' αὖ λαβοῦσα πεύχε' ἀρχαῖα λάτρι·
Βάψασ' ἕνεγκε δεῦρο πόντιας ἁλὸς
Ὡς παῖδα λέξοις τοῖς πανυστάτοις ἐμοῖς
Νυμφοῦτ' ἄνυμφον, παρθένον τ' ἀπάρθενον
Λέσω προθῶμαι θ' ὡς μόλις ἀξίαν.

Et apud eundem Poëtam in Alcestide Admetus mortem obiturus patrem mori pro se recusantem his verbis reprehendit;

Τοὶ

Τόι γὰρ φυτεύων παῖδας οὐκέτ' ἂν φθάνοις,
οἱ γηροβοσκήσουσι καὶ θανόντα σε
περιστελοῦσι καὶ προθήσονται νεκρὸν.

Hinc Dio libr. LIIX. Tiberium perstringit, quod Liviam οὔτε νοσοῦσαν ἐπεσκέψατο οὔτε ἀποθανοῦσαν αὐτὸς προέθετο. *Neq; ægrotantem viserat, neq; mortuam ipse collocaverat.* Et Lysias de cæde Eratosth. ut insolens notat, quod triginta tyranni κλίσιον μισθωσάμενοι προῦθεντο αὐτῇ: *conduxere lectulum in eoq; composuere illum.* Nam ut rectè Marcilius addit, caræ cognationis hæ partes, non extranei aut judicis.

Secundò collocationi præfinjtus certus locus. Solebant enim coronatum, vestitum, lotum & unctum mortui hominis cadaver ex penitiore ædium loco producere ac in vestibulo collocare ad ipsum limen, h. e. ἐν προνωπίῳ. unde & προνωπεῖς οἱ θανόντες mortui dicuntur Euripidi Alcestid. ἤδη προνωπὴς ἐστὶ καὶ ψυχορραγεῖ. Quo allusit idem in Troadibus Hecubam sic loquentem inducens:

Τῷ δὲ ἁ τλάμων, ποῦ ποῦ γαῖας
Δουλεύσω γραῦς, ὡς κηφὴν, ἁ
Δειλαία νεκροῦ μορφᾷ
Νεκύων ἀμενηνὰ παρὰ προθύροις, h. e.

Cui & ubi ego vetula serviam, quæ sum debilis & infirma, similis mortuo cadaveri, quod ad ostium positum est. Clarissimum autem hujus consuetudinis vestigium in Suetonii Augusto, cujus mortui corpus *à Bovillis eques ter ordo suscepit, urbiq; intulit atq; in vestibulo domus collocavit.* Item in Æneide Virgilii lib. IX.

—— *recipitq; ad limina gressum*
Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acestes
Servabat senior.

Quo loci notandum, quod tertium est, custodem quoque collocationi appositum: cujus & Apulejus meminit II. Metamorph. *Si qui mortuum servare vellet, de pretio liceretur.* Id fortean factum, ne injuria defuncto cadaveri fieret ab inimico vel creditore. At in Principum funeribus pueri lectulum solebant circumsistere, qui mortuo ventulum facientes muscas abigerent, ut est in L. V. Cod. De Latina libert. *Sed & qui in lectulo stantes cadaver ventilare videntur, si hoc ex voluntate fiat vel testatoris vel hæredis, fiant illico cives Romani.* Dio vel potius Xiphilinus lib. 74. de funere vel consecratione Pertinacis: *In eo*

eo lecto posita erat statua Pertinacis cerea ornatu triumphali, à qua puer egregia forma, ita ut si dormiret Pertinax, pennis pavonis muscas abigebat.

Quartò vel humi mortuos collocabant, vel in alto lecto: quorum hoc ex Persio mox disces: illud jam ex Artemidoro lib. I. cap. de Nativitate: οἱ ἀποθνήσκοντες ἐξισμένοις ἐνειλοῦνται ῥάκεσι καὶ χαμαὶ τίθενται Et Valerio Maximo lib I. cap. VIII. *Aliquid admirationis civitati nostræ Acilij etiam Aviolæ rogus attulit, qui à medicis & à domesticis mortuus creditus, cum aliquamdiu humi jacuisset, elatus, &c.*

Denique servabant etiam, ut mortuus foras spectaret, & facie pedibusq; esset ad januam versis. Nam ut ait Plinius lib. VII. cap. VIII. *Ritu naturæ capite hominem gignimos est, pedibus efferri.* Atq; hunc situm eleganter Persius describit Satyr. III.

—— tandemq; beatulus alto
Compositus lecto, crassisq; lutatus amomis
In portam rigidos calces extendit.

Homerus etiam clarè in funere Patrocli Iliad. XII.

Ὅς μοι ἐν κλισίῃ δεδαϊγμένος ὄξεϊ χαλκῷ
Κεῖται ἀνὰ πρόθυρον τεθραμμένος. hoc est.

Qui mihi in tabernaculo confossus acuto ære jacet ad vestibulum conversus. Ubi interpres: εἰς τὸ πρόθυρον, inquit, βλέπων. Τοιοῦτο δὲ τὸ σχῆμα τῆς τῶν νεκρῶν προθέσεως. Ab hoc ritu clarissimus Lipsius lucem dat Senecæ Epist. XII. *Quis est inquam iste decrepitus & meritò ad ostium admotus? Foràs enim spectat.* Nam cum ludere vellet, & in officium hominis, erat enim hostiarius, & in senium, quasi jam in extrema tegula staret semimortuus, ideò ipsum meritò ad januam collocatum affirmat, ad hûc ipsum mortui corporis situm non obscurè respiciens. Quanquam etiam mihi probabilis visa est explicatio nobilissimi juvenis Franciſci Duzæ, qui in Notis Lucillianis putat allusisse Senecã ad morem, quo decrepiti ac desperati ante januam collocabantur, ut vel ibi animam exhalarent, vel à transeuntibus fortè curarentur. In quàm rem planissimè Isidor lib. x. Etim. *Desperatus vulgò vocatur malus ac perditus, nec jam ullius prosperæ spei. dicitur a. per similitudinem ægrorum, qui affecti & sine spe deponuntur. Consuetudo autem erat apud veteres, ut desperati ante januas collocarentur, vel ut extremum*

spiri-

ſpiritum redderent terræ, vel ut poſſent à tranſeuntibus fortè curari, qui aliquando ſimili laboraverant morbo. quæ totidem verbis ſunt apud Servium in XII. Æneid. Nam ut Feſtus ait: *Decrepitus eſt deſperatus creperâ jam vitâ.* Joſ. Schaliger. ſumptam metaphoram cenſet à lucerna vel candela, quæ ultimum expirans crepitum edere ſolet. Hoc enim eſt *Decrepare*, ut apud Perſiũ Deſtertere. *Decrepitus* à veterib. Gręciæ magiſtris exponitur ὑπέργηρος, τετυμβωμένος, ἐφθὸς, γέρων ταχυθάνατος. A ritu verò iſto nõ multùm diſcrepat ille, cui Max. Tyrius meminit & à quo medicinam ortam vel certè plurimùm adjutã aſſerit. Verba ejus in oratione XI. περὶ τῆς ἐπιστήμης hæc ſunt: Φασὶ δὲ καὶ Ἰατρικὴν εὑρεσθαι τὸ ἀρχαῖον ὧδε. Κομίζοντες οἱ οἰκεῖοι τὸν κάμνοντα εἰς τῶν ἀγειῶν τὴν ἐν τριβῇ, κατετίθεντο. ἐφιστάμενοι δὲ οἱ ἄνθρωποι καὶ ἀνερωτῶντες τὸ ἄλγος ὁτῳ τὸ αὐτὸ, ξυμπεσὸν ἔπειτα ὤνατο ἢ ἐδωδῇ τίνι, ἢ καύσας, ἢ τεμὼν ἢ διψήσας, παρετίθεντο ἕκαστοι τῶν τῷ κάμνοντι οἱ πεπονθότες πρότερον καὶ ὠφελημένοι, ἢ δὲ ὁμοιότης τοῦ πάθους συναθροίσασα τὴν τοῦ ὠφελήματος μνήμην τῇ κατ' ὀλίγον ἐντεύξει ἐπιστήμην ἐποίησε τόπαν. hoc eſt, *Medicinæ vetuſtiſsimum inventum his initiis ortum conſtans fama eſt. Eum qui vexaretur à morbo, domeſtici exportantes,*

in frequentissimo vico statuebant, ut à transeuntibus visus, de qualitatibus morbi rogaretur. Ita qui tulerat depuleratq; similem morbum aut incisionibus, aut tolerantia sitis, aut cauterijs aut medicamentis sumptis, prodito remedio laborantem juvabat. Similitudo igitur morbi remediorum colligens memoriam, summam ejus, quod ex ijs hominum congressibus acceperat, scientiam fecit.

Ceterùm mos hic collocandi desperatos ante januas vel ab Assyriis videtur petitus, ut docet Strabo lib. XVI. Τοὺς δὲ ἀῤῥώστους εἰς τὰς τριόδους ἐκτίθεντες πυνθάνονται τῶν παριόντων, εἴ τις τι ἔχοι λέγειν τοῦ πάθους ἄκος. οὐδεὶς τέ ἐστιν οὕτω κακὸς τῶν παριόντων, ὡς οὐκ ἐντυχὼν εἴ τι φρονεῖ σωτήριον ὑποτίθεται. vide & Herodotum Musa prima. vel ab Ægyptiis, ut tradit idem Strabo lib. III. ubi hanc consuetudinem etiam Hispanis observatam scribit: Τοὺς δὲ ἀῤῥώστους, ait, ὥσπερ Αἰγύπτιοι τὸ παλαιὸν, προτιθέασιν εἰς τὰς ὁδοὺς, τοῖς πεπειραμένοις τοῦ πάθους ὑποθήκης χάριν.

Similis ferè consuetudo Iberorum, qui parvulos, de quorum vita despondebant animum, ostiatim circumtulisse memorantur & remedia à similia passis quæsivisse.

se. Rufinus Histor. Eccles. libr. I. cap. X. *Mos apud eos esse dicitur* [nempe apud Iberos] *ut cum parvulus ægrotet, circumferatur à matre per singulas domos, quo scilicet, si quis experti aliquid remedij noverit, conferat laboranti.* Vide Socratem libr. I. histo. Eccles. cap. XX. & Theodoretum libr. I. hist. Eccl. c. XXIV.

CAPUT XIII.

De conclamatione ejusq; causis. Exempla quorundam vita redditorum, quam videbantur reliquisse. Conclamati. Liber Heraclidis περὶ ἀπνοῶν.

PÆnè præterieram, clamorem quoque ab iis, qui in re præsenti erant, fuisse excitatum: Eo scilicet fine, ut vel exeuntem animam retardarent, vel in corpore adhuc delitescentem expergefacerent. Priorem causam à Propertio didici, apud quem lib. IV. Cynthia sic canit:

At mihi non oculos quisquam inclamavit euntes,
Vnum impetrassem te revocante diem.

Et Ovid. lib. III. Trist. Eleg. III.

Nec mandata dabo? nec cum clamore supremo
Labentes oculos claudet amica manus?

Alteram mihi suppeditavit Servius ad libr. VI. Æneid. *Plinius in naturali historia dicit*

hanc esse causam, vt mortui & calida abluantur & per intervalla conclamentur, quòd solet plerunque vitalis spiritus excluſus putari & homines fallere. Denique refert quendam suppositum pyræ adhibitis ignibus erectum esse, nec potuisse liberari. Vnde & servabantur cadavera octo diebus & calida abluebantur, & post ultimam conclamationem comburebantur. Plus igitur vice simplici conclamatum fuisse, non obscurè hinc liquet: Quanquam quoties id factum sit, non habeo certò affirmare. Quod autem inibi scribit doctissimus Grammaticus Plinii testimonio usus, quosdam in ipsis funeribus revixisse, id neq; alii autores annotare neglexerunt. Manilius libr. IX. Astronomic.

Ex ipsis quidam elati rediere sepulchris.

Et ipse Plinius libro XII. cap. LII. ubi fortean oculos habuit Servius, cum ista parùm bona fide exscriberet: *Varro quoque autor est, vigintiviris agros dividentibus Capuæ, quendam qui efferretur feretor, domum remeasse pedibus. Romæ quoq; Corfidium materteræ suæ maritum funere locato revixisse & locatorem funeris ab eo elatum.* De Acilio Aviola, quem Plinius insigni exemplo elatum

tum in rogo revixisse tradidit, & quia subveniri non potuit, vivum exustum, vide Valerium Maximum, lib. I. cap. VII. Narrat & Plutarchus quendam, cum ab alto super collum decidisset, nullo accepto vulnere, casu extinctum esse: ac cum jam triduanus ad sepulturam efferetur, subitò corroboratum, ad sese rediisse, & incredibilem deinceps vitæ mutationem instituisse: Verba ejus in De serâ Numinis vindictâ hæc sunt: Καὶ δὴ τρόπον τινὰ μετ' οὐ πολὺν χρόνον αὐτῷ συνέπεσε. Κατενεχθεὶς γὰρ ἐξ ὕψους τινὸς εἰς τράχηλον οὐ γενομένου τραύματος, ἀλλὰ πληγῆς μόνον, ἐξέθανε: καὶ τριταῖος ἤδη περὶ τὰς ταφὰς ἀνηνέγκε, ταχὺ δὲ ῥωσθεὶς καὶ παρ' αὐτῷ γενόμενος ἄπιστόν τινα τοῦ βίου μεταβολὴν ἐποίησεν. Similem historiam memorat & Apulejus, lib. VI. Florid. cujus locus, etsi quidem longiusculus est, dignissimus tamen mihi propter elegantiâ videtur, ut hic totus adscribatur. *Asclepiades*, inquit ille, *cum fortè in civitatem sese reciperet, & rure suo suburbano rediret; aspexit in pomeriis civitatis funus ingens locatum, plurimos homines ingenti multitudine, qui exsequias venerant, circumstare, omnes tristissimos & obsoletissimos vestitu.*

Propiùs accessit, ut etiam cognosceret, more ingenij humani, quisnam esset? quoniam percontanti nemo respondebat: at verò ut ipse aliquid in illo ex arte reprehenderet. certè quidem jacenti homini ac prope depositio Fatum attulit. Jam miseri illius membra omnia aromatis perspersa, jam os ipsius unguine odoro delibutum, jam eum pollinctum, jam cœna paratum, contemplatus enim diligentissimè, quibusdam signis animadvertit. Etiam atq; etiam pertractavit corpus hominis, & invenit in illo vitam latentem. Confestim exclamavit vivere hominem. Procul ergo faces abigerent, procul ignes amolirentur, rogum demolirentur, cœnam feralem à tumulo ad mensam referrent. Murmur interea exortum, partim medico credendum dicere, partim etiam irridere medicinam. Postremò propinquis etiam hominibus invitis, quòd ne jam ipsi hereditatem habebant, an quòd adhuc fidem illi non habebant; ægrè tamen & difficulter Asclepiades impetravit brevem mortuo dilationem. Atq; ita vespillonum manibus exortum, velut ab inferis, postliminio domum retulit, confestimque spiritum recreavit, confestimq; animam in corporis lati-

latibulis delitescentem quibusdam medicamentis provocavit. Huc pertinet etiam quod Cor. Celsus scribit: *Si certa futuræ mortis indicia sunt, quomodo interdũ à medicis deserti convalescunt, quosdamquè fama prodiderit, in ipsis funeribus revixisse? Quin etiam vir jure magni nominis Democritus, ne finitæ quidem vitæ satis certas esse notas proposuit, quibus medici credidissent: adeò illud non reliquit, vt certa aliqua signa futuræ mortis essent.* Intelligit Celsus volumen, quod Democritus scripserat περὶ ἄπνου, hoc est, de exanimi muliere, quæ post septem dies revixit. Alii Heraclidi tribuunt, non Democrito. Plinius libr. VII. cap. LII. *Huc pertinet nobile illud apud Græcos volumen Heraclidis, septem diebus fœminæ exanimis ad vitam revocatæ.* Laërtius in præfat. καθάπερ φησὶν Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς ἐν τῇ περὶ τῆς ἄπνου Galenus: περὶ πεπονθότων τόπων lib. VI. Γέγραπται οὖν τὸ βιβλίον, Ἄπνους Ἡρακλείδου. Vide Hier. Mercurialem lib. IV. Var. Lect. cap. XIV. Scaligerum ad lib. IV. Manilii. Casaubonum ad Diogen. De Johanne Duns Scoto quoque scholastico illo subtilissimo, memoriæ proditum est, illum

cum

cum in ecstasin incidisset, ipsi peculiarem ob acutissimas meditationes, diutiusquè ea detineretur, à discipulis pro mortuo elatum sepultumque esse Coloniæ, Anno M. CCCVIII.

Ex his igitur patet, interdum animam, quæ exiisse putabatur, in corporis latibulis solitam adhuc delitescere, nonnullosq; vitæ redditos, quam videbantur reliquisse. Videbantur inquam: Nam efficere, ut efflatæ jamdudum animæ in corpora redeant, solæ divinæ virtutis est, nec ejus rei nisi septem tantum èxempla præter illud insigne τοῦ κυρίου sacrarum literarum monumentis sunt consignata, ut observavit Cedrenus in vita Tiberii. Ne igitur semivivi adhuc, & in quibus aliquid esset vitæ latentis, pro mortuis sepulturæ traderentur, consuetudinem hanc ciendi clamorem introduxere. Unde etiam ortum, ut conclamati dicerentur, in quibus nulla spes reviviscendi: quo sæpissimè alludunt autores. Seneca de Tranquillitate animi, capit. XI. *Toties in vicinia mea conclamatum est.* Ausonius in Genethliaco ad Nepotem:

Adnui-

Adnuito, ut reducem fatorum à fine senectam
Sospes agam, festumq; diem dubitata q; cernam
Sidera, deposito prope conclamatus in avo.

Et Lucanus libr. 11. Pharsaliæ:

—— —— sic funere primo
Attonita tacuére domus, quum corpora nondum
Conclamata jacent: nec mater crine soluto
Exigit ad sævos famularum brachia planctus.

Afferam adhuc Apuleii locum, ut mendo purgem, quod nimis quam diu ipsi insedit, non animadvertēte id vel oculatissimo Colvio: verba ejus in De Philosophia hæc sunt: *Vt optimi medici conclamatis desperatisq; corporibus non adhibent medentes manus, ne nihil profutura ratio doloribus spatia promulget.* Scribo *curatio doloris spatia prom.* Quin vera sit hæc correctio non ambiget, quisquis sententiam & verba Apuleij pervidebit. Et nisi fallor doctissimus Rittershusius noster hunc locum sic alicubi emendavit.

CAP. XIV.

Indicia domus funestæ: Picea & Cupressus: Causa indicata, cur hæ potissimum arbores funebri huic signo adhibitæ. Græcorum similis ritus. ἀρδλάνιον, γάτρα.

SED ut tandem ritus ante funerationem usurpari solitos absolvamus, appone-

ponebantur etiam foribus indicia quædam, quibus funesta esse illa domus, in qua mortuus erat; cognosceretur: *ne quis imprudens funestam domum, rem divinam facturus, introëat, & quasi attaminatus susceptа peragere non possit*, ut ait Servius. Hac fini Piceam ac Cupressum Romanos usurpasse reperio. De Picea autor Plinius lib. XVI. cap. X. *Picea montes amat atque frigora: feralis arbor & funebri indicio ad fores posita ac rogis virens.* De Cupresso etiam idem Plinius lib. XVI. cap. XXXIII. *Diti sacra & ideo funebri signo ad domos posita.* Ubi causam nota unam, quia Diti sacra. Adde & aliam, quia succisa non regerminat. Servius, qui pronuper ex bibliotheca clarissimi Danielis, amici nostri prodiit, ad lib. 4. Æneid. *Romani moris fuit propter ceremonias sacrorum, quibus populus Romanus obstrictus erat, ut potissimum Cupressus, quæ excisa renasci non solet, in vestibulo poneretur: ne quis imprudens, &c.* Utramq; causam habes apud Festum: *Cupressus*, ait ille, *mortuorum domibus ponebatur ideò, quia hujus generis arbor excisa non renascitur: Sicut ex mortuo jam nihil sperandum*

dum est. quam ob causam in tutela Ditis patris esse putatur. Eadem omnino igitur ratio fuit de Piceâ, quæ ipsa etiam resecto vertice intermoritur; & non sola Pinus, quemadmodum ille apud Herodotum libr. VI. affirmabat, interpretans verba Crœsi minitantis omnes Lampsacenos πίτυος τρόπον ἐκτρίψειν, *instar pinus exscindere.* Quod πίτυς μούνη δενδρέων πάντων ἐκκοπεῖσα, βλαστὸν οὐδένα μετίει, ἀλλὰ πανωλέθρως ἐξαπόλλυται hoc est, *pinus sola ex omnibus arboribus excisa nullam sobolem remittit, sed & prorsus emoritur.* Atque hæ sunt causæ quibus Romani naturam arborũ ejusmodi propiꝰ intuiti, illas funebri signo ad domos funestas proponendũ censuerũt.

Græci verò, ut fuit ingenium illorum hominum, magis ad fabulas originem hujus ritus devolvunt. Nam Asclepiades ex ea causa Cupressum lugubrem habitam vel luctibus consecratam prodidit, quod Boream Celtarum regem commemorant primùm in amissæ filiæ Cyparissæ tumulo consevisse novum genus hujus arboris. Cassianus Bassus lib. II. γεωπονικῶν vel de Agriculturâ, refert ad lugubrem casum Cyparissarum Eteoclis filiarum, quæ cum in

sole-

solemni Dearum tripudio in puteum prolapsæ interiissent, miserta flebilem sortem Tellus plantas proceritate puellis similes (uti fabulantur) produxit, desiderium quoddam earum & monimentum rei in arborum illis cognominum aspectu volens extare. Hæc ad verbum exscripsi ex lib. I. Animadvers. Hadrian. Junii, cap. xx. nam ipsum autorem Græcum, videre mihi non contigit. Nec defuerunt, qui ad tristem eventum Cypariss cujusdam referunt: Cujus fabulá recitat Ovidius in Metamorph. & Servius ad lib. III. Æneid. *Cyparissus Telephi filius fuit, amatus ab Apolline, vel ut alij, à Sylvano. qui cum elassatus æstu sub quadam arbore somnum caperet, subito strepitu excitatus, cervum, quem in delicijs habebat, feram credens, per ignorantiam misso telo occidisset, cum fletu nimio & abstinentia cibi ac potionis tabesceret, à misericordia Deorum in arborem Cupressum conversus est, aptam & sacram lachrymis & luctibus. Alij hunc Cyparissum Cretensem puerum pulcherrimum & castissimum fuisse, quem quidam ab Apolline, nonnulli à Zephyro amatum volũt, qui cum castitatem suam incorruptã tenere cuperet, relictá Cretâ ad Oron-*

ad Orontem fluvium & montem Cassium dicitur perveniſſe: atque ibi in Cypreſſum arborem commutatus, quæ arbor ideò mortuis conſecratur, quòd ſemel cæſa neſcit renaſci. Hactenus Servius. Picea igitur & Cupreſſus cur funeſtarum ædium ſigna fuerint, vidimus. De Cupreſſo autē operæ eſt monere, quod divinus Scaliger notavit, non adeo vetuſtum, nec tam frequentem ejus uſum in funeribus videri. Non vetuſtum, quòd peregrina arbor fuerit, & ſerò Romanam advecta, non multò ante ætatem Catonis, vide Plinium lib. XVI. cap. XXXIII. Non frequentē, quòd pauci initiò in agris aut intra urbanas villas eam arborem inſtituerint. Atq; ideo divitum tantùm non omnium ædibus funeſtis illam propoſitam veroſimile eſt, conjecturam hanc confirmante Lucano:

Et non plebeios luctus teſtata Cupreſſus.

Sed quando hic de indiciis ædibus defunctorum appoſitis dicere cœpimus, non poſſum quin ſimilem Græcorum conſuetudinem attingam. Nam hi quoque ad fores privatarum ædium, tantiſper dum illæ funeſtæ eſſent, & dū θρῆνος fieret ejus, qui obierat, vas magnum ſtatuebant, aquâ

lustrali plenum, quæ esset è domo non funestà allata: qua aqua sese quisque exiens aspergebat, qui exequias venerat. Id erat vas figlinum & ἀρδάνιον propriè nuncupabatur, autore Polluce lib. IIX. Docet idipsú Suidas; Ἀρδάνιον, inquit, κεραμίου γάστρα. ὅθεν τὰ θρέμματα πίνει καὶ εἴρηται παρὰ τὸ ἄρδειν. ἐτίθετο δὲ καὶ πρὸ τῆς θύρας τῶν τετελευτηκότων τοῖς εἰσιοῦσι καὶ ἐξιοῦσιν, ἵνα περιῤῥαίνωνται. Aristophani dicitur ὄστρακον: Καὶ παράθου τοὔστρακον πρὸ τῆς θύρας. Hesychio γάστρα duob. locis. Eodem etiam spectabát capilli de ipsi⁹ defuncti capite secti, qui foribus appendi solebant. Hinc chori pars apud Euripidé in Alcestide, non procul à principio:

πυλῶν πάροιθεν δ' οὐχ ὁρῶ
πηγαῖον, ὡς νομίζεται
γε, χέρνιβ', ἐπὶ φθιτῶν πύλαις:
χαίτα τ' οὔτις ἐπὶ πρόθυρα τομαῖος.
ὃι δὴ νεκύων πένθεσι πιτνεῖ, hoc est.

Non video ante portam, ut lex est, fontana lavacra pro mortuis in porta.
Nulla coma præcisa est in vestibulo: quæ accidunt in luctu mortuorum.

ut observavit eruditissimus & omni laude major Isac. Casaubonus in Commentario ad Theophrastum.

FINIS LIBRI PRIMI DE *Funeribus Romanorum.*

Jo-

JOHAN. KIRCHMANNI

DE FUNERIBUS Romanorum.

LIBER SECUNDUS.

De Elatione. Efferre, Foras ferre, Exportare, ἐκκομίζειν. παρακομίζειν. ἐκφέρειν. ἐκκομιδὴ. ἐκφορά. Funus ducere, exsequias ducere. Ducere *absolutè. Quot dies à morte ad Elationem intercesserint, Super eâ re hæsitatio quædam.*

HActenus quo ritu mortuorum corpora ante Funerationem curata sint, dictum est; sequitur jam quid *In ipsa Funeratione* actum: Cujus duo capita facio, *Elationem* & *Sepulturam.* In quibus quid notandum breviter explicabimus, sed, quod semper præfamur, cum hac exceptione οὐ διδάσκειν, ἀλλὰ κοινωνεῖσθαι,

Elationem appello *mortui hominis ad sepulturam exportationem.* Nam, ut Donatus in Andr. Terentii monuit, *Efferri propriè cadavera mortuorum dicuntur.* Cujus verbi frequentissima est apud classicos autores usurpatio. Horatius lib. II. Satyr. v.

—— Anus improba Thebis
Ex testamento sic est elata.

Martialis lib. VIII. Epigram. XLIII. *Effert uxores, &c.* Cicero II. Orator. *Cum casu in eadem causa funere efferretur anus Junia.* Plautus Mostellaria sc. Perii: *Vidi efferri mortuum.* Petronius de matrona Ephesina: *Hæc ergo cum virũ extulisset, &c.* Sed ferreâ sanè manu opus esset ad exscribendum omnia hujus generis loca. Plautus simplex *Ferre* pro eodem usurpavit, additâ voce *Foràs.* Est enim *Efferre* nihil aliud quàm *foras ferre.* In Aulularia Sc. Velim te.

Quæ cras veniat, perendie foràs feratur soror.

Ad quam faciem & Theocritus Idyll. XV. ἔξω φέρειν dixit, cujus verba alibi pono. Eodem tamen sensu vocem *Exportare* usurpatam reperio. Donatus ad Andriam Terent. *Effertur*, inquit, ἐκφέρεται *Græcum est: quod vitans Virgilius ne diceret Effertur, inquit:*

—— Tum corpora luce carentum
Exportant tectu & tristia funera ducunt.

Græcis Elatio est ἐκφορὰ vel ἐκκομιδὴ. Suid. Εκφέρεται. λέγεται ἢ ἐκκομίζεται. Ælianus libro VIII: Var. hist. cap. IV. Πολίαρχόν φασιν τὸ Ἀθηναῖον εἰς τοσοῦτον προελθεῖν τρυφῆς, ὥστε

καὶ

καὶ κύνας καὶ ἀλεκτρύονας ἐκείνους, οἷς ἔχαιρεν, ἐκκομίζειν ἀποθανόντας δημοσίᾳ. Καὶ ἐπὶ τὴν ἐκφορὰν αὐτῶν παρεκάλει σὺν φίλους. Scholiastes Æschyli in ἐπὶ ἐπιθήβαις ad hunc locum Ἄτιμον εἶναι δ' ἐκφορᾶς φίλων ὕπο ponit tria similis juncturæ verba ad rationem sepùlturæ pertinentia: Εκφορᾶς, inquit, ἐκκομιδῆς σημείωσαι ὅτι τὸ συγκομίζειν καὶ ἐκκομίζειν καὶ ἀνακομίζειν ἐπὶ νεκρῶν λέγεται. καὶ συγκομιδὴ μὲν λέγεται ἡ πρὸς τοῦ τάφου πᾶσα ἐπιμέλεια. Εκκομιδὴ, ἡ πρὸς τὸν τάφον ἀπαγωγὴ. Ανακομιδὴ, ἡ ἐκ τάφου εἰς τάφον μετάθεσις. Heracl. Pont. περὶ πολιτείων c. de Locrensibus: Παρ' αὐτοῖς ὀδύρεσθαι οὐκ ἐστὶν ἐπὶ τοῖς τελευτήσασιν: ἀλλ' ἐπειδὰν ἐκκομίσωσιν, εὐωχοῦνται. hoc est, *apud hos luctu mortuos prosequi vetitum est. Sed postquam elatum est funus, convivia agitant.* Eunapius eodem pacto etiam παρακομίσασθαι usurpavit in Jamblicho: Ἀλλὴν ὁδὸν πορευώμεθα. Νεκρὸς γὰρ ἐντεῦθεν ἔναγχος παρακεκόμισται. His igitur verbis ἡ ἐκφορὰ *Elatio* denotatur: quam etiam *Funeris ductionem* rectè interpretari possumus. Nam *Funus ducere* eodem planè significatu veteres dicebant. Juvenalis Satyr. 1.

Ducitur iratis plaudendum funus amicis.

Et Propertius, lib. 11. Eleg. 1.

Vna meos quondam prædata est fœmina sensus,
Ex hac ducentur funera nostra domo.

Item *Exsequias ducere.* Funus enim istis locis nihil aliud quàm exsequiæ & funeralis pompa, ut notum notatumq; aliis est. Plinius de Arria Pœti uxore: *Huic* [filio] *illa ita funus procuravit, ita duxit exsequias, ut ignoraret maritus.* Quintilianus declamat. x. *Satiare misera, satiare saltem memoria diei illius, quo exsequias duximus.* Imò etiam *Ducere* absolutè. Persius Satyr. II.

—— *Nerio jam tertia ducitur uxor.*

Ut rectè legit Servius ad IV. Georg. & rationem addit: *Nam ducere,* inquiens, *propriè funerum est.* At pace Servii dixerim, non Funerum modò, sed & nuptiarum: quod quoq; pueri sciunt. Virgilius Pharmaceut.

Mopse novas incide faces, tibi ducitur uxor.

Et cur non idem verbum commune habeant, quæ plurimos ritus? ut pompam, faces, lectum, coronas, unguenta, alia: quod ipsum etiam Artemidorus attigit, libr. II. cap. LIV. Καὶ γὰρ τὸ αὐτὸ ἀμφοτέροις συμβαίνει τῶτε γαμοῦντι καὶ τῷ ἀποθνήσκοντι, οἷον ὠδὴ πομπὴ φίλων ἀνδρῶντε καὶ γυναικῶν, καὶ στέφανοι, καὶ ἀρώματα, καὶ μύρα, &c. Sed me in verbis diu-

diutius morari pudet pigetq; : ut igitur aliquando ad rem ipsam accedamus, in Elatione hæc quatuor considero: Diem, Tempus, Personas & Locum.

DIEM cum dico, intelligo numerum dierum, qui à morte ad ἐκφορὰν intercedebant : hoc est, quoto post efflatam animam die funus ad sepulturam sit elatum. Servius lib. v. Æneid. ad hæc verba : *Præterea si nona dies, &c.* disertè tradit mortuos domi ipsos septem dies fuisse servatos & octavo demum ad rogum elatos. *Sciendum*, inquit, *quia apud majores ubi quis fuisset extinctus ad domum suam referebatur : unde est : Sedibus hunc refer ante suis. Et illic erat septem diebus : Octavo incendebatur : Nono sepeliebatur.* Tot igitur dies à morte ad elationem interceſſere, si modò fides habenda Servio, causam insuper alibi hanc afferenti, ne fortean nimium festinando sepulturæ traderetur, qui animam nondum omnino exspirasset. Quanquam verisimilior multò mihi hæc videtur, ut funus interea temporis adornari, & quæ ad exsequiarum pompam requirebantur, apparari ritè possent. Nam publica tantùm,

& Indictiva funera totidem postulasse dies videntur: Non autem Tacita vel Acerba, in quibus plerunque omnia raptim & προπερισπωμένως fiebant: nec ideò tot dierum spatio opus. Suetonius de funere Othonis: *Et celeriter & parvo cultu, (nam ita præceperat.) funeratus.* Cicero pro Cluentio: *Eo ipso die puer cum hora undecima in publico valens visus esset, ante noctem mortuus, & postridiè ante lucem combustus est.* Et sunt alia, quæ clarè evincunt, non septem semper dies mortuos, antequam efferrentur, domi esse servatos; ut ferè mihi suspicari subeat, vix habitam certi alicujus diei rationem, atq; in eodem populo, urbe eadem non eundem semper morem obtinuisse. Sed de hac re doctiores viderint, ad quorum judicia lubens provoco. Neque tamen existimandum est, funus defuncto vel celeriùs vel tardiùs fieri solitum, ob creditorum improbitatem: quam Severi Imp. edicto graviter coërcitam, ut alias leges taceam, jam pridem Jurisconsulti monuerunt, quorum scrinia non compilo: nisi quod moneo exoleviſſe videri istas leges tempore Ambrosii, qui cap. x. in Tobiam

biam de hujusmodi creditoribus conqueritur his verbis: *Quoties vidi à fœneratoribus teneri defunctos pro pignore & negari tumulum, dum fœnus expoſcitur! Quibus ego acquieſcens dixi: Tenete reum veſtrum, & ne vobis poſſit elabi, domum ducite, claudite in cubili veſtro, carnificibus duriores: quoniam quem vos tenetis, carcer non ſuſcipit, exactor abſolvit.*

CAP. II.

Noctu elata antiquitus omnia Funera: at inſequenti tempore Vulgaria tantùm & Acerba. Mos Athenienſium ante lucem efferendi funera, præſertim Acerba. Ἡμέρας ἀρπαγή. De Horâ Elationis quæſtum. Juliani Imp. Lex contra diurnas Elationes. Cauſa hujus Noctu elationis indicata.

SEquitur jam Elationis TEMPUS: quod antiquiſſimis temporibus nocturnum fuiſſe, teſtatur Servius ad libr. XI. Æneid. hæc verba: de more vetuſto. *Quia antea* inquiens, *per noctem cadavera proferebantur cum faculis.* Et audiamus cauſam. Donatus Andr. Terentii: *Funus eſt pompa exequiarum, dictum à funalibus. Etenim noctu efferebantur propter ſacrorum celebrationem*

diurnam. Magis plenè Servius dicto libro ad verba, Rapuere faces: *Sed apud Romanos moris fuit, ut noctibus* [in vulgatis libris *noctites* est, monstrum verbi] *efferrentur adfunalia: unde etiam Funus dictum est, quia in religiosa civitate cavebant* (nota causam) *ne aut magistratibus occurrerent, aut sacerdotibus, quorum oculos nolebant alieno funere violari. Inde etiam qui funeri præerant, à vespera primùm Vesperones dicebantur, deinde Vespillones dicti videntur.* Atq; hic mos etsi in Indictivis quidem Funeribus desiit: mansisse tamen videtur in vulgaribus ac Translatitiis. ut patet ex Festo, qui parùm à Servio dissentiens, *Vespillones* inde dictos putat, *quia vespertino tempore eos efferunt, qui funebri pompâ duci propter inopiam nequeunt.* Quomodo Tullium Regem elatũ, autor Dionys, Halicarnassæus lib. IV. Ἀλλ' ἡ γυνὴ τοῦ Τυλλίᾳ σὺν ὀλίγοις πισὶ τῶν φίλων Ταρκυνίᾳ θυγάτηρ ἔσα ἔτι πρώτα βασιλέως, νυκτὸς ἐκκομίζει τὸ σῶμα τῆς πόλεως, ὡς τῶν ἀπιτυχόντων ἀνδρός, h. e. *Sed Tullij uxor, Tarquinij Prisci Regis filia prosequentibus paucis quibusdam amicis, noctu ex urbe ipsum, ut hominis privati & plebeij funus extulit.* Et de Acerbis funeribus

bus disertim id testatur Servius dicto libro: *Et magis moris Romani, ut impuberes noctu efferrentur ad faces, ne funere immaturæ sobolis domus funestaretur, quod præcipuè accidebat in eorum, qui in magistratu erant, filijs. Ideò Virgilius Pallantis corpus facit excipi facibus, quia acerbum funus.* Ex quo ritu sceleri suo mantellum quæsivit Nero, cum fratrem Britannicum, quâ nocte veneno sustulerat, eâdem ipsâ cremandum curasset. *Nox eadem*, inquit Tacitus lib. XIII. Annal. *necem Britannici & rogum conjunxit.* Et post paulò: *Festinationem exsequiarum edicto Cæsar defendit, id à majoribus institutum referens, subtrahere oculis acerba funera, neque laudationibus aut pompâ detinere.* Videtur autem hæc consuetudo orta ab Athenienſibus, qui & ipsi vitâ functos ante Solis exortum efferebant, idq; ex lege Solonis, quam recitat Demosthenes in oratione ὑπὲρ ἀγνίας κλήρου. ἐκφέρειν δὲ, inquit, ἀποθανόντα τῇ ὑστεραίᾳ, ἢ ἂν πρόθωνται πρὶν ἥλιον ἐξέχειν. Cicero Demetrium Phalereum ejus ritus autorem facit II. de legib. *Fuit hic vir, ut scitis, non solum eruditissimus, sed etiam civis è Republ. maximè, tuendæque civi-*

civitatis peritissimus. Iste igitur sumptum minuit non solùm pœna, sed etiam tempore, ante lucem enim jussit efferri. De Juvenibus verò, qui acerba morte perierant, ante lucem efferendis Eustathius his verbis: φασὶ γὰρ ὅτι τοὺς τοιούτους νέους ἅμα ἡμέρᾳ ἐξωσίουν τοῦ φῆ οἱ προσήκοντες, ὡς μὴ ἀνεκτὸν ὂν ἡλίῳ θεαθῆναι τοιοῦτον κακόν. Διὸ καὶ ἐλέγετο ἁρπάζειν αὐτοὺς ἡμέρᾳ. Quæ verba doctissimus Muretus libr. XIII. cap. II. ita circumloquitur: Apud majores qui Juvenes immaturam, ut videbantur, mortem obierant, albescente cœlo ante Solis exortum à propinquis efferri solebant; quod nefas opinarentur, tanti mali tantæque calamitatis spectatorem ac testem esse Solem. Atq; eam ob causam dies ipsa eos auferre ac rapere dicebatur: quòd ut primùm dies apparere cœperat, auferebantur. Ideo etiam boni ominis gratia ἡμέρας ἁρπαγὴν vocabant hujusmodi matutinam funeris elationẽ, ut refert Heraclides in De Allegat. Homer. haud longulè à fine: ἦν δὲ παλαιὸν ἔθος τὰ σώματα τῶν καμόντων, ἐπειδὰν ἀναπαύσηται τοῦ βίου, μητε νύτωρ ἐκκομίζειν, μήθ' ὅθαν ὑπὲρ γῆς τὸ μεσημβρινὸν ἐπιτείνηται θάλτος, ἀλλὰ πρὸς βαθὺν ὀρθρὸν ἀπύροις ἡλίου ἀκτίσιν ἀνίοντος. ἐπειδὰν οὖν εὐγενὴς νεανίας ἅμα καὶ

κάλλει

κάλλει προέχων τελευτήσῃ, τὴν ὄρθριον ἐκκομιδὴν ἐπευφήμουν ἡ ΜΕΡΑΣ ΑΡΠΑΓΗΝ, ὡς οὐκ ἀποθανόντος, ἀλλὰ δι' ἐρωτικὴν ἐπιθυμίαν ἀνηρπασμένου, hoc est, *Mos erat antiquis defunctorum corpora neq; noctu neq; circa meridiem efferri, sed primo diluculo oriente Sole, nec dum ignitos mittente radios. Itaq; generoso quopiam & famoso Juvene mortuo, matutinam funeris elationem fausti ominis gratia* DIEI RAPTUM *appellabant, tanquam non exspirasset, sed amoris desiderio raptus esset.* Ad hanc veterum consuetudinem respectans Maro, qui infantes cum mortui sunt, eos diem ipsam abstulisse dicit: lib. VI. Æneid.

Continuo auditæ voces, vagitus & ingens
Infantumq; animæ flentes in limine primo,
Quos dulcis vitæ exsortes & ab ubere raptos
Abstulit atra dies & funere mersit acerbo.

Allusit & Theocritus Idyll. XV. de Adonide.

Λῶθεν δ' ἄμμες νιν ἅμα δρόσω ἀθρόαι ἔξω
Οἰσεῦμες ποτὶ κύματα. h. e.

Sub auroram verò nos illam, dum ros est, frequentes foràs feremus ad fluctus.

Et Callimachus libr. III. Antho. cap. XXIII.

Ἠᾶοι Μενάλιππον ἐθάπτομεν, ἠελίου δὲ ἢ
Δυομένου βασιλὼ κατ' θανε παρθενικὴ.

Et plura passim exempla reperies apud Homerum, qui sæpè hunc ritum tangit.

Ve-

Verùm, ut diximus, apud Romanos, [vulgaria funera excipio] consuetudo hæc desita est, & diurno tempore mortuos efferri solitos innumera clamant.

De Horâ nihil certi habeo affirmare: si tamen hariolari mihi liceat, crediderim primis diei horis funera duci cœpisse. Nã Syllam, cui horâ nonâ ductæ exsequiæ, ut tardiusculè elatum, notat Pluturchus in ejus vitâ. τῆς δὲ ἡμέρας συννεφοῦς ἕωθεν οὔσης, ὕδωρ ἐκ οὐρανοῦ προσδοκῶντες, ἐννάτης ἦραν μόλις ὥρας τὸν νεκρὸν. hoc est, *Ceterùm cum ab aurora dies iste nubilus fuisset, pluviæq; expectarentur, nonâ demum horâ funus elatum est.* Pertinet huc inscriptio Romana:

L. CÆCILIUS. L. L. SYRVS
NATVS. MENSE. MAIO
HORA. NOCTIS. VI.
DIE. MERCVRII.
VIX. ANN. VI. DIES. XXXIII.
MORTVVS. EST. III. K. IULIAS
HORA. X.
ELATVS. EST. HORA. IIII.
FREQVENTIA. MAXIMA.

Ceterum diurnam elationem abrogare & nocturnam illam priscam reducere voluit

voluit Julianus Imperator, cujus constitutio in veter. codice Theodos. tit. XVII. de sepulch. violat. Leg. v. talis extat: *Efferri cognovimus cadavera mortuorum per confertam populi frequentiam. Qui enim dies benè auspicatus à funere, aut quomodo ad Deos & templa venietur? Ideoq; quoniam & dolor in exsequiis secretum amat, & dum functis nihil interest, utrum per noctes aut dies efferantur, liberari convenit populi totius aspectus, ut dolor esse in funeribus, non pompa exsequiarum nec ostentatio videatur.*

CAPUT III.

Funera ad faces & cereos elata. Funeris etymon. Faces hæ cujusmodi fuerint. Cereorum usus potissimum in Funeribus Acerbis. Parentalia annua facibus honorata. Christiani quoq; cum facibus extulere mortuos, ritu hodieq; usitato, & quare?

AB hoc more efferendi mortuos noctu, permansit postea consuetudo, ut in omnibus Funeribus, etiam quæ interdiu ducebantur, faces, candelæ, funalia & cerei adhiberentur. Servius lib. VI. Æneid. *Per noctem autem urebantur. unde permansit ut mortuos faces antecedant.* Hinc Virgilius in funere Pallantis:

Lucet

—— Lucet via longo
Ordine flammarum & latè discriminat agros.

Persius Satyr. III. *Hinc tuba, candelæ, &c.* Tacitus lib. III. Annal. *Dies quo reliquiæ tumulo Augusti inferebantur, modò per silentium vastus, modò ploratibus inquies. Plena urbis itinera, collucentes per campum Martis faces.* Respexit ad has faces Plutarchus lib. An seni Respub. capessenda sit: ὁδὲ τὴν ἐμβεβιωκότα πολιτικαῖς πράξεσι καὶ διηγωνισμένον, οὐκ ἐῶν ἐπὶ τὴν δᾶδα καὶ τὴν κορωνίδα τοῦ βίου προελθεῖν, ἀλλ' ἀνακαλούμενος καὶ κελεύων ὥσπερ ἐξ ὁδοῦ μακροῖς μεταβαλέσθαι, παντάπασιν ἀγνώμων καὶ μηδὲν ἐκείνῳ προσεοικὸς ἐστιν. Quem locum non rectè intellexit interpres.

Et quia facum etiam in nuptiis usus erat, sæpissimè huc alludunt autores. Propertius lib. IV. Eleg. ult.

Viximus insignes inter utramq; facem.

Apuleius libr. II. Florid. de Philemone: *Comœdiam ejus prius ad funebrem facem, quàm ad nuptialem pervenisse.* Calpurnius Flaccus declam. XXVIII. *Facem nubenti filiæ præferam, an rogum jacentis accendam?* Ovidius Epistol. Cydippes ad Acontium:

Et face pro thalami fax mihi mortis adest.

Martialis lib. *VIII.* Epigr. *XLIII.*

Effert

Effert uxores Fabius, Chrystilla maritos,
Funereamq; tori quassat uterq; facem.

Meleager:

Αἰδ' αὐτοὶ καὶ φέγγος ἐδᾳδούχουν παρὰ παστῷ
Πεύκαι, καὶ φθιμένᾳ νέρθεν ἔφαινον ὁδόν.

Silius Italicus lib. 11.

Ast Ithacus vero ficta pro morte loquacem
Affecit letho, tedaq; ad funera versa.

D. Ambrosius in De viduitate; *vel cum accensis funalibus mox ducitur, nonne pompæ funebris exsequias magis putat, quàm thalamum præparari?* Ex quibus omnibus liquidò apparet, frequentissimum fuisse facularum funebrium usum, ut non sine ratione Funus à funibus incensis feretro præferri solitis dictum plerique Grammatici existimârint. Donatus Andria Terentii; *Funus est pompa exsequiarum: dictum à funalibus.* Servius in XI. Æneid. *Funera alij à funalibus, candelis sevo vel cerâ circumdatis dicta censent, quòd his prælucentibus noctu efferrentur mortui.* Isidorus etiam libr. XX. Etymolog. cap. X. & lib. XI. cap. 11. *Funus dictum à funibus accensis, quos ante feretrum papyris cerâ circumdatis ferebant.* Ubi quod Isidorus ait funes papyro circumdatos, habet à Plinio, qui candelas ejusmodi funebres

bres è scirpis factas affirmat lib. xvi. cap. xxxiix. *Nec in fruticum, nec in veprium cauliumvè, neque in herbarum aut alio ullo, quàm suo genere numerentur jure scirpi fragiles palustresq; ad tegulam tegetesq; : è quibus detracto cortice candelæ luminibus & funeribus serviunt.* Cortex ille nihil aliud quàm similitudo Ægyptiæ papyri, quâ utebantur fortasse homines tenuiores. Tale facis genus, licet in diverso usu, invenies apud Antipatrum lib. vi. Anthолog. c. x.

Λαμπάδα κηροχίτωνα, κηρόνε τυφήρεα λύχνον
Σχίνῳ καὶ λεπτῇ σφιγγόμενον παπύρῳ.

Verùm hîc notandum, Acerba potissimum funera ad cereos efferri solita, facib. tamen immixtis, quod clariss. Lipsius ad Tacitum tribus hisce Senecæ locis monstravit, Epist. cxxii. *Isti mihi verò defunctorum loco sunt: quantulum enim à funere absunt & quidem acerbo, qui ad faces & cereos vivunt?* Et de Tranquillit. c. xi. *Toties in vicinia mea conclamatum est; toties præter limen immaturas exsequias fax cereusq; præcessit.* Et de brevitate vitæ cap. ult. *At me hercule istorum funera tanquam minimum vixerint, ad faces cereosq; ducenda sunt.*

Non

Non autem in ipsis solùm exsequiis: sed & in parentalib. annuis facularum usus erat. Sueton. Augusto c. 11c. *Hujus Masgabæ ante annum defuncti tumulum cum ex triclinio animadvertisset magna turba multisq; luminibus frequentari, versum compositum ex tempore clarè pronunciavit:*

Κτίστου δὲ τύμβον εἰσορῶ πυρούμενον.

Conversusq; ad Thrasyllum Tiberij comitem contra accubantem & ignarum rei, interrogavit, cujusnam Poetæ putaret esse: quo hæsitante, subjecit alium:

Ὁρᾶς φάεσσι μασγάβαν τιμώμενοι.

Et Ovidius 11. Fasto. de nuptiis mense Februario non celebrandis propter parentalia:

Conde tuas Hymenæe faces & ab ignibus atris
Aufer, habent alias mœsta sepulchra faces.

Atq; hunc ritum cum facibus efferendi funera, retinuit etiam prisca Ecclesia, respiciens tamen ad alium finem, quem D. Chrysostomus annotavit Homil. 1111. ad Hebr. his verbis: εἰπὲ γὰρ μοι, τι βούλονται αἱ λαμπάδες αἱ φαιδραὶ; οὐχ ὡς ἀθλητὰς αὐτοῦ (τοῦ τεθνηκότας ἢ νεκροὺς) προπέμπομεν; Vult dicere Theologus, lampades in exsequiis Christianorum ideo accendi & funeri præportari, ut

significent, defunctos deduci tanquam Athletas quosdam, qui devicto seculo ad supremum illum βραβεῖον ac designatorem pergant, coronas ac præmia accepturi strenuè pugnatarum pugnarum: ut annotavit CL. V. Cunr. Rittershusius amicissimus nostri in Lectionibus suis sacris nondum editis. Fit autem mentio cereorum funebrium etiam in exsequiis Justiniani Imp. apud Corippum lib. III.

——— *Nec pura moratus*
Augustus, nutu tolli sublime feretrum
Imperat, & tota populus processit ab aulâ:
Mastaq; funereas accendunt agmina ceras.

Cap. IV.

Funera olim cum cantu elata apud pleraſq; omnes gentes. Causa hujus ritus investigata. Siticines qui? Tubarum usus in funeribus. Milites ad tubam sepulti.

SED jam ad Personas transeo, quæ elationi interfuêre, ac primò de iis agendum, *qui lectum funebrem præcesserunt*, ut erant Siticines, Præficæ, Ludii & Histriones, Libetti orcini, Prælatores lectorum, imaginum & quicunq; pompæ inserviebant; De quibus singillatim dispiciem-

Et

Et primò quidem antequam de Siticinibus & Præficis agamus, notandum plerasque gentes cum cantu mortuos suos extulisse; ut autor Macrobius l. II. Som. Scip. cap. III. *Mortuos quoq;*, inquiens, *ad sepulturam persequi oportere cum cantu, plurimarum gentium vel regionum instituta sanxerunt: persuasione hac, quâ post corpus animæ ad originem dulcedinis Musicæ, id est, ad cœlum redire credantur.* Sed hæc causa Platonicum dogmá redolet: audiamus aliam ex historia fabulari, quam Hyginus recitat c. CLXXIV. hoc sensu: A Tyrrheno Herculis F. institutum, ut cum sepelirentur mortui, populus sono conchæ pertusæ convocarentur, & cerneret jam non Tyrrheni comites ἀνθρωποφαγεῖν ut antè: sed sepelire: *Quod exemplum hodie Romani observant & cum aliquis decedit, tubicines cantant & amici convocantur, testandi gratiâ eum neq; veneno neq; ferro periisse.* Unde Tacito lux lib. III. ubi ait in funere Germanici requisitam à populo næniam. Aculeus ille populi est in Tiberium, quo non insciente Germanicus necatus veneno; ut observavit Theod. Marcilius, qui ex

physicis hanc etiam adfert causam, ut cantu aberrent paulisper animi à luctu: de qua, ut verbis parcam, consulendus Alexander Probl. LXXIIX. lib. I. Sed hæc ratio apud alias quidem gentes valuit: non puto apud Romanos, quos luctui accendendo potissimùm cantu usos libenter nobis largietur, qui auctorum loca, quæ mox laudabimus, diligenter consideraverit. Fortassean etiam spectra hujusmodi cantibus voluerunt abigere: quâ fini olim, si quis è vita excessisset, æra campanasque pulsatas, pervetus Theocriti Scholiastes annotat: quòd is sonus credebatur esse καθαρὸς ἢ ἀπελαστικὸς τῶν φασμάτων hoc est, *avertere spectra & dæmonum ludibria*, monente Had. Junio lib. III. Animadvers. cap. XI. Verum enimverò quaqua de causa Romani cantum in funeribus usurparint, nolo hîc anxiè jam inquirere: satis est scire, morem hunc certò apud illos obtinuisse. Quod ne pluribus probem, affero Lucani testimonium libr. VIII. ubi in Apostrophâ ad Fortunam dicit, Pompeium non petere ambitiosas exsequias, nec *ut resonent tristi cantu fora*, vers. 734. Et Ciceronis in Milonia

niana affirmantis, iram Deorum Clodii satellibus istam injeciſſe amentiam, *ut ſine cantu, ſine exſequiis, ſine lamentis, ſine laudationibus, ſine funere oblitus cruore & luto, ambureretur etiam abjectus.*

Erant autem lugubris ac lamentabilis hujus cantus artifices duûm generum: *Siticines* & *Præficæ*. Hæ aſsâ voce munus ſuum peragebant, illi inſtrumentis. De Siticinibus Agellius libr. xx. cap. 11. *Nos autem* inquit, *in Capitonis Atteij conjectaneis invenimus, Siticines appellatos, qui apud Sitos canere ſoliti eſſent, hoc eſt, vita functos & ſepultos. Eosquè habuiſſe proprium genus tubæ, quâ canerent, à ceterorum Tibicinum proprietate differens: quos Siciniſtas vulgus dicit: qui rectius locuti ſunt, Sicinniſtas litera N geminata dixerunt, &c.* Hos iterum facio duplices: *Tubicines* & *Tibicines*. Nam & tubarum & tibiarum frequens fuit in Funeribus uſus. Ad tubam Funera fuiſſe elata ψαμμαικόσιοι, ut cum Græcis dicam, mihi teſtes ſunt. Perſius Satyr. III. *Hinc tuba, candelæ.* Ubi Cornutus: *quia ſepultura tubis apud antiquos celebrabatur.* Ut Virgilius XI. Æneid.

It cælo clamorq; virûm clangorq; tubarum.

Ad quem versum Servius: *Ante enim*, inquit, *mortui ad tubam deducebantur.*

Propert. lib. II. Eleg. VII.

Ah mea tum quales caneret tibi Cynthia somnos
Tibia, funestâ tristior illa tubâ.

Et libro eodem, Eleg. VIII. amoliens hanc pompam:

Nec tuba sit fati vana querela mei.

Ovidius Epistolâ Medeæ ad Jasonem:

Tibiaq; effundit socialia carmina nobis,
At mihi funestâ flebiliora tubâ.

Hinc & Epicteto in Altercatione, *tuba, funeris deploratio.* Petronius allusit hunc ritum in Satyrico: *Narrabo tibi adolescens, Paralysin cave. Nunquam ægrum tam magno periculo vidi, medius fidius jam periisti. Quod si idem frigus genua manusq; tentaverit, licet ad tubicines mittas.* Sic Artemidorus lib. I. ca. LIIX. de iis, qui in somno tubâ canere visi, id tale somnium, inquit, ægrotantes tollit. Cur verò tuba mortem præsignificet, ejus rei subtilem addit interpretationem, quòd illa ex ossibus facta notet te in cineres & ossa iturum, ita enim mox subjungit: σύγκειται γὰρ (ἡ σάλπιγξ) ἐξ ὀστέων καὶ χαλκοῦ. *Composita est enim tuba ex*

osse

esse & ære. Potuisset & hanc addere, quod nimirum funera quædam elata sint ad tubam. Vide Appianum lib. I. in funere Syllæ. Propertium lib. IV. Eleg. ult. Pertinet huc insignis & jucundissima historiola Plutarchi de Pica, quæ tubicinum horum sonos funebres eleganter imitata: Ubi præter hunc ritum noranda etiam tubicinum hujusmodi atq; adeo totius funebris pompæ παράστασις sive statio ad Græcostasin: quod alibi non facilè reperias. Locum Plutarchi ex libro De animal. solertia animi causâ integrum huc adscribam, non quidem Græcum, sed purissima Latinitate donatum à summo viro P. Victorio lib. IX. Var. Lect. cap. XIV. Narrat ille, Romæ tonsorem quendam, cujus officina prope Græcostasin erat, picam aluisse, quæ non tantum humana verba ceterarum q; animantium voces: sed Musicorum instrumentorum sonos redderet, nullo cogente, sed ipsam semetipsam exercentem studentémq; nihil à se non expressum effictumq; relinquere. Cum autem fortè illac divitis hominis funus duceretur, in quo multæ tubæ canebant, & ut moris erat, in eo re-

stitissent tubicines illos probatos à multitudine, jussosq; canere non parùm temporis ibi consumpsisse. Post illum autem diem Picam ita sermone omni sonoq; caruisse, ut ne vocem quidem suam propriamq; ederet ad motus animi indicandos ipsi à naturâ datam. Quod silentium ipsius admirationem non parvam attulit illis, qui antea illac transeuntes suspicere soliti erant loquacitatem ejus avis: Diversiq;, ut ait, causam ejus quærentes varia afferrebant. Partim enim suspicabantur tubarum clangorem audiendi sensum corrupisse, unaq; vocem etiam extinctam esse. In quo tamen utrosq; falsos deceptosquè fuisse constitit. Neq; enim alterutrum horum fuerat, sed meditatio, ut intelligi potuit, & tanquam secessus quidam reditusq; in seipsam partis animæ, quæ imitatur. Illa namq; tanquam instrumentum quoddam instruebat vocem ac præparabat. Repentè enim venit atq; refulsit, ut inquit, nullam consuetarum vetustarumquè imitationum, sed tubarum cantus iisdem circuitibus, quibus artifices illi usi fuerant, edens, ut prosequeretur etiam imitatio-

tationes atq; omnes istorum musicorum ictuum numeros percurreret. Hæc ex Plutarcho. Restat ut milites etiam in castris ad bellicum hoc instrumentum sepultos, attexamus, docti à Tertulliano De coronâ militis: *Mortuus etiam tuba inquietatur aneatoris, qui excitari à tuba Angeli expectat? & cremabitur ex castrensi disciplina Christianus, cui cremari non licuit, cui Christus merita ignis indulsit?*

CAPUT V.

De tibiis funebribus: quarum in omni funere usus. Servius ad minoris ætatis funera illas restringens refutatus. Tibicinum numerus à Decemviris definitus. An Flamini Diali hasce tibias audire licitum. Festus & Agellius super hac re conciliati. Tuba ac Tibia funebres latiores & longiores reliquis. Gingriæ. *Siticinum sonus gravior, ejusq; causa. Lydia quoq; harmonia lugubris. Antigenida vel Ismenia de Siticinibus judicium.*

AD tubam igitur mortuos fuisse elatos, ex dictis jam manifestum est: Sed addo mortuos tantùm nobiliores. Neq; enim vulgò ea usurpata, sed in funeribus, opinor, Indictivis, scilicet ad populum classico convocandum, uti notavit Lipsius lib. IV. De Milit. Rom. cap. X.

Pergo

Pergo jam ad Tibicines, quos ipsos etiam in funeribus ceciniſſe reperio: Unde Artemidorus libr. I. Αυλεῖν δὲ πυθικοῖς αὐλοῖς, πένθος σημαίνει. Et fit τῶν αὐλητῶν mentio etiam in hiſtoria ſacra apud Matthæum capit. IX. Sic corvum quendam præcedente tibicine Æthiopum humeris elatum, tradit Plinius lib. X cap. XLIII.

Sunt autem qui tibias ad puerorum ſolùm exſequias reſtringant. Servius in lib. V. Æneid. *Sciendum majoris ætatis funera ad tubam ſolere proferri, minoris verò ad tibias.* Placiades Lactantius in Statium: *Jubet religio, ut majoribus mortuis tubâ, minoribus tibiâ caneretur.* Statius ipſe libr. VI. Thebaid. id videtur indicare in funere Archemori:

Tum ſignum luctus cornu grave mugit adunco
Tibia, cui teneros ſuetum producere manes.

Sed id ubiq; verum eſſe non arbitror. Suetonium enim in C. Juli Cæſ. funere tibiam agnoſcere video, cap. LXXXIII. Et Senecam in Claudii: *Erat omnium formoſiſſimum Claudii funus, ut ſcires Deum efferri, tibicinum, cornicinum omnis q; generis ſenatorum tanta turba, tantus conventus, ut etiam*

Clau-

Claudius audire posset. Et Xiphilinum in Pertinacis: οἱ μὲν οὖν ἄλλοι πρὸ τῆς κλίνης προϊείμεν, καὶ τινες ἐκόπτοντο, ἑτέρων πένθιμόν τι ἐπαυλούντων. Nisi fortè quis respondeat, Censoria hæc fuisse funera, & omni genere instrumentorum musicorum ornata. At posticum istud tibi occludit Ovidius, qui lib. v. Trist. Eleg. 1. fortunam suam extenuans, tibiam sibi non tubam convenire dixit:

Interea nostri quid agant nisi triste libelli?
Tibia funeribus convenit ista meis.

Quapropter omnino ita existimandum est, Tubas quidem funeribus duntaxat indictivis adhibitas, ut diximus: Tibias verò funeribus quibuscunque, puta, puerorum, senum, divitum, pauperculorum, plebeiorum, nobilium. Cujus sententiæ nostræ fundus est, quod næniæ ad tibiam canebantur: Communes autem omnibus funeribus næniæ fuêre. Cum autem nimio tibicinum numero funera gravarentur, non plures in funere tibicines esse, quàm decem, voluerunt Decemviri, ut est apud Cicer. 11. de legib. Quod etiam Ovidius tangit lib. vi. Fastor.

Temporibus veterum tibicinis usus avorum
Magnus, & in magno semper honore fuit.

Canta-

Cantabat fanus, cantabat tibia ludis,
Cantabat mœstis tibia funeribus.
Dulcis erat merces de labor, tempusq́ secutum est
Quod subitò grata frangeret aris opes.
Adde quod AEdilis pompâ qui funera irent
Artifices solos jusserit esse decem.

Hujusmodi tibias funebres Flamini Diali audire non licuisse, Festus autor est: *Funebres tibiæ dicuntur, cum quibus in funere canitur: quas audire Flamini Diali putabant illicitum.* Cui si fides habenda, quid respondebimus ad locum Agellii libr. x. Noct. Attic. capit. xv. ubi inter alias Flaminis Dialis ceremonias etiam hanc ponit: *Locum in quo bustum est, nunquam ingreditur. Mortuum nunquam attingit, funus tamen exsequi non est religio.* Nam si exsequiis interesse nefas non fuit: certè tibias ipsum audivisse erit necesse. An de temporibus diversis locutos Festum & Agellium dicemus? hunc de suorum temporum sentire consuetudine: Illum de prisco & vetustate ipsa obsoleto more. Ideo dicere, *putabant*, non putant? An verò habitum esse Flaminibus hunc honorem, ut eorum gratiâ tibiæ removerentur, si quando venirent exsequias, quas ratò il-

rò illos itasse, vero non est absimile? Quo pacto inter se conciliari posse hæc duo loca, quæ contradictionis speciem habere videntur, speciem inquam, non ἀληθινὴν ἐναντίωσιν, per literas me admonuit eruditissimus Casaubonus Galliæ lumen & quod verè liceat, columen antiquitatis. Sed hîc mihi in mentem redit, quod ex Noctium scriptore non ita pridem attulimus, *Siticines habuisse proprium genus tubæ, quâ canerent, à ceterorum tubicinum proprietate differens.* Videndum igitur, qua in re tubæ ac tibiæ funebres à reliquis tubis ac tibiis differrent, & quid diversum Siticines ab aliis tubicinibus tibicinibusvè canerent. Ac rectè quidem mea sententia observavit Hie. Magius, tubas illas ac tibias ceteris latiores & longiores fuisse, quales in antiquorum sepulchris exsculptæ videntur: ipsosque Siticines gravè canere solitos. Longitudinem quidem majorem, quàm in ceteris tubis esset, demonstrat Ovidius libro II. Amorum Eleg. VI. ubi reliquas aves ut Psittaco defuncto cant exsequias hortatur:

Horri-

Glossæ Hesychii: Γιγγρίαι, αὐλοὶ μακροὶ ἐν οἷς πρῶτον μανθάνουσιν. ὅπερ ἔνιοι γίγγρον. Fuerunt autem Gingriæ vel Gingri tibiæ funebres, Phœnicum linguâ, ut est apud Athen. lib. 4. Dipnosoph. Et Eust. in Homeri Iliad. Σ. Latitudinem verò illarum indicat Galenus lib. III. De Symptomat. causis, eo loci ubi de flatibus loquitur, qui in ventre inferiore fieri solent: Βομβώδεις δ' εἰσὶν ἕτεροι, οἷοι ἐξ ὀρυτείων αὐλῶν ἐοικότες, ὁποίους ἔχουσιν οἱ τύμβαυλοι καλούμενοι. Hoc est, *Porrò sunt alij bomboſi, bombis latiſſimarum tibiarum non abſimiles, quales habere ſolent ij, qui τύμβαυλοι, hoc eſt, Siticines nominantur: quæ ob materiam, ex qua conſtant, purum ſonum reddere non poſſunt, & viæ, quâ ſpiritus tranſit, latitudo, ſonum efficit graviorem.* Quod autem hîc de tibiis dicitur, etiam de tubis debere intelligi, nullum est dubium. Ceterùm Siticines graviorem incinere sonum consueviſſe, clarum ex Statii libr. VI. Thebaid. *Cornu grave mugit aduncò Tibia.* Idipsum & Aristoteles docet libr. V. de generat. animal. ubi in hanc sententiam loquitur: *Spiritus enim calidus craſſitudine ſua gravitatem efficit vocis. Frigidus præ ſua tenui-*

tenuitate contrarium facit, quod vel in tibiis patet: qui enim calido utuntur spiritu, & talem emittunt, qualem Siticines & lamentantes, graviorem sonum inspirant tibijs. Aristoteli igitur crassus inflantis aër: Galeno autē instrumenti latitudo est causa gravitatis cantus tibiarum tubarumq;. de quo vide plura apud Magium libr. j. Miscellaneor. cap. XIII. Verùm etsi quidem, ut ostendimus, in universum gravis sonus feralis lugubrisq; erat; fuisse tamen nihilominus in usu Lydiam harmoniam, acutam & stridulam, videre est ex Plutarcho in De Musica, ubi Platonem affirmat deprecari Lydiam harmoniam, quæ acuta, vehemens & stridens sit, aptaq; complorationibus: *Primaq;*, ait Plutarchus, *ejus constitutio lugubris quædam res traditur fuisse, ac primum Olympum funebre tibia carmen in funere Pythonis Lydio ritu cecinisse, in primo Musicæ scripsit Aristoxenus.* Verba Plutarchi hæc sunt: Τοιγάρτοι Πλάτων ἐν τῷ τριτῷ τῆς πολιτείας δυσχεραίνει τῇ τοιαύτῃ μουσικῇ. τὴν γοῦν Λύδιον ἁρμονίαν παραιτεῖται, ἐπιτήδειον πρὸς θρῆνον, ᾗ καὶ τὴν πρώτην σύστασιν αὐτῆς φασί θρηνώδη τινὰ γενέσθαι. Ολυμπον γὰρ πρῶτον Αριστόξενος, ἐν τῷ

πρώτῳ τῆς μουσικῆς, ἐπὶ τῷ Πύθωνί φησιν ἐπικήδειον αὐλῆσαι λυδιστί. Vide eundem in Politic. Apuleius lib. IV. Miles. *Jam feralium nuptiarum miserrimæ virgini choragium struitur. Iam tædæ lumen atræ fuliginis cinerem arcessunt, & sonus tibiæ zygiæ mutatur in querulum Lydij modum, cantusq; lætus hymenæi lugubri ululatu & puella nuptura deterget lacrymas ipso flammeo.* Quid igitur diversum ab aliis tibicinibus cecinerint Siticines, hinc liquet: quibus addendum & hoc, non videri illos admodum in musicâ arte excelluisse: idq; inde facilè colligas, quòd Antigenides insignis tibicen indignissimè tulerit, hosce monumentarios ceraulas in tibicinum numero censeri, teste Apulejo lib. I. Florid. *Is igitur cum esset in tibicinio apprimè nobilis, nihil æquè se laborare & animo angi & mente dicebat, quàm quòd monumentarij ceraulæ tibicines dicerentur.* Quod autem hîc de Antigenidâ Apuleius: idipsum de Ismeniâ refert Dion Chrysostomus orat. 49. ἔφη δὲ τις τῶν ὀλιγωπρότερον φιλοσόφων οὐ φάυλων, τὴν Ισμηνον τοῦτο μάλιστα ἀγανακτεῖν, τὸ καλεῖσθαι αὐλητὰς σοῦ τυμβαύλας. οὐ παντελῶς. οἷον δ' ὃν ἐμοὶ δοκεῖ. οὐ γὰρ βλάπτουσι οὐδὲν

δὲν οἱ τυμβαῦλαι τοῦ νεκροῦς, οὐδ' ἐνοχλοῦσι. hoc est. *Dixit autem ante hæc tempora Philosophorum quidã non malus, Ismeniam ob hoc maximè indignari solitum, quod Siticines appellarentur tibicines. At nequaquam res est indignatione digna, ut mihi quidem videtur: nihil enim mortuis detrimenti afferunt Siticines, neq; illis sunt molesti.*

CAP. VI.

De Præficis, à quibus Nenia cantata ad tibiam. Nenia *sitne vox Phrygia quæsitum. Phryges ac Mysi pompis funebribus ad luctum ciendum voce barbara plurimùm olim adhibiti. Horum inventum funebris tibia. Ab ijs Cares accepere.* Lessus *vel* Lausus *quid?* Ιάλεμος, ἰηλεμίζειν, Ιηλεμίστρια, τὰ Ιαλεμώδη, Ιαλέμου ψυχρότερος. *Nenia nugarum plena. Præficarum vicem in Christianorũ exsequiis fuisse Psaltrias, quæ hymnos & psalmos canebant. Causa, cur Psalmi cantarentur, indicata ex Ioan. Chrysost.*

SEquuntur Præficæ, h. e. mulieres quæ pretio conductæ ad tibias hasce funebres canebant lamentabile aliquod & inconditum carmen ad deplorandum ac collaudandum mortuum apprimè accommodatum. Festus *Præficæ dicuntur mulieres ad lamentandum mortuum conductæ, quæ dant ceteris plangendi modum.* Glossar. *Præfica,* ἡ πρὸ τῆς κλίνης ἐν τῇ ἐκφορᾷ κοπτομένη. θρηνῳδὸς ἐπ' ἐκφορὰν, Unde Lucillius Satyr XXII.

—— mercede quæ
Conductæ flent alieno in funere Præficæ,
Multò & capillos scindunt & clamant magis.

Quod imitatus Horatius ait:

Vt quæ conductæ plorant in funere, dicunt
Et faciunt propè plura dolentibus ex animo.

Nævius in Freto:

Hæc quidem herclè opinor Præfica est, nam mortuos collaudat.

Plautus in Frivolaria:

Superaboq; omnes argutando Præficas.

Idem in Truculento, Sc. Ne expectetis:

Facilè sibi facunditatem virtus arguta invenit,
Sine virtute argutum civem mihi habeam pro præficâ,
Quæ alios collaudare absentes, sese verò non potest.

Has intellexit Statius in Epicedio Patris:

Vt Pharios aliæ fictâ pietate dolores
Mygdoniosq; colunt, & non sua funera plorant.

Et D. Chrysostomus Homil. XIII. in Epist. Pauli ubi καταγέλαστον τῶν θρηνωδῶν γυναικῶν ἐσμὸν vocavit. De iis elegans Apologus Æsopi in πλούσιῳ, quem non possum, quin totum hîc apponam: Πλούσιος δύο θυγατέρας ἔχων, τῆς μιᾶς ἀποθανούσης, θρηνούσας ἐμισθώσατο, Τῆς δὲ ἑτέρας παιδὸς λεγούσης, ὡς ἄθλιαι ἡμεῖς, αἵγε αὐταί, ὧν ἐστὶ τὸ πένθος, θρηνεῖν οὐκ ἴσμεν, αἱ δὲ μὴ προσήκουσαι οὕτω σφοδρῶς κόπτονται. ἡ μήτηρ ἔφη: μὴ θαύμαζε τέκνον; εἰ αὗται οὕτω θρηνοῦσιν. ἐπὶ γὰρ ἀργυρίῳ τοῦτο ποιοῦσιν. hoc est. *Dives duas habens filias, altera mortua, præficas conduxit:*

quum

quum verò altera dixisset, vt nos miseræ ipsæ, ad quas luctus pertinet, lamentari nescimus: hæ verò non necessariæ sic vehementer plangunt; mater ait: Ne mirare filia, si hæc ita lamentantur, nam nummorum gratia id agũt. Carmen autem illud à mulierculis hujusmodi ad tibias cantari solitum, peculiari nomine *Nenia* dicebatur. quod plerique Grammatici annotarunr. Festus: *Nenia est carmen, quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam.* Nonius: *Nenia ineptum & inconditum carmen, quod adducta pretio mulier, quæ Præfica diceretur, ijs, quibus propinqui non essent* [imò verò etiam quibus essent, ò Noni] *mortuis exhiberet.* Cicero idem dicit lib. II. Leg. *Honoratorum virorum laudes in concione memoranto, easq; etiam ad cantus ad tibicinem prosequuntor, cui nomen Neniæ: quo vocabulo etiam Græci cantus lugubres nominant.* Quintilianus libr. IIX. cap. II. *Tertius hinc est diversus translationis modus, cum res communis pluribus in uno aliquo habet nomen eximium, vt carmen funebre, propriè Nenia;* Porphyrio ad Horatium Epod. XVII. *Nenia propriè carmen est, quod mortuis cantabatur.* Diomedes

Grammaticus: *Apud Romanos id carmen, quod cum lamentatione extremum atque ultimum mortuo adcanitur, Nenia dicitur.* Glossarium: Veniæ ὕμνοι ἐπὶ τῶν νεκρῶν. Quo loci *Neniæ* legendum recté me monuit doctissimus mihiq; amicissimus Frider. Lindenbruchius, cum Lutetiæ Parisiorum fortè fortuna in sermonem de hisce meis Funeribus incidissemus. Idem Glossarium: *Nenia*, ἐπιτάφιος ᾠδή. Jul. Pollux Phrygiam esse vocem existimat: τὸ δὲ Νηνίατον, inquit, ἐστὶ μὲν Φρύγιον. ἱππώναξ δὲ αὐτοῦ μνημονεύει. Unde Νηνυρίζεσθαι τὸ θρηνεῖν. Scaliger autem ab Hebræa manasse censet in Notis ad Festum: á quo, etsi non nostrum est dissentire, constat tamen Phrygas ob vocem asperam, & luctui ciendo valde idoneam, olim sæpe pompis funebribus fuisse adhibitos, uti & Mysos: Unde Æschylus in Persis:

Καὶ στερν' ἄρασσε κἀπιβοᾶ τὸ μύσιον.

Ad quem locum Scholiastes: οἱ γὰρ μύσοι καὶ οἱ Φρύγες μάλιστα εἰσὶ θρηνητικοί. Imò verò Phrygibus tibiarum funebrium inventionem asscribit Statius libr. VI. in exsequiis Archemori:

Tum

Tum signum luctus cornu grave mugit adunco
Tibia, cui teneros suetum traducere manes,
Lege Phrygum mœstâ. Pelopem monstrasse ferebant
Exsequiale sacrum, carmenq́; minoribus umbris
Vtile, quò geminis Niobe consumpta pharetris
Squallida bissenas Sipylen deduxerat urnas.

Cui adstipulatur & ipse Pollux, à Phrygibus hisce tibiarum funebrium usum etiam Cares accepisse asserens libro III. Λέγεται δὲ καὶ Φρύγας εὑρεῖν αὐλὸν θρηνητικὸν, ᾧ κεχρῆσθαι σὺν Κάρας παρ' ἐκείνων λαβόντας. θρηνῶδες γὰρ τὸ αὔλημα καρικὸν. Et quæ Caricum illud melos ad tibiam canebant mulieres Καρῖναι dicebantur: Hesychius: Καρῖναι θρηνῳδοὶ μουσικαὶ αἱ σὺν νεκρὸς τῷ θρήνῳ παραπέμπουσαι πρὸς ταφὰς, καὶ τὰ κήδη. παρελαμβάνοντο δὲ αἱ ἀπὸ Καρίας γυναῖκες. Plura si cupis, adi Pet. Fabr. libr. III. Semestr. cap. II. & Erasm. in Prover. Καρικὴ μοῦσα. Quare non omnino absurdum fuerit existimare Neniam esse Phrygiam vocem. Latini veteres *Lessum* vel *Lausum* appellarunt. Cujus vocis significationem priscos Grammaticos non rectè percepisse, legimus apud Ciceronem lib. II. de Leg. Turnebus vocem esse fictitiam per ὀνοματοποιΐαν censet. Quid si *Lausus* à Græco κλαῦσις descenderet? licet enim

& nobis interdum nugari. Vide Lipsium in Epist. Quæstionib. *Lessus* est apud Plautum Truculento:

—— *stultus es,*
Qui facta infecta facere verbis postules:
Thetis quoq; etiam lamentando lessum fecit filio.

Quasi dicat; Lamentis gemituq; & fœmineo ululatu filium deflevit Thetis, & tamen suis illa lachrymis, quod factum erat, infectum reddere non potuit. Græci ἰάλεμον vocant. Suidas: ἰάλεμος, ᾠδὴ θρηνητική, ὁ ὅπερ τοῖς Ἕλλησιν ἀνίαν φέρων. Athenæus lib. XIV. autor est ἰάλεμον sic ἐν πένθεσι cani solitum, ὡς ὑμέναιον ἐν γάμοις. Utitur eo Oppianus libr. II. Cyneget. ubi de Elephantis mortem præscientibus sic canit:

Οὐκ ἄρα τοι μέγνοισιν ἐν ὀρνίθεσσιν ἔασι
Κύκνοι μαντιπόλοι γόον ὕστατον ἀείδοντες,
Ἀλλὰ καὶ ἐν θήρεσσιν ἐλὼ θανάτοιο τελευτὴν
Φραζόμενοι πόδε φῦλον ἰήλεμον ἐντύνουσι.

Quæ verba clarissimus Ritterhusius noster ita reddidit:

Non ergo solis in avibus sunt
Cygni vates luctum ultimum canentes:
Sed etiam inter feras suum obitus finem
Animadvertentes hoc genus, lessum faciunt.

Hinc ἰηλεμίζειν Hesychius θρηνεῖν, *flere* exponit.

nit. Et ἰηλεμίστρια, ploratrix, quæ lugubria in defunctos canit, præfica. Et τὰ ἰαλεμώδη Suidas τὰ ψυχρὰ καὶ ἀθενὸς ἄξια, *frigida & nullius pretij* interpretatur. Unde etiam paræmia: ἰαλέμα ψυχρόπερα de re inepta & frigida. Vide Zenobium & Suidam. Nugis enim & ineptijs erant pleniſſima, quæ à præficis in laudem mortuorum canebantur: Unde Plautus in Aſinar. Sc. Agedum.

Hæc non ſunt nugæ, non enim mortualia.

Quò alluſit Agellius libr. XVIII. cap. VII. Philoſophos perſtringens, ut loquaces & inanium verborum funditores, præficisq; ſimiles, quæ in mortuos neniam argutam & nugacem canebant. Verba ejus hæc ſunt: *Vos Philoſophi mera eſtis, ut Cato ait, mortuaria gloſſaria. Namq; colligitis lexidia, res tetras & inanes & frivolas, tanquam mulierum voces præficarum.* Tantum de Neniis, & à quibus hæ ad tibias cani ſolebant, Præficis; quam appellationem non diutiùs, quàm ad bellum uſq; Punicum duraſſe, Varro ſcribit libr. IV. de vita pop. Rom. *Ibi à muliere, quæ optima voce eſſet, Pergama laudari: deinde Neniam cantari ſolitam ad*

tibias & fides eorum, qui ludis Troicis cursitassent. Hæc mulier olim vocitata fuit Præfica, usq; ad secundum Pœnicum bellum,

Porrò apud Christianos Præficarum loco olim Psaltriæ substitutæ, quæ hymnos canebant. Meminit Justinianus Novell. LIX. τῶν γυναικῶν τῆς κλίνης ἡγεμόνων & ψαλτριῶν. Et D. Hieronymus in Epithaphio Paulæ testis est, Christianos in funere & exsequiis suorum ceciniſle *Alleluja*, quæ vox est gratulantis, non lugentis. Corippus lib. 3. de exsequiis Justiniani Imp.

Omnis in exsequias sexus convenit & ætas.
Quis memorare potest tanta miracula pompæ?
Hinc Levitarum venerabilis ordo canentum.
Virgineus tonat inde chorus: vox æthera pulsat.

Victor Uticensis lib. de persecut. Vandalorum in Africa: *Quis verò sustineat atq; possit sine lachrymis recordari, dum præciperet nostrorum corpora defunctorum sine solemnitate hymnorum cum silentio ad sepulcrum perduci?* Hoc autem fine Psalmos hymnosq; cantabant, ut gratias Deo agerent, quòd eum, qui è vita excessit, jam à laboribus liberaverit, quòd metu mortis exemptum apud se habeat, immarcessibili ornaturus coronâ: Hymni enim & Psalmodiæ sunt

lætan-

lætantium. Quod ne quis à nobis fictum excogitatúmque putet, D. Chrysostomum laudo auctorem ac magistrum, cujus verba, indice & interprete optimo Rittershusio nostro, hæc sunt Homil. IV. ad Hebræos: εἰπὲ γάρ μοι, ἵνα βάλωντιν οἱ ὕμνοι; ἐχὶ τὴν θεὸν δοξάζομεν καὶ διεγείρομεν, ὅτι λοιπὸν ἐστέφανωσε τὸν ἀπελθόντα, ὅτι τῶν πόνων ἀπήλλαξεν, ὅτι τῆς θλίψεως ἐκβαλὼν ἔχει παρ' ἑαυτῷ; ἀλλὰ τοῦτο ὕμνοι; ἀλλὰ τοῦτο ψαλμῳδίαι; πανῦν γὰρ πάντα χαιρόντων ἐστί. Nec dubitat ibidem sanctus ille orator affirmare, Deum ipsum ista ἐπιτρέπειν (sic enim loquitur) hoc est, istiusmodi quasi munimenta humanorum animorum exstruxisse ad evertendam illam perversam consuetudinem plangendi & insolabiliter lugendi mortuos.

CAP. VII.

De Ludiis & Scurris, qui funeribus Indictivis admoti. Libertos novos lectum domini præcessisse, probatur testimonio Iustiniani Imp. Livij & Appiani. Excussa Dionysii Halicar. verba, quæ secus asserere videbantur. Plures lectos uni funeri prælatos: in iisq; fortassean collocatas imagines, quæ in funeribus solebant circumferri. Dionis Cassij, qui imagines relatorum in Deos ab hac pompa eximit, autoritas in dubium vocata. Damnatorum imagines fractas nec latas fuisse in exsequiis. Simulacra etiam devictarum genti-

gentium & capta ab hostibus spolia lectum mortui antelata. Præcessisse quoq; Lictores cum fascibus & insignibus honorum, sed inversis.

AC ne quid ineptiarum intermitteretur, Ludios quoq; & histriones in funeribus Indictivis lectum mortui præcessisse invenio apud Dionysium Halicar. lib. VII. ἤδιον δ' ἂν καὶ ἐν ἀνδρῶν ἐπισήμων ταφαῖς ἅμα ταῖς ἄλλαις πομπαῖς προηγεμόνας τῆς κλίνης σὺν σατυρικοῖς χόροις κινεμένους τῷ σικίννιδι ὀρχήσιν, μάλιστα δὲ ἐν τοῖς τῶν εὐδαιμόνων κήδεσι. hoc est. *Quin etiam in illustrium virorum funeribus præter alias pompas vidi & Satyricos choros, qui lectulum præcedebant, & sicinnem saltationem saltabant: præcipuè verò in fortunatorum virorum funeribus.* Atq; hoc loco etiam colloco scurras & mimos, qui exsequiis interdum solebant adhiberi: ut patet ex Suetonio in Vespasiano capit. XIX. *Sed in funere Pavo archimimus personam ejus ferens, imitansq;, ut est mos, facta & dicta vivi, interrogatis palàm procuratoribus, quanti funus & pompa constaret, ut audijt HS. centies, exclamavit, centum sibi sestertia darent, ac se vel in Tiberim projicerent.* Videndus idem scriptor in Tiberio cap. LVII.

Ex

Ex hac enim consuetudine Scurra iste, de quo ibi agitur, funeri videtur admotus, licet id Suetonius διαῤῥήδην non dicit. De Libertis orcinis sive charonianis disertè Justinianus Imperator loquitur, illos pileatos lectum sui domini præcessisse, Cod. De Lat. Libert. *Qui Domini funus pileati antecedunt, si hoc ex voluntate fiat vel testatoris vel hæredis, fiant illico cives Romani.* Quem ritum Livius lib. XXXVIII. respiciens scribit Q. Terentium Culleonem *adeo amicum Corneliæ familiæ fuisse, ut pileatus, sicut in triumpho ierat, in funere quoq; ante lectum* [Scipionis] *iverit.* Erat autem à Scipione hic Terentius servitio exemptus: ideoq; ipsum *omni vita, vt dignum erat, libertatis auctorem coluit*, teste eodem Livio lib. XXX. in fine. Huc accedit, quod Appianus Alexandr. Mithridatico, de Prusia memoriæ proditum reliquit: Πέρσεως δ' ἁλόντος, inquiens, ἀπήντισε τοῖς Ρωμαίων στρατηγοῖς εἷμά τε ῥωμαϊκὸν ἀμπεχόμενος, ὁ καλοῦσι τήβεννον, καὶ ὑποδήματα ἔχων ἰταλικὸν, τὴν κεφαλὴν ἐξυρημένος, πίλιον ἐπικείμενος. Et addit: ᾧ τρόπῳ τινες προϊασι τῶν ἐν διαθήκαις ἐλευθερωθέντων. Ambitiosam hanc procerum Rom. consue-

ſuetudinem perſtringit Diony. lib. IIX. his verbis: ἔγωγ' οὖν ἐπίσταμαί τινας ἅπασι τοῖς δούλοις συγκεχωρηκότας εἶναι ἐλευθέρους μετὰ τὰς ἑαυτῶν τελευτὰς, ἵνα χρηστοὶ καλῶνται νεκροὶ καὶ πολλοὶ ταῖς κλίναις αὐτῶν ἐκκομιζομέναις παρακαλουθῶσι τοὺς πίλους ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς ἔχοντες. h. eſt. *Equidem ſcio quosdam, qui teſtamento omnes ſuos ſervos manumiſerunt, ut poſt mortem boni audirent, & multi lectulos eorum ferales proſequerentur pileati.* Quo loco ſunt, qui libertos hoſce lectum patroni ſui proximè fuiſſe ſecutos affirmare non dubitant, contra clariſſimam Livii, Appiani & ipſius Juſtiniani auctoritatem. Atqui ego cur ita ſentirent, cauſæ nihil video. Nam ex Dionyſii verbis, irent præ an ponè ſequerentur, cognoſci liquidò non poteſt. Propriè παρακολουθεῖν eſt honoris causâ latus tegere alicui: ponitur & pro Sequi è veſtigio. Sed in genere Proſequi ſignificat, quod alia voce προπέμπειν dictitãt Græci. Sic quod ait Capitolinus, *Verum Marcus Imp. Capuam usq; proſequutus eſt*, poſſis Græcè dicete, τῷ Ουηρῳ μάρκος μέχρι Καπύης παρηκολούθησε. Hac notione apud Dionyſium capiebat noſter Caſaubonus, cum ipſius ſententiam

ſuper

super hunc locum exquirerem. Veniebat etiam mihi in mentem ita existimare, reliquos quidem lectulos, qui solebant interdum funeribus præferri, fuisse subsecutos hosce libertos: at verò antecessisse lectum, quo mortuus ferebatur. ita ut inter lectulos imaginum & lectum ipsius defuncti irent hi Charonitæ. Dixit enim Dionysius non τὴν κλίνην, sed τῆς κλίνης ἐκκομιζομένης. Nam plures lectos uni mortuo esse prælatos, notissimum est: etsi id lege XII. tab. esset prohibitum, quæ extat apud Cicer. II. leg. *Plusa. fonera. unei. nei. facito. neiue. pluseis. lectos. endoferto.* Sic, ut Servius autor est, in funere Marcelli Augustus sexcentos lectos præferri jussit: Et Sylla sex millia habuit. Et apud Tacitum, libr. XVI. *Largitur in servos quantum aderat pecuniæ, & si qua asportari possent, sibi quemque deducere, tres modò lectulos ad suprema retineri jubet.* At cui usui fuisse hos lectos putabimus? Credo, ut paternæ maternæq; gentis imagines in iis collocarentur. Has enim funeribus nobilium adhibitas, testis Porphyrio ad illud Horatii: *Funus atque imagines ducunt triumphales.* Ubi sic ait intepres

In

In funere nobilissimis quibusq; solebant præferri imagines majorum, quod observari videmus in funeribus principum. Crebrò hujus ritus meminêre autores. Cicero II. Orat. *Brute quid sedes? quid illam anum patri nunciare vis tuo? quid illis omnibus, quorum imagines duci vides? quid majoribus tuis?* Valerius Max. libr. VIII. c. XV. *Africanus imaginem in cella Jovis opt. max. positam habet: quæ quotiescunq; funus aliquod Corneliæ genti celebrandum est, inde petitur.* Epitoma Livii XLVIII. de Lepido: *Præcipit filiis, lecto se strato sine linteis, sine purpura efferrent: imaginum specie, non sumptibus nobilitari maximorum virorum funera solere.* Tacitus lib. III. Annal. tradit lectum Juniæ *viginti clarissimarum familiarum imagines antelatas* fuisse. Idem libr. IV. de funere Drusi: *Circumfusas lecto Claudiorum Liviorumq; imagines, defletum in foro, laudatum pro rostris.* Ubi Guichardus *circumfixas* legit, lectis fuisse affixas istas imagines existimans: quod non probo. Agnoscit has in funere Liviæ etiam Dio lib. LIIX. Propertius hanc pompam detestatur:

Nec mea tunc longâ spatietur imagine pompâ.

Neq;

Neq; in Germanici funere eas prælatas, autor Tacitus lib. II. *Funus sine imaginibus & pompa per laudes & memoriam virtutum ejus celebre fuit.*

Erant autem hæ imagines nihil aliud, quàm expressa corporis effigies humerorum tenus, è cerâ, consolationis ergò asservatæ. Nam ut Lactantius ait lib. II. de falsa Relig. cap. II. *omnino fingendarum similitudinum ratio idcircò ab omnibus inventa est, ut posset eorum memoria retineri, qui vel morte subtracti vel absentiâ fuerunt separati.* Hujusmodi imaginibus atria sua nobiles Romani exornabant, collocando eas ordine in ligneis quibusdam thecis vel armariis, unde exsequiarum tempore depromebantur, ut colligere est ex Plinio lib. xxxv. cap. II. *Expressi cerâ vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera: semperquè defuncto aliquo, totus aderat familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus.* In Principum tamen funeribus non solùm gentilitiæ, sed quorumlibet magnorum virorum ac virtutè præstantium imagines prælatæ: ut in funere Augusti Dio libr. LVI. Καὶ μετὰ τοῦτο τὰς εἰκόνας

(εἰκόνας scilicet) αἵτε τῶν προπατέρων αὐτοῦ, καὶ αἱ τῶν ἄλλων συγγενῶν τῶν τεθνηκότων (πλὴν τοῦ Καίσαρος, ὅτι ἐς σοῦ ἥρωας ἐσεγέγραπτο) αἵτε τῶν ἄλλων Ρωμαίων τῶν καθ' ὁπῶν πρωτευσάντων, ἀπ' αὐτοῦ τοῦ Ρωμύλου ἀρξάμεναι, ἐφέροντο. Καί τις καὶ τοῦ Πομπηΐου τοῦ μεγάλου εἰκὼν ὤφθη, &c. Idem factum in aliis exsequiis. Quòd verò hic Dio dicit, Cæsaris imaginem in funere Augusti ideo non fuisse conspectam, quoniam is in Deorum numerum adscriptus, id antè etiam lib. XLVII. tradiderat, ubi Triumvirorum super hac re edictum recitat his verbis: πρὸς δὲ τούτοις ἀπεῖπον μὲν, μηδεμίαν εἰκόνα αὐτοῦ, καθάπερ θεοῦ τινος ὡς ἀληθῶς ὄντος, ἐν ταῖς τῶν συγγενῶν αὐτοῦ ἐκφοραῖς πέμπεσθαι. Atq; de Augusti imagine simile Senatus decretum memorat lib. LVI Ταῦτά τε, inquiens, αὐτῷ ἐψηφίσθη, καὶ ὅπως μήτ' εἰκὼν αὐτοῦ ἐν ἐκφορᾷ τινὸς πομπεύῃ. Ceterùm super fide Dionis valde ambigit Lipsius in Epistolicis libr. IV. Ep. III. primùm quod ea res ab aliis non sit tradita, ne à Tacito quidem, qui tamen hujusmodi sententias adulatione eximias non facilè solet præterire. Deinde quod Æneæ ac Romuli etiam imagines, licet & ipsi in Deorum numerum relati fuerint, funebri pompæ ornandæ adhibiti sint, ut Tacitus indi-

indicat in funere Drusi lib. IV. *Funus imaginum pompâ maximè illustre fuit, cùm origo Juliæ gentis Æneas, omnesq; Albanorum reges, & conditor urbis Romulus, post Sabina nobilitas, Atta Clausus ceteraq; Claudiorum effigies longo ordine spectarentur.* Sed ego hanc litem non fecero meam. Illud scio, si quis turpi & immani crimine damnatus esset, ejus imaginem damnari & frangi solitam, nec in exsequiis ferri. Unde Juvenalis Satyr. VIII.

Frangendâ miseram funestat imagine gentem.

Tacitus libr. II. Annal. *Cotta Messalinus ne imago Libonis exsequias posterorum comitaretur censuit.* Sic Bruti & Cassij imagines abolitas, docet Tacitus in fine libr. III. Annal. *Viginti clarissimarum familiarum imagines antelatæ sunt, Manlij, Quintij aliaq; ejus nobilitatis nomina: sed præfulgebant Cassius atq; Brutus hoc ipso, quòd effigies illorum non visebantur.* Quot igitur majorum imagines, totidem videntur lectuli funeribus prælati, ita ut suus cuilibet imagini lectulus esset, in quo portabatur. Quanquam interdum non in hujusmodi lectis, sed in oblongis perticis vel hastis imagines

has fuisse latas, ut fercula triumphorum solebant, non ineptè quis existimaverit, præeunte nobis ad hanc conjecturam Silio, qui lib. x. de funere Pauli sic ait:

Non conjunx nativè aderant, non juncta propinquo,
Sanguine tuba virûm: aut celsis de more feretris
Præcedens prisca exsequias decorabat imago.

Porrò non imagines solùm, sed & simulachra gentium urbiumq; subactarum, & nomina sub titulis hostium victorum ipsaq; spolia ab hostibus capta præferri & exhiberi solebant in funeribus Imperatorum. Dionysius Halicar. lib. II x. de funere Coriolani: Επειδὰν δὲ πάντα ἠυτρέπιστο, θέντες ἐπὶ στρωμνῆς εὐπρεπεστάτης ἠσκημένης κοσμῷ, τὴν αὐτοκρατορικὴν ἔχοντα ἐσθῆτα, καὶ πρὸ τῆς κλίνης αὐτοῦ φέρεσθαι κελεύσαντες λαφυράτε καὶ σκῦλα καὶ στεφάνους, καὶ μνήμας, ὧν εἷλε πόλεων, ἤραντο τὴν κλίνην οἱ λαμπροτάτοι τῶν νέων ἐν τοῖς κατὰ πολέμους ἔργοις. Tacitus de funebri pompa Augusti: *Tunc consultatum de honoribus ex quibus maximè insignes visi, ut portâ triumphali duceretur funus: Gallus Asinius, ut legum latarum tituli, victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur.* Quod etiam factum esse autor Dio libr. LVI. τάτε ἔθνη πάνθ' ὅσα προσεκτήσατο ἐπιχωρίως σφίσιν ὡς ἕκαστα ἀπεικασμένα ἐπέμφθη.

Omnes-

Omnesq; nationes, quas subegisset, cum suo ipsarum cultu effictæ cernebantur. Idipsum de Pertinacis funere narrat idem autor libr. LXXIV. παρῆλθον μετὰ ταῦτα τὰ ἔθνη πάντα τὰ ὑπήκοα ἐν εἰκόσι χαλκαῖς ἐπιχωρίως σφίσιν ἐσταλμένα. *Transierunt deinde nationes omnes subjectæ imperio Romano in statuis æneis, sic ornatis, ut est cujusq; gentis patria consuetudo.* Intellexit hoc Lucanus libr. VIII. de funere Pompeij, quem non petere dicit,

Praferat ut veteres feralis pompa triumphos.

Et allusit Virgilius libr. XI. in funere Pallantis:

Multaq; prsterea Laurentis præmia pugnæ
Aggerat & longo prædam jubet ordine duci.

Nec multò post:

Indutosq; jubet truncoe hostilibus armis
Ipsos ferre duces, inimicaq; nomina figi.

Quin imò lictores cum fascibus, aliaque insignia magistratuum, quos olim gesserunt, præcessisse, Polybius tradidit, libr. VI. αὐτοὶ μὲν οὖν ἐφ' ἁρμάτων οὗτοι πορεύονται. ῥαβδοὶ δὲ καὶ πελέκεις καὶ ἄλλα τὰ ταῖς ἀρχαῖς εἰωθότα συμπαρακεῖσθαι, προηγεῖται, κατὰ τὴν ἀξίαν ἕκαστῳ τῆς γεγενημένης κατὰ τὸν βίον ἐν τῇ πολιτείᾳ προαγωγῆς. hoc est, *Isti igitur curru sic incedunt. Fasces verò & secures ac reliqua printipatibus consueta, secundum dignitatem cujusq; præ-*

cedunt, qua, dum in vivis esset, in Rep. eminuit.

Et notandum, fasces hosce verti solitos, ut discimus ex Tacito libr. III. Annal. de funere Germanici: *Igitur tribunorum centurionumq; humeris cineres portabantur: præcedebant incompta signa, versi fasces.* Quem morem tetigisse videtur Virgilius dicto loco:

—— tum mœsta phalanx, Teucriq; sequuntur,
Tyrrheniq; duces & versis Arcades armis.

Ubi Servius: *Lugentium more*, inquit, *mucronem hastæ, non cuspidem contra terram tenentes: scuta autem invertentes non propter numina illic depicta, ne eorum simulacra cadaveris polluerentur aspectu, ut nonnullis frustra placet. Nam lugentium mos est prioris habitus immutatio.* Albinovanus in funere Drusi:

Quos primùm vidi fasces in funere vidi,
Et vidi versos indiciumq; mali.

Statius VI. Thebaid.

—— versis ducunt insignibus ipsi
Graiugenæ reges.

Cap. VIII.

Funera humeris elata, & à quibus. Vespillones, Sandapilones, Barginnæ, Sandapilarii, *Lecticarij in Ecclesiâ Constantinopolitana*, κοπιατοι.

Qui

QVI Funebrem lectum præcesserint, jam vidimus: Sequitur de iis, *qui funus extulerunt.* Quod officium plerumq; à proximis hæredibus fuisse obitum, indicat Servius in lib. VI. Æneid. *Deferendi feretrum propinquioribus virilis sexus dabatur munus.* Horatius lib. II. Satyr. V.

—— *cadaver*
Unctum oleo largo nudis humeris tulit hæres.

Hinc Qu. Metellum Macedonicum *à quatuor filijs illatum rogo, uno Prætore, tribus consularibus, duobus triumphalibus, altero Censorio*, testatur Plinius libro VII. cap. XLIV. & Valer. Maximus libr. VII, de Felicitate. Et Plutarchus de fortuna Romanor.

Nonnunquam etiam Servi manumissi cadaver Domini sui portabant, si non anteirent: Unde Persius Satyr. III.

—— *at illum*
Hesterni capite induto subière Quirites.

Interdum verò imperatores aliique præclarè de Republ. meriti à magistratu vel Senatoribus, vel patritiis efferebantur. Nam Coriolanum οἱ λαμπρότατοι τῶν νέων ἐν τοῖς κατὰ πολέμους ἔργοις extulerunt, teste Dionysio

nysio lib. VIII. Et C. Julii Cæsaris *lectum pro rostris in forum magistratus & honoribus functi detulerunt*, ut annotavit Suetonius in ejus vita. Sic Augusti *corpus ad rogum humeris Senatorum ferendum*, conclamasse Patres autor est Tacitus lib. I. Annal. Imò verò quidam cùm ex populo, tum exteris etiam Romæ commorantibus non contenti erant vulgari more funus prosequi, sed propenso in defunctum amore & observantiâ, suis humeris lectum efferebant: quod in funere Æmilii Pauli contigisse, narrat Plutarchus in ejus vita: ὅσοι γοῦν κατὰ τύχην παρῆσαν Ιβήρων καὶ Λιγύων καὶ Μακεδόνων, οἱ μὲν ἰσχυροὶ τὰ σώματα καὶ νέοι, διαλαβόντες τὸ λέχος ὑπέδοσαν καὶ παρεκόμιζον. οἱ δὲ πρεσβύτεροι συνηκολούθουν, ἀνακαλουμένοι τὸν Αἰμύλιον εὐεργέτην καὶ σωτῆρα τῶν πατρίδων, hoc est, *Quotquot fortè eo tempore Romæ fuerunt Hispani, Ligures, Macedones, ex his juvenes quiq; corpore erant valido, feretrum subierunt: majores natu verò prosecuti sunt, Servatorem & Patrem patriæ Paullum appellantes.* Sic Trebius, qui in ædilitate populo assibus frumẽtum præstiterat, *supremo die populi humeris in rogum portatus est*, ut scrîptum reliquit

Plini-

Plinius lib. XVIII. cap. III. Et Cn. Pompejum non optare,

Vt Romana suum gestent pia colla parentem.

canit Lucanus lib. VIII. Juvenalis Satyr. X. de infelicitate Priami:

Incolumi Troia Priamus veniſſet ad umbras,
Aſſarici magnus ſolemnibus Hectore funus
Portante, ac reliquis fratrum cervicibus, inter
Iliadum lacrumas, &c.

Ex quibus locis abundè conſtat, humeris elata fuiſſe funera, non autem eo modo, ut Rævardus & Fruterius exiſtimarunt, quorum opinionem alibi poſuimus.

Quod ſi verò mortuus tenuioris erat fortunæ, vel populo inviſus, eum à Veſpillonibus exportari ſolitum legimus. De Domitiano Imperatore Suetonius cap. XVII. *Cadaver ejus populari ſandapila per Veſpillones exportatum.* Cui aſtipulatur & Eutropius lib. VII. *Funus ejus cum ingenti dedecore per veſpillones exportatum & ignobiliter ſepultum.* Sic de Heliod. Sycophanta Ammianus Marcellin. lib. XXIX. *Funus ejus per veſpillones elatum, &c.* Hinc Feſtus: *Veſpæ & Veſpillones dicuntur, qui funerandis corporibus officium gerunt, non à minutis illis volucribus, ſed quia veſpertino tempore eos*

efferunt, qui funebri pompâ duci propter inopiam nequeunt.

Variè autem hæc vox scribitur. Alii cum simplice liquida; ut Isidor. in Glossis: *Vespillones fossarij, qui mortuos sepeliunt, bajuli.* Nonnulli verò Vispillo, ut Lexicon Græcolatinum vetus: Νεκροθάπτης, *Vespillo, Libitinarius.* Sunt etiam qui Bispellones vel Bispelliones scribunt: Glossar. vetus: *Bispelliones*, Νεκροθάπται, κοπιάῃ, *Bispillo.* Νεκροφόρος. In qua scriptione diversam originem putat eruditissimus Fr. Junius ad Tertul. de Pall. c. IV. nempe à binis pallijs, quod scilicet lugubres vestes suis superinducerent. Quid est quæso curiosè ingeniosum esse, si hoc non est? nec enim nescire potuit, vir doctiss. literarum B & V. vicinitatem, & sæpè, imò ferè semper unam pro alterâ usurpari. Rectius igitur meo quidem animo Servius, qui hosce homines *à vespera primùm Vesperones, & deinde Vespillones* dictos censet. Verùm de his minutiis Grammaticorum παίδες viderint.

Dicuntur etiam *Sandapelones*, ut in Glossar. *Sandapelo*, νεκροθάπτης. Sidonius *Sandapilarios* vocat lib. II. Epistol. VIII. qua voce

voce non Sandapilarum fabros, sed baiulos intelligit. Appellarunt etiam *Barginnas*: Glossarium vetus, *Barginna*, νεκροφόρος. βάρβαρος, παραφώνησις βαρβάρου. Sic enim distinctè legendum in Gloss. hoc sensu, ut sit Vespillo Barginna, ut sit Barbarus Barginna, ut insuper sit Barbarorum acclamatio Barginna; quod cum bonâ veniâ Jac. Cujacij dictum velim, qui in Novel. 3. malè combinat.

Sed hic Christianorum quoq; consuetudinem breviter subijciemus. Ac in Ecclesia Constantinopolitana erant *Lecticarij* à Constantino Magno primùm instituti, qui gratuitam exportandi mortui operam præstarent, dicti alio nomine κοπιαταὶ à laborando. Hi ex mille & centum officinis annuos habebant reditus, unde funerum sumptus fierent, ut est in Novella Justiniani XLIII. & LIX. & in Novell. Leonis XII. Non autem dubium, quin idem vel certè non absimilis ritus in Romana Ecclesia obtinuerit. Sæpissimè tamen homines pietate & vitæ sanctimoniâ celebres ab ipsis Episcopis & Sacerdotibus ad sepulturam elatos constat. De Paulæ mà-

matris funere D. Hieronymus in Epistola ad Eustochium: *Ex hinc non ululatus, non planctus, vt inter seculi homines fieri solet, sed psalmorum linguis diversis examina concrepabant. Translata est Episcoporum manibus & cervicem feretro subijcientibus, cum alij Pontifices lampades cereosq; præferrent, alij choros psallentium ducerent, &c.* Sic cadaver B. Fulgentii per Sacerdotes deportatum, legitur in ejus vita: *Manè verò postquam multitudo maxima populorum de locis finitimis ad exsequias venit, Sacerdotum manibus ad Ecclesiam civitatis, quæ Secunda dicitur, ubi etiam reliquias Apostolorum constituerat, deportatus, sortitus est honorabile monumentum.* De Filimatiâ quoq; matrona honestissima sic loquitur Sidonius Apollinaris libr. II. Epistol. VIII. *Hanc tamen, si quis haut incassum honor cadaveribus impenditur, non Vespillonum Sandapilariorumq; ministeria ominosa tumulavêre: sed cum Libitinam ipsam flentes omnes exteri quoq; prensitarent, remorarentur, exosculārentur, sacerdotum propinquorumquè manibus excepta, perpetuis sedibus dormienti similior illata est.* Possem plura addere: sed quid opus multis exemplis, in re

in re tam manifesta & extra omnem controversiam positâ?

CAP. IX.

De Pheretro. Isidori in ejus Etymologiâ investigandâ ridiculum acumen. Latura, Latus. Capulum *eodem significatu.* Capularis senex, σορέων. *Pheretrorum discrimen pro qualitate defunctorum. Lectica elati honestiores: Sandapilâ viles & servi. A quo personis ea gestata. Funera interdum apertè elata, interdum tectè.* Larvata Funera *quæ?*

QUemadmodum igitur pro diversitate defunctorum alii atque alii fuerunt Νεκροφόροι: ita etiam diversa fuisse Νεκροφορεῖα observo. Dicebantur ea φοινικῶς *Feretra*, sive Græcum mavis, *Pheretra:* utrumque à ferendo, quod vel pueri intelligunt. Sed audiamus acumen Isidori libr. XVIII. orig. c. IX. *Pharetra*, inquit ille, *sagittarum theca à ferendo jacula dicta, sicut & Pheretrum, ubi funus ducitur: quæ ideò Etymologiam communem habent, quia Pharetra mortem, Pheretrum mortuum portat.* En cor Zenodoti, en jecur Cratetis! Frustra laurum, mordeo, ita mihi præcordia saliunt ad risum. Pheretrum autem latinè *Laturam* dixeris. Glossar. Græcolatinum: *Latura*, φέρετρον. Festi mutilator: *Latitaverunt*,

Gat

Cato posuit, pro sæpè tulerunt. Sic *Latus* pro feretro videtur usurpasse Apul. lib. 2. Metam. *Pompa funeris publici ducebatur per forum, occurrit ad latus quidam mœstus in lacrymis, genialem canitiem revellens senex.* ut observavit C. L. V. Jan. Gruterus amicus noster libr. v 1. Suspic. cap. 8. Eodem significatu & *Capulum* usurpari invenio, sic dictum, non, *quod supra capita hominum feratur*, ut itidem nimis acutè nugatur Isidor. libr. x x. orig. cap. x 1. Sed *ab eo quod corpus capiat*, teste Servio in x 1. Æneid. Cui adstipulatur Nonius: *Capulum dicitur quicquid aliquam rem intra se capit.* Ubi tamen illud posteà ad sepulcrum ipsum accommodat. Festus: *Capulum*, inquit, *& manubrium gladij vocatur, & id, quo mortui efferuntur, utrumq; è capiendo dictum.* Utitur Lucillius Satyra 11.

Quem cum vidissent Hortensius Posthumiusq;
Ceteri item in cubulo non esse aliumq; cubare.

Hinc descendit vox *Capularis*, quæ *senem jam morti contiguum* significat, teste Fulgentio de Prisco serm. Unde Plautus in Milite Sc. Cohibete:

— *itan' ego tibi videor oppidò Acheronticus,*

Tam

Tam Capularis? hoc est: jamjam in Proserpinæ peculio connumerandus. Et Artemona anus maritum suum Demænetum vocat *Capuli decus* Asinariâ Sc. Ain' tu. Græcis Σορέλλην dicitur, qui τὸν ἕτερον πόδα ἐν τῇ σορῷ ἔχει, hoc est, *alterum pedem in sepulchro habet*. Hesych. Σορέλλην, σκώμμα τι ἐπιχωρίαζον εἰς σοῦ γέροντας.

Erant igitur, quod dicere inceperamus, Pheretrorum duo potissimùm genera: Lectica & Sandapila. Ac Lecticis quidem vel Lectis ditiores & nobiliores efferebantur: Græci τὴν κλίνην & τὸ λέχος vocant. Hesychius: Λέχη, ἐφ' οἷς σοῦ νεκρὸς κοσμοῦσιν. Dionysius Halicar. lib. IIII. Lucretiæ cadaver efferri facit ἐπὶ κλίνης μέλασιν ἀμφίοις ἐστρωμένης, *in lectica nigris vestibus instrata*. Nepos in vita Attici: *Elatus est in lecticula, ut ipse præscripserat, sine ulla pompa funeris*. Tacitus libro III. hist. *Simul ferebatur lecticula parvus filius velut in pompam funebrem*. Dionysius libro VIII. de funere Coriolani: ἤραντο τὴν κλίνην οἱ λαμπρότατοι τῶν νέων, &c. Plutarchus in Numa: οἵτε πατρίκιοι τὸ λέχος ἀράμενοι. Seneca libr. VI. Controvers.

vers. VI. *Versæ sunt in exsequias nuptiæ, genialisq; lectus mutatus in funebrem:* Eodem sensu & *Torum* accipio apud Ovidium lib. VI. Metamorph. fab. III.

——stabant cum vestibus atris
Ante toros fratrum demisso crine sorores.

Sic Tacitus II. *Ubi illa veterum instituta? præpositam toro effigiem, meditata ad memoriã virtutis carmina & laudationes & lacrymas?* Propertius lib. II.

Nec mihi tum fulcro sternatur lectus eburno,
Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.

Mortui igitur ditiores Lectica: At verò pauperiores & vilioris fortunæ homines Sandapila efferebantur. Fulgentius de Prisco serm. *Sandapilam antiqui dici voluerunt feretrum mortuorum, id est, loculum non in quo nobilium corpora, sed in quo plebeiorum atq; damnatorum* [addo etiam populo invisorum] *cadavera portabantur.* Glossarium: *Sandapila,* νεκροφορεῖον. Juvenalis Satyr. VIII. *Inter carnifices & fabros Sandapilarum.* Quo loci fabri Sandapilarum sunt, quos Græci Σοροποιὸς appellant, teste Polluce lib. X. c. XXXI. Item Σοροπηγὸς, qui Sandapilas compingunt: quæ vox est apud Nicarchum l. II. Antholog.

Καὶ

Καὶ πᾶσιν μία νὺξ, ἓν φάρμακον, εἷς σοροπηγὸς.

Domitiani cadaver *populari Sandapilâ* exportatum ſcribit Suetonius cap. XVII. Hanc opinor intellexit Horatius lib. I. Satyr. VIII. *vilem arcam* appellans : Et Lucanus libro VIII. de Pompeio :

Da vilem Magno plebeji funeris arcam,
Quæ lacerum corpus ſiccos effundat in ignes.

Martialis *Orcinianam ſpondam* dixit Epigr. V. libr. X.

Orcinianâ qui feruntur in ſpondâ.

Ac tale feretrorum diſcrimen etiam apud Maſſilienſes obſervatum fuiſſe, teſtatur Valerius Maxim. lib. II. cap. VI. *Duæ etiam ante portas eorum arcæ jacent : altera, quâ liberorum, altera quâ ſervorum corpora ad ſepulturam plauſtro devehuntur.*

Sed penè præterieram, certum quoque Veſpillonum numerum uni Sandapilæ fuiſſe adhibitum : quod ex Appiano Alexand. didici, qui libr. IIII. ἐμφυλ. de Icilio proſcripto ſic loquitur : Ἰκέλιος δὲ ἐκλαθόμενος τῆς μεγαλόφρονος ἐλευθεριότητος, νεκρὸν σῶμα ἐκκομιζόμενον ὑποστὰς, τοῖς φέρουσι συνεβάσταζε τὸ λέχος. ἰδόντων δὲ τῶν φρουρούντων τὰς πύλας, ὅτι πλεονάζουσιν οἱ νεκροφόροι παρὰ τὸ σύνηθες ἑνὶ ἀνδρὶ, καὶ τοὺς μὲν φέροντας οὐχ ὑπονο-

ὑτων, τὸ δὲ λέχος ἐρευνωμένων, μὴ νεκρόν τις ὑποκρίνοιτο, οἱ νεκροφόροι τὸν Ἰκέλιον ἤλεγχον οὐχ ὁμότεχνον σφίσιν ὄντα, ἐγνωσθέντα τε οἱ σφαγεῖς ἀπέκτειναν. hoc est, *Icilius verò pristinæ magnanimitatis & ingenuitatis immemor, cadaveri quod efferebatur, subjecit humeros, atq; ita cum aliis bajulabat sandapilam. Portæ custodes conspicati uni mortuo Vespillones solitò plures adhibitos, nihil de ipsis suspicando, tantùm scrutati sunt, ne quis vivus efferretur pro mortuo. Sed cum Icilius argueretur à sociis, quòd non esset Libitinarius, agnitus & interfectus est.* Ac clarissimus Lipsius in Electis annotavit, Sandapilam à quatuor tantùm fuisse portatam, fretus autoritate Martialis, qui libr. VII. Epigramm. LXXV. ait:

Quatuor inscripti portabant vile cadaver,
Accipit infælix qualia mille rogus.

Lecticam verò à sex, interdum ab octo vel pluribus. Unde etiam Lectica hexaphoros & octophoros dicta. Idem Martialis lib. II. in Zoilum Epig. XXCI.

Laxior hexaphoris tua sit lectica licebit:
Dum tamen hæc tua sit, Zoile, Sandapila.

Idem libro VI.

Invidiosa tibi quàm sit lectica requiris?
Non debes ferri mortuus hexaphoro.

Quasi

Quasi diceret : Tàm indignè homines ferunt te juvenem & egenum ferri lecticâ, cui sex homines subjuncti sunt, ut id vix passuri in mortuo videantur.

Sandapilis igitur & Lecticis mortuorum corpora efferri solita, hinc constat: sed quod moneo, interdum apertis, interdum verò tectis. Nam qui sua morte obierant, vel facie erant non planè deformi, illorum cadavera honestissimis vestibus induta & lectis quàm splendidè ornatis imposita, palàm ferebantur, ita ut unusquisq; defuncti faciem, & ex vestibus ornatuq́ue sexum facilè posset cognoscere. Cujus moris, qui hodieq́ue in Italia & Gallia Narbonensi durat, pleni sunt omnes libri. Non raró etiam faciem solebant fucare, præsertim fœminarum & puellarum, ut mortuæ apparerent venustiores. Id constat ex eo, quod de Britannico tradit Dio in vita Neronis : Τὸν δὲ Βρεταννικὸν, φαρμάκῳ δολοφονήσας ὁ Νέρων, ἐπεὶ δὴ πελιδνὸς ὑπὸ τοῦ φαρμάκου ἐγενήθη γύψῳ ἔχρισεν. ὑετὸς δὲ διὰ τῆς ἀγορᾶς αὐτοῦ ἀγομένου πολὺς, ὑγρᾶς ἔτι οὔσης τῆς γύψου, ἐπιπεσὼν, πάσαν αὐτὴν ἀπέκλυσεν, ὥς τε τὸ δεινὸν μὴ μόνον ἀκούεσθαι, ἀλλὰ καὶ ὁρᾶσθαι. Quibus verbis dicit, Britannici corpus

gypso oblitum à Nerone fuisse, ne livor appareret è veneno: sed pluviam coortam eluisse gypsum, dum cadaver per forum effertur; omniumque oculis scelus subiecisse. Eadem & Zonaras: à quibus tamen dissentit Tacitus, noctu elatum Britannicum asserens lib. XIII. *Nox eadem Britannici necem & rogum conjunxit.* Quid opus igitur gypso? cum nox hæc omnia operire & tegere potuisset. Quod si autem cadavera ita erant affecta, ut propter deformitatem vel aliam causam honestè populo ostendi & oculis vulgi palàm exponi non possent, vestibus sic involvebantur tegebanturque, ne cognoscerentur. Quomodo Scipionem Africanum elatum autor est Vell. Paterculus libr. II. *De tanti viri morte nulla habita est quæstio: ejusq; corpus velato capite elatum est.* Repertus enim fuerat manè in lectulo mortuus, ita ut quædam elisarum faucium in cervice reperirentur notæ.

Interdum verò etiam tectis lecticis hujusmodi Funera elata existimo, motus autoritate Dionis Cassii, qui autor est, Sext. Condianum ut se condemnatum iri intellexit,

lexit, equum conſcendiſſe, ex eoq; paulò poſt conſultò lapſum mortem ſimulaſſe, & tum arietem pro ejus corpore elatum combuſtumq́ue eſſe; quæ poſtrema verba Græcè ſic ſonant: Καὶ ἀρθεὶς ὡς καὶ πρᾶγχρῆμα τελευτήσων ἐς οἴκημα ἐκομίσθη Καὶ αὐτὸς μὲν ἀφανὴς ἐγένετο. Κριοῦ δὲ σῶμα ἐς λάρνακα ἀντ' αὐτοῦ ἐμβληθὲν ἐκαύθη. Hic mihi ſubit ſuſpicari Larvis quoque interdum faciem ruinâ ædium detritam vel alio caſu mutilam velari ſolitam: cujusmodi funera *Larvata* fuiſſe dicta obſervavit Vir clariſſimus Philippus Camerarius magni illius Joachimi F. libr. I. Meditat. hiſtor. cap. XCVI. Et clarum id ex Epitaphio veteri duorum conjugali prima nuptiarum nocte in toro conjugali ruina ædium oppreſſorum, cujus ultima verba hæc ſunt: CARI PARENTES NEC LVCTV NEC LACHRIMIS MISERA AC LARVATA NOSTRA DEFLEATIS FVNERA, NE REDDATIS INFELICIORA, &c.

CAP. X.

Funus proſequendi officium quibus phraſibus denotatum. Vitio datum ignoto homini iviſſe exſequias. Athenis quoque id lege prohibitum. Proximorum erant præcipuè hæ partes.

partes, Fœminas & Virgines quoque in funus prodiisse. Apud Christianos hunc morem improbatum à sanctis Patribus. Equi in magnatum exsequiis.

PErgimus ad eos, *qui funus prosequuti sunt.* Quod officium Romani *Sequi, Prosequi, Exsequi, Comitare funus*, & *Ire, venire exsequias* dicebant. Terentius τῷ *Sequi* utitur in Andriâ:

Funus interim
Procedit: sequimur; ad sepulcrum venimus.

Eodem sensu etiam *Prosequi* usurpatur: quod verbum ad omnes pompas est accommodatissimum. Seneca Epistol. XXX. *Bassus nòster videbatur mihi prosequi se & componere & vivere tanquam superstes.* Apulejus libr. VIII. Metamorphos. *Funus verò toto feralem pompam prosequente populo, deducitur ad sepulturam.* Respondet autem huic voci Græca προπέμπειν & παραπέμπειν & ἐκπέμπειν. Æschylus in ἑπτ' ἐπὶ θηβ.

πῶς θολμήσω μήτε σε κλάειν
μήτε προπέμπειν ἐπὶ τύμβῳ.

Et paulò post:

ἡμεῖς μὲν ἴμεν καὶ συνθάψομεν.
αἱ δὲ προπομποί.

Plutarchus in Numa: οἵτε πατρίκιοι τὸ λέχος

ἀρά-

ἀράμενοι καὶ συμπαρόντες οἱ τῶν θεῶν ἱερεῖς καὶ παρα-
πέμποντες.

Euripides:

Τόνδ' αὖ θανόντα καὶ πόνων πεπαυμένον
Χαίροντας εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων.

Ubi τὸ ἐκπέμπειν Cicero *exsequi* interpretatur in I. Tuscul. quæst.

At qui labores morte finisset graves
Omnes amicos laude & lætitia exsequi.

Sic *Comitare funus* est apud Ovidium lib. I. de Ponto Eleg. X.

Funera non potui comitare nec ungere corpus.

Sed & *Ire* simpliciter eodem modo accipitur, quemadmodum etiam *Ire* vel *Venire exsequias.* Terentius in Andria: *Effertur, imus.* Virgilius II. Æneid.

Ite, ait, egregias animas, quæ sanguine nobis
Hanc patriam peperere suo, decorate supremis
Muneribus.

Quem locum imitatus videtur Silius Italicus libr. XV. Punicor. ubi occiso Marcello Hannibal sic loquitur:

Marcellum abstulimus Latio: deponere forsan
Gens Italum tandem arma velit: vos ite superbæ
Exsequias animæ & cinerem donate supremi
Muneris officio.

Apulejus lib. III. Florid. *Proin quoniam Poëta optimus personam vitæ deposuerit: recta*

de auditorio ejus exsequias eundum. Idem lib. IV. *Aspexit in pomœriis civitatis funus ingens locatum, plurimos homines ingenti multitudine, qui exsequias venerant, circumstare, omnes tristissimos & obsoletissimos vestitu.* Terentius Phormione: *Exsequias Chremeti, quibus est commodum, ite: hem tempus est.*

Ovidus lib. II. Amor. Eleg. VI.

Psittacus Eoïs imitatrix ales ab Indis
Occidit: exsequias ite frequenter aves.

Sed ne verba nos diutiùs teneant; ad rem accedamus.

Indictiva igitur Funera quod attinet, notandum si defunctus benè de omni Repub. fuisset meritus, tum ad ejus exsequias non solùm cognatos & amicos: verùm etiam totam adeò civitatem confluxisse, præconis voce & tuba ad id evocatam. Aderant magistratus, Senatores, equites atq; adeô omnis populus, ut hac ratione suam erga defunctum benevolentiam testarentur, & si fieri posset, de dolore luctuq; superstitum liberorum propinquorumve in se transferrent particulam, vel aliorum animis solatii aliquid quasi aspergerent. Livius

lib.

lib. XXIV. de Hierone: *Funus fit Regium, magis amore civium & caritate, quàm curâ suorum celebre.* Exempla alia passim occurrunt. Imò Sacerdotes quoq; interdum iviſſe exſequias legimus: ut in funere Numæ, teſte Plutarcho. At in reliquis Funeribus pauci comparebant præter cognatos. Vitio enim ferè dabatur, ignoti hominis exſequias ire. Seneca innuit De Tranquillitate vitæ cap. XII. *Quorundam quaſi ad incendium currentium miſereberis: usq; eo impellunt obvios & ſe alios præcipitant: cum interim cucurrerint aut ſalutaturi aliquem non reſalutaturum, aut funus innoti hominis proſequuturi, aut judicium ſæpè litigantis.* Et Athenis lege erat prohibitum in aliorum funus accedere. Cicero II. de Leg. *Sublata etiam erat celebritas virorum ac mulierum, quò lamentatio minueretur. Habet enim luctum concurſus hominum: quocirca Pittacus omninò accedere quenquam vetat in funus aliorum.* Amici igitur & cognati præcipuè ibi conſpiciebantur, horum enim propria funeris cura: quod & Ariſtoteles monuit libr. IV. Ethic. cap. Εἰς τὰ κήδη δὲ μάλιστα δίωνται δεῖν τοὺς

τοὺς συγγενεῖς ἀπαντᾷν. *In funera quoq; cognatos potissimùm prodire oportere arbitrantur.* Et non obscurè tangit Dionysius Halicarnassæus libr. XI. de Virginio loquens: ὁ δὲ τὴν μὲν ἀληθῆ πρὸς Αντώνιον αἰτίαν ἀποκρυψάμενος, ἀναγκαίου δὲ τινὸς συγγενοῦς σκεψάμενος πέπυσθαι θάνατον, οὗ τὴν ἐκκομιδήν τε καὶ ταφὴν αὐτὸν ἔδει ποιήσασθαι κατὰ τὸν νόμον, ἀφίεται. hoc est. *Virginius verò cum veram causam Antonium celasset, & se cujusdam cognati necessarij mortem audisse simularet, cujus funus & sepultura sibi ex lege esset curanda, dimissus est.* Hinc Plinius libr. XXXV. cap. II. *Semper defuncto aliquo totus aderat familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus.* Cicero pro Quintio: *Si funus id habendum sit, quò non amici conveniunt ad exsequias cohonestandas, sed bonorum emptores, vt carnifices, ad reliquias vitæ lacerandas & distrahendas.*

Solebant autem morientes interdum amicos suos vel liberos legato aliquo invitare, ut exsequias sibi venirent. Valens in L. Si tibi D. De Legat. III. *Si tibi & ei, qui ex tribus liberis meis in funus meum venerit, centum aureos legavero.* Mæcianus

cianus etiam sub hac conditione, *si ad exsequias funeris mei venerit*, Legata quandoque data ostendit, in L. conditionum, quæ D. De Condic. & dem. Atq; hæc forsan intelligenda sunt de amicis & liberis qui peregrè aberant, vel alibi habebant domicilium.

Non autem viri solùm: sed & Fœminæ funus prosequebantur, unâq; innuptæ filiæ cum reliquis cognatis mulieribus, ut patet, ex Plutarchi Problem. ubi causas investigat, cur filiæ aperto capite & solutis crinibus prodeant in funus. Locum ipsum inferiùs laudamus: Similem verò ritum etiam apud Athenienses usitatum fuisse, testatur præter alios Terentius in Andria, cum inquit:

Effertur, imus: interea inter mulieres
Quæ ibi aderant, fortè unam adspicio adolescentulam
Formâ. Sos. *bonâ fortasse.*

Idipsum manifestè significavit Lysias in defensione, quam scripsit Eratosthenis, qui adulterum domi deprehensum occiderat. Affirmat enim ille, interitum matris originem fuisse omnium suorum malorum; quòd uxor, cum in funus processisset, spectata

ctata primò ibi sit à delicato illo adolescente, cum quo postea consuetudinem stupri habuit. Inquit autem purus ille scriptor: ἐπειδὴ δὲ ἡ μήτηρ ἐτελεύτησε, πάντων τῶν κακῶν ἀποθανοῦσα αἰτία μοι γεγένηται; ἐπ' ἐκφορὰν γὰρ αὐτῇ ἀκολουθήσασα ἡ ἐμὴ γυνὴ, ὑπὸ τούτου τοῦ ἀνθρώπου ὀφθεῖσα, χρόνῳ διαφθείρεται. Vide P. Victorium libr. III. Var. Lect. cap. XII. Id verò de iis intelligendum est, qui proximo sanguinis nexu cohærebant mortuo. Nam reliquis in funus prodire, aut domum funestam ingredi fas non erat, nisi jam sexagenariis: ut est in lege Solonis apud Demosthenem in Oratione ὑπὲρ ἁγνίου κλήρου: Βαδίζειν δὲ τοὺς ἄνδρας πρόσθεν, ὅταν ἐκφέρωνται. Τὰς δὲ γυναῦκας ὄπισθεν. γυναῖκα δὲ μὴ ἐξεῖναι εἰσιέναι εἰς τὰ τοῦ ἀποθανόντος, μηδ' ἀκολουθεῖν ἀποθανόντι, ὅταν εἰς τὰ σήματα ἄγηται, ἐντὸς ἑξήκοντα ἐτῶν γεγονυῖαν, πλὴν ὅσαι ἐντὸς ἀνεψιαδῶν εἰσι. At verò apud Messenios mulieres in funus prodire probro habitum fuit: ut colligere est ex Æliano lib. VI. Var. hist. cap. I. ubi inhumanitatis accusat Lacedæmonios, quod Messeniorum mulieres bello captas id facere coëgerint. Λακεδαιμόνιοι, inquit, Μεσσηνίων κρατήσαντες. τῶν μὲν γινομένων ἁπάντων ἐν τῇ Μεσσηνίᾳ τὰ ἡμίση ἐλάμβανον αὐτοὶ καὶ τὰς γυναῖκας

τὰς

τὰς ἐλευθέρας εἰς τὰ πένθη βαδίζειν ἠνάγκαζον, καὶ τοὺς ἀλλοτρίους καὶ μηδὲν σφίσι προσήκοντας νεκροὺς κλαίειν. hoc est, *Lacedæmonij Messenius superatis omnium quæcunque in Messenia erant dimidiatam partem sibi ceperant, & mulieres liberas in funera prodire coëgerunt, & alienos neque quicquam ad se pertinentes mortuos lugere.* Nisi forte, quod malim, de Præficis hic locus intelligendus est, quarum vicem obire à Lacedæmoniis coactæ sint mulieres Messeniorum. Sed nec Christianis mulierib. virginibusq; id fuisse permissum, ex S. Patrum scriptis apparet. Synesius Epist. III. οὐ γὰρ οἶμαι, νομίζετε νυμφευτρίαις βαδίζειν ἐπ' ἐκφοράν, *non esse moris novam nuptam ad funus convenire.* D. Chrysostomus περὶ τῆς ἱεροσύνης libr. III. Δεῖ δὲ καὶ ἐκφορῶν καὶ παννυχίδων ἀπείργειν: virgines intelligit: οἶδε γὰρ οἶδεν ὁ πολυμήχανος ὄφις ἐκεῖνος καὶ διὰ χρηστῶν πράξεων τὴν αὐτοῦ παρασπείρειν ἰόν. καὶ χρὴ τὴν πάρθενον πανταχόθεν τειχίζεσθαι καὶ ὀλιγάκις τοῦ παντὸς ἐνιαυτοῦ προβαίνειν τῆς οἰκίας, ὅτ' ἂν ἀπαραίτητοι καὶ ἀναγκαῖαι κατεπείγωσι προφάσεις. hoc est. *Jam & virgini oportet funebres pompas & publica pervigilia interdicta esse. novit enim, novit ingeniosissimus serpens ille vel per bona suum ipsius virus disseminare. Propterea virginem*

ginem oportet undecunq; tanquam muro circumseptam esse, ac toto anno perrarò domo egredi: idq; demum cùm inexcusabiles & necessariæ urgebunt causæ; ut utar versione clarissimi amicissimiq; nostri Davidis Hœschelij, fugientium Græcarum literarum strenui vindicis, cujus optimis in aureum hunc scriptorem Notis debemus etiam illud ex Synesii Epistola testimonium: id volui, benevole Lector, nescius ne esses.

Non autem homines solùm, sed & equos in Magnatum exsequiis iviſſe, qui mos hodieq; durat, videre est ex Chrysostomo Homil. III. ad populum Antiochenum: *Divite aliquo mortuo, non servos solos & ancillas: sed & equos necessarij sacco amicientes & agasonibus tradentes, ad sepulturam sequi jubent, calamitatis magnitudinem ostentantes & omnes ad misericordiam allicientes.*

Cap. XI.

Habitus & mores lugentium. Lacruma. Planctus & κερνοτυπία. Lacerationes lacertorum & genarum. Hæ Solonis legibus & XII. tabul. vetitæ quidem, sed non sublatæ. Hadr. Iunij in causa hujus legis investiganda lapsus.

Jam

JAM verò de habitu & moribus funus prosequentium & in luctu constitutorum, inprimis verò eorum, qui defuncto sanguine proximiores, nonnihil dicendum esse ordo monet. Re igitur diligenter considerata, quantum quidem mihi libraria supellectile destituto memoria jam suppeditat, invenio cùm in aliis luctibus, tùm verò etiam in hoc funebri antiquitus præcipuè usitatas fuisse Lacrymas, planctum, & στερνοτυπίαν, Lacerationis genarum, Querelas & maledicta in Deos, crines passos, scissos, interdum etiam tonsos, ornamenta deposita, cultum & vestes mutatas, & quæ alia sunt hujus generis, de quibus singulis jam distinctè agam & per partes.

Ordiar autem à Lacrymis & fletu, qui adeò notus in funere, ut ferè me pudeat de eo verbum ullum facere. Terentius Andria: *In ignem posita est, fletur.* Ovidius 1. de Ponto Eleg. x.

Illum ego non aliter flentem mea funera vidi.
Ponendus quàm si frater in igne foret.

Homerus Odyss. Δ.

Τοῦτο νυ πουγέρας ἐστιν ὀϊζυροῖσι βροτοῖσι
Κείρασθαί τε κόμην βαλέειν τ' ἀπὸ δάκρυ παρειῶν,

Namq;

Namq; hæc sola manent miseros solatia mortis
Et tondere comam & lacymris respergere vultus.

Corippi hac de re locus est, quem adhuc adscribam, ut eum macula liberem, qua laborat: sic enim ille libr. III. de funere Justiniani Imp.

Funduntur lacrymæ ritu nivis, imbre madebant
Cunctorum vestes, proprioq; in fonte natabant
Madentes oculi, vultusq; sinusq; rigabant.

Apagè illud *Madentes* & L. *Manantes.*

Nec plura addo, in re adeò obviâ ac protritâ, notâq; etiam iis, *qui nondum ære lavantur.*

Raro autem solæ lacrymæ: sed comites ferè semper habebant Planctum & στερνοτυπίαν. Lucianus de luctu: οἰμωγαὶ δὲ ἐπὶ τούτοις καὶ κωκυτὸς γυναικῶν καὶ παρὰ πάντων δάκρυα καὶ στέρνα τυπτόμενα. Plutarchus ad Apollonium: Καὶ ἐν οἷς ἐδυσχέραινον σφόδρα μνήμασιν ἀνοιμώζοντες καὶ στερνοτυπούμενοι, λαμπρὰς εὐωχίας συνίστανται μετὰ μουσουργῶν. Ovidius lib. IX. Metamorph. de Thisbe, cum Pyramum proprio gladio confossum vidisset:

Sed postquam remorata suos agnovit amores,
Perculit indignos claro plangore lacertos,
Et laniata comas, amplexaq; corpus amatum
Vulnera supplevit lacrymis.

Idem in Epist. Sapphus ad Phaonem:

Post.

Postquam se dolor imminuit, mea pectora planxi,
Nec puduit ruptis exululare comis.
Non aliter quàm si nati pia mater adempti
Portet ad extructos corpus inane rogos.

Propertius libr. II. ad Cynthiam:

Tu verò nudum pectus lacerata sequêris,
Nec fueris nomen lassa vocare meum.

Juvenalis alludit Satyra XIII.

Et majore domus gemitu, majore tumultu
Planguntur nummi quàm funera.

Arnobius lib. V. adversus Gentes. De Gallis Deûm matris: *Quid pectoribus applodentes palmas passis cum crinibus Galli? Nonne illos referunt in memoriam luctus, quibus mater turrita cum Acdesti lachrymabili puerum prosequuta est ejulatu?* Et statim: *Et cur more lugentium cædant pectoribus lacertos, & fortunam imitentur in lamentabili constitutorum sorte.* Libanius de Loquacitate mulieris: Πέμψατέ με ταχέως εἰς τὴν τελείαν ἡσυχίαν. ἀναμίξατε με τοῖς ἀπελθοῦσι τοῖς ἀναισθήτοις. πῶς γὰρ οὐκ εὐδαίμων, ὅταν ὁ μὲν ἐπὶ κλίνης φέρηται, κόπτωνται αἱ γυναῖκες, οἱ δὲ προσήκοντες ὀλοφύρωνται. ὁ δὲ τούτων ἀκούει μηδὲν. hoc est. *Damnate me quamprimùm perfecta quiete, efficite ut numerum beatorum fato functorum sensuquè cassorum augeam. Qui tunc beatulus non essem, cum hoc quidem corpusculum*

in lectica deferretur & mulieres plangerent & cognati ac necessarij lugerent: mortuus verò nihil horum quicquam audiret. Artemidorus lib. I. cap. XLIII. de mammis: Πολλάκις δὲ καὶ πένθος, μάλιστα δὲ γυναιξὶ σημαίνουσι: αὗτοι γὰρ ἐν πένθει καὶ σὺν μαζοὺς λωβῶνται. hoc est, *Sæpè etiam mammæ luctum præsertim mulieribus significant. Hæ enim in luctu etiam mammas dilaniant.* Atque hujus στερνοτυπίας principes erant Præficæ, de quibus jam ante diximus. hæ enim modum plangendi ceteris dabant; iisquè ad pectus plangendum ac alias nugas præibant: accinente etiam tibia funebri. Id quod etiam ex Eusebio discimus lib. IX. hist. Eccl. cap. VIII. οὐδ' ἦν ἄλλο τι θεωρεῖν ἢ θρήνους μετὰ τῶν συνήθων αὐτοῖς αὐλῶν τε καὶ κτύπων. Unde & in Evangelio D. Matthæi cap. XI. ηὐλήσειμεν ὑμῖν καὶ οὐκ ὠρχήσασθε, ἐθρηνήσαμεν καὶ οὐκ ἐκόψασθε. De Ægyptiis, quibus peculiariter hæc stultitia quasi addita, vide Herodotum lib. II.

Non autem lacertos tantum & pectora lacerabant: sed etiam genas vultumq; ipsum: cujusmodi lacerationes mulieribus potissimùm erant peculiares. Servius

in-

in lib. III. Æneid. *Varro dicit mulieres in exsequiis & luctu ideò solitas ora lacerare, ut sanguine ostenso inferis satisfaciant.* Et in lib. XII. *Moris fuerat, ut ante rogos humanus sanguis effunderetur vel captivorum vel gladiatorum. quorum si fortè copia non fuisset, laniantes genas suum effundebant cruorem, ut rogis illa imago restitueretur.* Quem morem Atheniensibus suis jam ante Solon: & Romanis Decemviri severè interdixerunt. De Solone Plutarchus testatur in ejus vita: Επέστησε καὶ τοῖς πένθεσι νόμον, ἀπείργοντα τὸ ἄτακτον καὶ ἀκόλαστον, Et mox: Αμυχὰς κοπτομένων καὶ τὸ θρηνεῖν πεποιημένα καὶ τὸ κωκύειν ἄλλον ἐν ταφαῖς ἑτέρων ἀφεῖλεν. In Duodecim tab. verò etiam scriptum memorat Cicero II. leg. *MVLIERES GENAS NE RADVNTO.* Plinius etiam vocem *radendi* retinet lib. XI. cap. XXXVII. *Infra oculos malæ homini tantum, quas prisci genas vocabant, XII. tab. interdicto radi à fœminis eas.* Festus: *Radere g.* interpretatur *unguibus* scindere vel cruentare: Est enim Festi locus mutilus & tale quid subintelligi debet. Nō igitur audiendus Servius, qui legem hanc ita concipit: *Mulier faciem ne carpito.* Non

enim faciem, sed genas: nec carpito, sed radito vel potius radunto, numero pluriùm in Legibus fuisse ex dictis liquet. Solon fortean dixerat, ἀμύσασθαι παρειάς: quod propriè τὸ ξέειν τοῖς ὄνυξι. Eustathius ad hunc locum Iliad. α. --- συδ' ἔνδοθι θυμὸν ἀμύξεις, citat ἀμύσασθαι παρειὰν & interpretatur. Apud Lucianum de luctu est ἀμύσασθαι τὸ πρόσωπον: ubi etiam τῶν φοινισσομένων παρειῶν meminit. Possis etiam δρύπτειν παρειάς interpreatari illud *genas radere*: nam & Homerus ἀμφιδρυφεῖς παρειὰς lugentium mulierum appellat. Lævorsum autem hanc legem accepit doctissimus alioquin & politissimus Hadrianus Junius in Commentar. De Coma cap. 11. existimans τὸ *radere* hic idem esse quòd forsiculâ resecare, quemadmodum barbæ solent. Disertè enim dicit ideo vetitam hanc muliebrium genarum rasuram, ut ne diuturno radendi usu succrescentibus pilis à naturâ non datis fœminæ sub ementito virilis oris honore fallerent. Atqui non id Solon, non Decemviri voluere: sed genarum lacerationes intellexêre, quæ unguibus fiebant. His enim fœminæ solebant mortuo parentare: Et

quan-

quanquam de ea re caverint leges: non tamen utiq; fuit obſervatum. Ovidius teſtatur lib. III. Triſt. Eleg. III.

Parce tamen lacerare genas, nec ſcinde capillos,
Non tibi nunc primum, lux mea, raptus ero.

Quo alluſit & libr. II. Amor. Eleg. VI. de morte Pſittaci:

Ite pia volucres & plangite pectora pennis,
Et rigido teneras ungue notate genas.

Ungue notare genas dixit σίζειν τὰς παρειὰς τῇ ὄνυχι quomodo etiam loquitur Eleg. V. lib. III. ejuſdem luſus:

Ilia cui placuit quamvis erat horrida vultu,
Vngue notata comas, ungue notata genas.

Sic Virgil. lib. IV. Æneid. de Anna Didonis mortem deplorante:

Vnguibus ora ſoror fœdans & pectora pugnis.

Et Petronius Arbiter in Satyr. matronæ Epheſinæ *faciem unguibus ſectam* tribuit. Apud Quintilianum etiam declam. X. fit mentio mulieris, quæ filium lugens *ſanguinantes ad judices porrigit lacertos, quæ ſciſſo laniatoq; vultu, quæ lividis præſertim uberibus, &c.* Hinc Artemidorus lib. I. cap. XXX. Παρειὰς παχείας ἔχειν, ἀγαθὸν πάνυ, μείλιγμα γυναικί. τὸ γὰρ ἰχνὰς ἔχειν ἢ ἡλοιμμένας, λύπας ἢ πένθος σημαίνει. ἰχνὰς μὲν λύπας, ἡλοιμμένας δὲ πένθος. καὶ γὰρ ἐν τοῖς πένθεσι λωβῶνται τὰς παρειὰς οἱ ἄνθρω-

ἄνθρωποι, hoc est. *Genas habere crassas, omnibus bonum est, maximè mulieribus. Verùm graciles & ulceratas tristitiam & luctum significat: illæ quidem tristitiam, hæ verò luctum. Nam in luctibus homines genas dilaniare solent.* Perstringit hanc muliebrem insaniam D. Basilius Seleuciæ Episcopus elegantissimis verbis dignissimisq; ut hîc etiam legantur: Ea verò sic sonant: Νῦν καὶ τῶν ἄλλων κακῶν καὶ τοῦτο τῶν γυναικῶν τὸ κόσημα κρατεῖ, ἐπίδειξιν ἐν τοῖς θρήνοις ποιοῦνται καὶ τοῖς κωκυτοῖς αἱμάσσουσαι βραχίονας, σπαράττουσαι τρίχας, χαράδρας ποιοῦσαι κατὰ τῶν παρειῶν: αἱ μὲν ὑπὸ πένθους, αἱ δ' ὑπὸ ἐπιδείξεως, καὶ φιλοτιμίας, αἱ δὲ ὑπὸ ἀσωτίας καὶ βραχίονας γομνοῦσαι ἐπὶ μέσης τῆς ἀγορᾶς.

CAPUT XII.

Convitia & Querelæ in Deos. Capilli passi, lacerati, pulvere sparsi.

PRęterea nonnulli præ nimia impatientia etiam querelis Deos suos onerabant, eosq; convitiis ferè incessebant, quòd ab illis aspectu charorum suorum essent privati. Unde Silius lib. XIII. de Scipione, cum de morte suorum propinquorum audisset:

pietas

—— *pietas irata siniſtra*
Cœlicolis furit atq; odit ſolatia luctus.

Claudianus in præfat. libr. III. in Eutropium:

Improbe quid pulſas muliebribus aſtra querelis,
Quod tibi ſub Cypri littore parta quies.

Statius lib. III. Thebaid.

Primaviq; ſenes & longo examine matres
Invidiam planxére Deis, miſeroq; tumultu
Bina per ingentes ſtipabant funera portas.

Idem lib. V. Sylvar.

& injuſtos rabidis pulſare querelis
Cœlicolas ſolamen erat.

Ex quo ritu etiam loquitur libr. III. Sylvarum:

Scilicet exhauſti Lacheſis mihi tempora fati
Te tantum miſerata dedit: ſuperiq; potentes
Invidiam timuére tuam.

Neq; intra hos terminos ſe continuit illorum inſania: ſed etiam Deorum ſuorum aras & templa lapidare ſolebant, ſtatuas dejicere, & neſcio quid non vindictæ loco perpetrare. Clarum id ex Suetonio in vita Caligulæ cap. V. *Tamen longè majora & firmiora de eo judicia in morte ac poſt mortem extitêre. Quo defunctus eſt die lapidata ſunt templa, ſubverſæ Deûm aræ, Lares à quibusdam familiares in publicum abjecti, partus conjugum expoſiti.* Quo referen-

dus & Senecæ locus de Vita Beata c. xxvi. *Nullam mihi injuriam facitis, sicut nec Dii quidem hi, qui aras evertunt.* Vide Arrianum libr. ii. dissertat. Epictet. cap. xxii.

Ceterùm ut omnia ad mœrorem & tristitiam essent composita, veteres capillamento quoq; luctum præ se ferebant. Ac in Fœminis quidem crines solutos ac circum colla fluitantes observare licet: Imò verò etiam in viris, si qui comam alerent. Unde Pedo Albinovanus in Epicedio Germanici:

Vidimus attonitum fraterna morte Neronem
Pallida projecta flore per ora coma.

Sed in fœminis frequentiùs: quibus ferè proprium hoc auctilis capillitii & ad talos usq; promissi decus natura indulsit. Apertè sanè Plutarchus in Problem: testatur filias τὰς κόμας λελυμένας *solutis crinibus* funus fuisse prosequutas. Livius lib. i. de sorore Horatiorum: *Solvit crines & flebiliter nomine sponsum mortuum appellat.* Ovidius libr. ii. Fastorum de Lucretia:

—— *passis sedet illa capillis,*
Ut solet ad nati mater itura rogum.

Idem lib. vi. Metamorph. fab. vii. de Philomela:

Mos

Mox ubi mens rediit, passos laniata capillos
Lugenti similis, &c.

Et in Epistola Ariadnes ad Theseа.

Aspice demissos lugentis more capillos,
Et tunicas lacrymis, sicut ab imbre, graves.

Ubi *demissos*, id est, in nodum non substrictos, vel non desectos. Sic etiam Tibullus lib. I. Eleg. I.

Tu manes ne lade meos, sed parce solutis
Crinibus, & teneris, Delia, parce genis.

Idem lib. eodem Eleg. III.

Non soror Assyrios cineri qua dedat odores,
Et fleat effusis ante sepulcra comis.

Catullus in Carmine de Nuptijs Pelei & Thetidis.

Illius egregias virtutes claraq; facta
Sæpè fatebuntur gnatorum in funere matres:
Cum tremulo incanos solvent à vertice crines,
Putridaq; infirmis variabunt pectora palmis.

Petronius in Satyr. de celebri illâ matronâ Ephesinâ; *Non contenta vulgari more funus passis prosequi crinibus, aut nudatum pectus in conspectu frequentiæ plangere.* De Gallicis mulieribus vide Cæsarem lib. VII. bell. Gallic. De Fadilla autem Herodianum lib. I.

Sed & lacerates evulsasque à fœminis comas videre est apud Curtium libr. x. ubi Darii mater audita morte Alexandri lace-

ceratis crinibus humi corpus abjecit. Quod & Præficas factitasse ex Lucillii versibus supra memoratis liquet. Atque ab hac ineptia neque viri sibi temperarunt. Cicero III. Tusculanar. *Ex hac opinione sunt illa varia & detestabilia genera lugendi, pedores muliebres, lacerationes genarum, pectoris, capitis percussiones. Hinc ille Agamemnon Homericus & idem Accianus.*

Scindens dolore identidem intonsam comam.

In quo facetum illud Bionis: Perinde stultissimum Regem in luctu capillum sibi evellere, quasi calvitio mœror levaretur. Quippe cum crines in luctu vellere sit cruciatum cruciatui addere, nec enim id citra dolorem fieri queat. Græci τίλλειν τὴν κόμην dixerunt. Lucianus de luctu: Πάυσαι τιλλόμενος τὴν κόμην καὶ τὸ πρόσωπον ἐξ ἐπιπολῆς ἀμύσσων. Scholiastes Aristophanis ad Ranas: Τὸ οὖν τίλλειν τὰς τρίχας καὶ κόπτεσθαι ἅμα μὲν ὡς ἐπὶ τετελευτηκότι ἀναγκαίως. Ex quo ritu etiam, post allocutionem & conventiones inter III. viros & Sex. Pompejum habitas, milites utriusq; partis in mutua salutatione cum propinquos suos & amicos concidisse intelligerent, lugentium specie, comas suas discer-

psisse

psisse & lacerasse vestimenta, narrat Dio l. XLVIII. his verbis: Μαθόντες δὲ τὴν ἀλήθειαν, τάς τε τρίχας ἐσπαράπτον, καὶ τὰς ἐθῆτας περιῤῥήγνυντο. ὀνομαστὶ τε αὐτοῦ ἀνεκάλουν, ὡς καὶ ἐπακοῦσαί τι δυναμένους καὶ πένθος, ὡς καὶ τότε τελευτώντων, αὐτοῦ τε πουκειμένων σφῶν ἐποιοῦντο.

Imò verò etiam pulveris cinerumque aspergine capillitium solebant sordidare: ne quid hic silentio præteramus. Facit id apud Homerum Iliad. XIIX. Achilles audita Patrocli morte:

Αμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν
Χεύατο κᾀκκεφαλῆς.

Et Priamus pulvere aspersus Hectoris filii mortem luget, Iliad. ω. Sic Electra Euripidæa πιναρὰν κόμαν *sordidam & pulverulentam comam* à patris morte ostentat. Hinc Virgilius XII. Æneid.

Demittunt mentes: it scissa veste Latinus
Conjugis attonitus fatis urbisq; ruina,
Canitiem immundo perfusam pulvere turpans.

Idem X. Æneid.

Canitiem multo deformat pulvere.

Et in Ciri:

—— Clade exterrita tristi
Intonsos multo deturpat pulvere crines.

Catullus in Car. de Nuptijs Pelei & Thetidis

Caniciem terræ atq; infuso pulvere fœdans.

Silius Italicus lib. XII. de Campanis:

lugent

—— lugent juvenesq; senesq;
Vulgusq; proceresq; gemant: scissaq; capillos
Plangunt ora simul matres Calydonides Oeneus
Pulvere caniciem genitor vultumq; senile
Fœdat humi fusus.

Ex dictis igitur liquet, apud Romanos etiam & Græcos ritum istum capita cineribus aspergendi in luctu fuisse usitatum; non verò tantummodo apud Judæos, quibus hac consuetudine nihil frequentius: ut vel sexcentis testimoniis possem probare, si foret necesse, & non alii ante me monuissent.

Cap. XIII.

Fœminæ Græciæ in Luctu tonsas, aliquammultis testimoniis probatur. Sed non videri id fuisse perpetuum. Viri in luctu & periculo comam nutriebant. Germanorum mos.

SED quando capillata illa occasio sese jam nobis obtulit, non possum, quin utraq; eam manu apprehendam, & quædam adhuc de crinium lugubri tonsura adijciam tàm è Græcis aliarumvè gentium quàm Romanis ritibus desumpta. Cur enim non liceat nobis interdum excurrere, si modò non omninò extra lineas?

De Græcis memoriæ prodidit Plutarchus, morem apud illos obtinuisse, ut viri quidem in luctu comam alerent, mulieres verò

verò eam tonderent. Verba ejus in Ρωμαϊκοῖς hæc sunt: Καὶ παρὰ ἕλλησιν ὅταν δυστυχία τις γενήσεται, κείρονται μὲν αἱ γυναῖκες, κομῶσι δὲ οἱ ἄνδρες. Cujus ritus origo, si Euripidis Scoliastæ fides habenda, talis fuisse videtur: Athenienses in Æginam exercitum miserant, qui occidione periit, deletus ab Æginetis Laconum subsidio usis, solo relicto cladis nuncio, quem interfectorum conjuges circumstipatum fibulis confoderunt: ob eam causam SCto interdictus fuit fibularum usus, viriq; comam alere jussi, mulieres tonderi præter legem naturæ. Ut autem de Mulieribus primò dicamus, ijs etiam lugubrem tonsuram vel κουρὰς πενθίμους assignat idem Plut. in Consol. ad uxor: Καὶ περὶ μύρου μὲν ἐνίους καὶ πορφύρας διαμάχεσθαι τοῖς γυναιξὶν, κουρὰς δὲ συγχωρεῖν πενθίμους καὶ βαφὰς ἐσθῆτος μελαίνης καὶ καθίσεις ἀμόρφους καὶ κατακλίσεις ἐπιπόνους. Accius in Amphithryone apud Nonium:

—— Sed quænam hæc est
Mulier funesta veste, tonsu lugubri?

Euripides in Alcestide:

Πένθος γυναικὸς τῆς δὲ κοινοῦσθαι λέγω
Κουρᾷ ξυρήκει καὶ μελαμπέπλῳ στολῇ.

Et apud Calabrum Briseis κειραμένη πλοκάμους

hoc

hoc est *tonsis crinibus* herum suum luget. Quomodo & universam Græciam luxisse obitum Alcæi Poëtæ ait Antipater quodam Epigrammate:

Ἄπλεκτον χαίτᾳ ἐν χροὶ κεκραμένῳ. h. e.
Attenso implexo vertice ad usq; cutim.

Sic Suetonius in Caligula narrat, quosdam regulos audita Germanici morte *uxorum suarum capita rasisse ad indicium maximi luctus.*

E diverso tamen Terentius in palliata fabula non tonsam, sed promissam comam in muliere funebri agnoscit. Sic enim apud illum in Heutont. Act. II. Sc. III. loquitur Syrus:

Texentem telam studiosè ipsam offendimus,
Mediocriter vestitam veste lugubri,
Ejus anus causa, opinor, quæ erat mortua:
Capillus passus, prolixus, circum caput
Rejectus negligenter.

Et in Phormione Act. I. Sc. II. virgini matrem mortuam lamentanti *capillus passus* tribuitur. Ac sanè quomodo crines solvere comasque lacerare potuissent, quod fœminas factitasse constat, nisi comam illas aluisse & capillos circum caput fluitare sivisse affirmemus?

Viros

Viros autem quod attinet, & hos quoque in luctu aut periculis constitutos comam nutrivisse, testatur Artemidorus libro I. ὀνειροκριτικῶν. cap. XX. ἠδὲ ἀτημέλητος ἐν συμφοραῖς αὔξεται θρὶξ. Et cap. XXIII. καὶ μέν τοι οὐδεὶς ἐν περιστάσει πονηρᾷ ἢ συμφορᾷ τινι καθεστὼς κείρεται. ἀλλ' οἷς μάλιστα μέλει εὐπρεπείας ἀλύποις τε καὶ οὐκ ἀπόροις. Nec difficile id exemplorum appositione confirmare. Cicero IIII. Verr. *Sordidati maximâ barbâ & capillo Romæ biennium propè fuerunt.* Livius libro XLIIII. de Legatis Alexandrinis: *Sordidati barba & capillo promisso cum ramis oleæ ingressi curiam, procubuerunt & oratio quàm habitus fuit miserabilior.* C. Julium Cæsarem audita clade Turriana barbam capillumq; submisisse, nec antè demisisse, quàm vindicasset, autor Suetonius in ejus vita cap. LXVII. Idem factitavit Augustus propter cladem Varianam, teste eodem cap. XXIII. De Antonio victo refert hæc Plutarchus: καὶ πόμη μὲν ἀτημελὴς καὶ βαθὺς πώγων μετὰ τὴν ἧτταν εὐθὺς ἦν αὐτῷ καθείμενος. Sic Caligulam

Imp.

Imp. mortuâ Drusilla mœroris adeo impatientem fuisse, ut noctu ab urbe profugerit, & cum Campaniam transcurrisset, Syracusasque petiisset, rursus inde redierit *barba capilloq; promisso*, tradit idem Suetonius. Macrinum quoq; Antiochiæ barbam nutriisse in signum luctus, memorat Herodianus. libr. v. Et Curium illum, quem Horatius lib. 1. carm. *incomptis capillis* nominat, cæsariem suam nunquam totondisse propter Præturæ repulsam, scribit Acro Horatii interpres. Ex eodem ritu apud Siculos quoq; fluens & promissa coma ad renovandam luctus memoriam olim videtur fuisse usitata; ut ex Lycophrone discimus, qui in carmine illo σκοτεινῷ sic loquitur de hac Insula:

κρατὸς δ' ἄκουρος νῶτα καλλυνεῖ φόβη
μνημὴν παλαιῶν τημελοῦσ' ὀδυρμάτων. h.e.
Intonsa per tergum fluet capitis coma
Doloris antiqui memoriam refricans.

Sic ex Germaniæ nostræ populis nonnulli barbam capillosque, si quando cladem aliquam accepissent, solebant submittere, nec ante votivum oris habitum exuere, quàm sese de hostibus ulti essent, Tacit. de morib. Germ. *Alijs Germanorum usurpatum*

rara

rara & privata cujusq; audientia, apud Cattos in consensum vertit, crinem barbamq; submittere, nec nisi hoste cæso exuere votivum obligatumq; virtuti oris habitum. De Saxonibus id refert Paul. Warnefrid. lib. III. de gestis Langob. c. VII. *Sex quoq; millia Saxonum, qui bello superfuerant, devoverunt se neque barbam neq; capillos incisuros, nisi se de hostibus Suevis ulciscerentur.* Denique Reos quoque capillum submittere solitos planum ex Plinio lib. VII. Epist. XXVII. & Agellio lib. III. cap. IV.

CAP. XIV.

De Rasura virorum lugubri. à plerisq; gentibus eam usurpatam. Naufragi rasi. Non caput aut genas solùm: sed & supercilia in luctu tonderi solita. Loca scriptorum modò promissos, modò rasos in luctu crines astruentium in concordiam reducta. Equi in luctu magno tonsi.

PROmissos in luctu virorum capillos vidimus: reliquum est, ut de Tonsis etiam dicamus. Nam & hos cùm in omni quidem luctu, tum verò hoc nostro funebri frequentissimos fuisse, innumera scriptorum loca testantur. Intelligendum autem hoc de rasura, quâ quis sibi ipse crines amputabat: Nam quibus apud tonsorem multæ

horæ transmittebantur, *dum decerpitur, si quid proxima nocte succreverit, dum de singulis capillis in consilium itur, dum aut disiecta coma restituitur, aut deficiens hinc inde in frontem compellitur*, ut Senecæ verbis utar, illi tantum abest, ut in luctu fuerint constituti, ut etiam omnibus voluptatibus lætitiaq; abundarint. Artemidorus non obscurè indicat libr. 1. ὀνειροκριτικ. cap. XXIII. κείρεσθαι δὲ ὕπνῳ κυρέως, ἀγαθὸν πᾶσιν ὁπόσοις δηλοῖ. ἐφ' ἡδὺ γάρ, ὡς εἰπεῖν, ἀπὸ τοῦ καρῶσαι καὶ τὸ χαρῶσαι κατὰ παραλλαγὴν στοιχεῖ ἐκδέχεσθαι. Dicit à tonsore per somnium tonderi, lætitiæ signum esse, & τὸ κείρεσθαι à verbo καρῶσαι, quod unius literæ permutatione χαρῶσαι est, originem trahere. Mox autem subjungit: ἅπερ ἑαυτὸν κείρει, πένθος ἀφρίδιον ἢ συμφορὰν μεγάλων κακῶν ἀνάπλεων σημαίνει. οἱ γὰρ ἐν τοιούτοις γινόμενοι, ἑαυτοὺς ἀνάγκη περικείρεσθαι. *Si quis seipsum tondeat, luctum subitaneum aut calamitatem magnis malis refertam significat. Qui enim in talibus versantur, necessariò seipsos circumtondent.* A quo nihil abit Astrampsychus in senariis suis onirocriticis:

Τρίχας καρῶσαι, πραγμάτων δηλοῖ βλάβην.
Τρίχας πεσεῖν ἢ κίνδυνον φέρει μέγαν.

Quos

Quos Hadr. Junius ita reddidit:

Damnum in negotijs coma abrasa indicat.
Discrimen ingens, si cadant crines, notat.

Vel ut Federicus Morellus Professor Regius:

Tonsi capilli, damna rerum detegunt.
Fluxus capillorum periculum edocet.

Sed clarissimè de hoc ritu Herodotus lib. II. τοῖσι ἄλλοισιν ἀνθρώποισι νόμος ἅμα κήδει κέκαρθαι τὰς κεφαλὰς, οὗτοι μάλιστα ἱκνέεται. *Apud ceteros homines more receptum est, ut in luctu statim capita radantur, & eorum potissimùm, ad quos jure luctus perveniebat.* Eadem tradit Athenæus libr. XV. de coronis: Διὰ καὶ περὶ τὰ πένθη τοὐναντίον παρασκευάζομεν. ὁμοιοπαθεῖς γὰρ τοῦ κεκμηκότος, κολοβοῦμεν ἡμᾶς αὐτοῦ τῇ τε κουρᾷ τῶν πριχῶν, καὶ τῇ τῶν στεφάνων ἀφαιρέσει. *Quamobrem in luctu nos contrà tanquam eodem dolore tangamur, ac qui affligitur, decurtamus nos & tonso capillo & detractis coronis.* Tangit & Seneca libr. V. de benef. cap. VI. *Si Regem in luce media errantem ad rerum naturam admisisset, usque eò ignarum, ut quo die Solis defectio fuit, regiam clauderet, & filium, quod in luctu ac rebus adversis moris*

fuit, tonderet. Quò pertinet & proverbialis locutio: Ξυρεῖν ἐν χρῷ: de qua Paroemiographi: Παροιμία ἐπὶ τῶν εἰς βάθος ἀπορρεόντων λεγομένη καὶ ἐπὶ τῶν ἐπικινδύνων πραγμάτων. Et Triclinius apud Sophoclem annotat, pro hoc proverbio, ἐνξυρῷ ἴσασιν τὸ πρᾶγμα, dici etiam ξυρεῖ ἐν χρῷ. Utitur Sophocles in Ajace.

Ξυρεῖ γὰρ ἐν χρῷ τοῦτο, μὴ χαίρειν πικρά.

quasi dicat, summoperè metuendum est, ut non gaviſurus sit aliquis ob ea, quæ hic nunciat. De hoc ritu insignis adhuc locus est Artemidori lib. I. cap. XXIII. ubi diserté affirmat, Rasuræ somnium portendere nautis quidem naufragium: ægrotis verò extremum vitæ discrimen: idque hanc ob causam, quod naufragi & à diuturno morbo se recolligentes radi consueverint, eo periculi magnitudinem aliis testatam facientes. Sic enim ait: Ξυρᾶσθαι δοκεῖν τὴν κεφαλὴν ὅλην πλέκειν διαῤῥήδην ναυάγιον σημαίνει, καὶ νοσεῖν εἰς ἔσχατον ἐλάσαι κίνδυνον. πλὴν οὐκ ἀποθανεῖν. Ναυαγήσαντες μὲν γὰρ ἢ ἐκ μεγάλης σωθέντες νόσου, ξυρῶνται οἱ ἄνθρωποι, ἃ μὴ οἱ ἀποθανόντες. Rasos autem naufragos fuisse etiam Iuvenalis indicat Satyr. XII.

Tunc stagnante sinu gaudent ibi vertice raso,
Garrula securi narrare pericula nauta.

Et

Et Nonius Marcellus: *Qui liberi fiebant, ea causa calvi erant, quod tempestatem servitutis videbantur effugere, sicut naufragio liberati solent.* De hoc ritu Petronius in Satyrico: *Ergo illi qui sunt, qui nocte ad Lunam radebantur? pessimo medius fidius exemplo. Audio enim non licere cuiquam mortalium in nave neq; ungues neq; capillos deponere, nisi cum pelago ventus irascitur. Excanduit Lychas hoc sermone turbatus: Et, itáne, inquit, capillos aliquis in nave, præcidit & hoc nocte intempesta? attrahite acyus nocentes in medium, ut sciam quorum capitibus debeat navigium lustrari.* Alluſit hunc morem procul dubio Apoſtolus in Actis cap. XXVII. cum inquit: ϑδενὸς γὰρ ὑμῶν θρὶξ ἐκ τῆς κεφαλῆς πεσεῖται. Sed non malè me operam collocaturum exiſtimo, ſi nonnullis exemplis conſuetudinem hanc ponendorum in luctu crinium illuſtravero. Athenienſes in feriis Apaturiis ſubornaſſe quosdam μέλανα ἱμάτια ἔχοντας καὶ ἐν χρῷ κεκαρμένους *pullatos & cute tenus attonſos*, ἵνα ὡς τὴν ἐκκλησίαν ἥκοιεν, ὡς δὴ συγγενεῖς ὄντες τῶν Σπολωλότων, ſcribit Xenophon lib. I. ἑλληνικῶν. Sic Argivi à Lacedemonijs bello ſuperati

rati in campis Thereaticis lege caverunt, ne quis comam nutriret ante recuperatum pristinæ gloriæ decus, derelicto priore comam alendi studio, ut memoriæ proditum est ab Herodoto libr. 1. & Plutarcho in Lysandro. E diverso autem Lacones tum victores sanxêre, ne quis comam tonderet, abrogato more ipsis solemni. Quo alludens apud Platonem Socrates Phædonem tali dicterio perstringit: *Si essem*, inquiens, *qui tu, sacrosanctè juraverim, quod Argivi fecerunt, comam non prius alere, quàm expugnatis Simmiæ & Cebetis rationibus victor extiterim.* Myrmidonas in funere Achillis comam circumtondisse refert Calaber his verbis:

—— ἀμφὶ δὲ χαίτας
Μυρμιδόνες κείροντο. ——

Sic nunciata Germanici morte *Regulos quosdam barbam posuisse ad indicium maximi luctus* autor Suetonius in Calig. Et mortuo Attila totum exercitum truncata crinium suorum parte obitum ejus luxisse refert Jornandes in reb. Geticis. Atque hæc est causa, cur Priamus in illa calamitatum & malorum Iliade faciem cute tenus

tenus rasam habuisse legatur. Unde etiam πριαμωθῆναι proverbialiter pro *obradi* usurpatum fuit. Hesychius: πριαμωθήσομαι, ξυρήσομαι. ἐπειδὴ τὸ τραγικὸν τοῦ πριάμου πρόσωπον ξυρίας ἐστίν.

Apud Ægyptios quoque gentem præ ceteris nationibus superstitioni altissimé immersam, à mortuo Api bove nemo non comam radebat, si vel puniceos Nisi cincinnos illa superasset, autor Lucianus libro: de sacrificiis. & Plinius libr: 8. Histor. Natur. De eadem ineptia Julius Firmicus libro de Errore profanar. relig. *In adyto habent Osiridis sepultum idolum: hoc annuis luctibus plangunt, radunt capita, vt miserandum casum Regis sui turpitudine dehonestati defleant capitis.* Quibus similia memorat Plutarchus libro de Iside & Osiride. Imò verò, si vel canis in quadam domo obiisset, tum totam statim familiam radi solitam, scriptum reliquit Diodorus Siculus libro 1. ἀλλὰ μὲν καὶ καθ' ἣν μὲν οἰκίαν εὑρεθῇ κύων τετελευτηκὼς, ξυρῶνται πάντες οἱ κατ' οἶκον ὄντες ὅλον τὸ σῶμα καὶ ποιοῦνται πένθος. *Totum corpus*, inquit. Ergo non caput solum & genæ: sed

& supercilia radebantur. Nam has tres potissimum corporis partes in luctu tonderi solitas, expressè scribit Theodoretus quæstionib. in Deuteronom. cap. ιγ. πινὲς μὲν γὰρ τῶν ἀλλοφύλων ἐθνῶν τῆς κεφαλῆς ἀπεκείροντο τρίχας, ἃ ταύτας προσέφερον τοῖς νεκροῖς. πινὲς δὲ τὰς τῶν γενειῶν, ἄλλοι τὰς τῶν ὀφρύων. Et de superciliis quidem etiam Artemidorus testatur lib. I. cap. XXVII. ἔθος γὰρ παλαιὸν ἐπὶ πένθει τὰς ὀφρύας ψιλοῦσθαι. *Vetus mos est in luctu supercilia nudari.* Solitos autem hoc factitare Ægyptios, de quibus sermo erat, videre est ex D. Ambrosio, qui lib. VI. Ep. XXXVI. sic ait: *Et cum ipsi capita & supercilia radant, si quando Isidis suscipiunt sacra, si fortè Christianus vir attentior sacrosanctæ religioni vestem mutaverit, indignum facinus apellant.* Quòd igitur veterum scriptorum monumenta interdum promissam in luctu comam, interdum verò tonsam agnoscant, ex jam dictis opinor satis superque constat.

Non autem adducta ista loca secum invicem pugnare existimandum est: sed hæc variationis istius causa, quod singulis ferè annis immutari soleant affectiones

ctiones hominum & consuetudines in modum æstuarii augescendo simul & decrescendo : ut taceam quòd non solùm quælibet natio & gens, sed & privatus quisque ferè peculiare suum studium sectatus sit, ita ut qui comam aut barbam alere solebat, ingruente luctu eam radi curaverit: & contrà, cui capilli tonsi erant, is luctus tempore eos crescere augeriq; permiserit: quod subinnuit Herodotus lib. II. ubi cum dixisset, reliquas quidem gentes in luctu radi solere, mox addit: αἰγύπτιοι δ ὑπὸ δ θανάτε ἀνίεσι τὰς τρίχας αὔξεσθαι, πλεῖστε ἐν τῇ κεφαλῇ καὶ τῷ γενείῳ, πέως ἐξυρημένοι. id est, *Ægyptij verò in morte suorum sinunt capitis barbæq; pilos crescere, qui antea tonsi fuerant.* Sed clarius indicat id Gregorius I. Pontifex Maximus qui libr. II. Moral. cap. XVII. ait, morem veterum fuisse, ut quisquis speciem corporis sui capillos nutriendo servaret, eos tempore afflictionis abscinderet: & rursus, qui tranquillitatis tempore capillos abscinderet, eos in ostensione afflictionis nutriret.

Quid? quod non se solum in luctu, sed & equos solebant tondere ad indicium

maximi mœroris. Id Mardonium fecisse Herodotus: & Alexandrum Magnum in funere Hephæstionis: & Thebanos mortuo Pelopida Plutarchus memoriæ prodiderunt. Sic Admetum Phæreorum Regem in morte uxoris suæ Alcestidis equos tonderi jussisse, memorat Euripides his verbis:

Τέθριππά τε ζεύγνυσθε καὶ μονάμπυκας
Πώλους, σιδήρῳ τέμνετ' αὐχένων φόβην.

Persas quoq; audita Masistii cæde se ipsos & equos & jumenta totondisse, autor Herodotus lib IX.

CAP. XV.

Ritus imponendi crines super mortui pectus vel ejus sepulcrum Romanis ac Græcis frequentatus.

POteram jam filum hoc de capillis abrumpere: sed ne alibi iterum cogamur τριχολογεῖν, quæ restant adhuc breviter attexemus. Evulsos igitur ac tonsos rasosq; in omni quidem luctu crines ex dictis liquidò apparet: At verò in hoc nostro funebri solebant illos mortuis offerre & super ipsorum pectora vel tumulos imponere parentandi gratia. Unde eleganter

Maxi-

Maximus Tyrius orat VIII. quæ inscribitur, περὶ τῆς Σωκράτους ἐρωτικῆς, comam esse dicit τὸ πλούσιον δῶρον ἤδη καταθαπτομένῳ. *Vltimum, quod jam sepulto donari potest, munus.* Crebrò hujus ritus meminere autores. Dionysius Halic. libr. XI. scribit, Virgines fœminasq; cum funus duceretur filiæ Virginii, in ejus lectum ἀβύρμαστα πέμμης παρθενικὰς ἢ πλοκάμων βοστρύχους, *vittas virginalis comæ & detonsos crinium tortorum cincinnos* conjecisse. Propertius libr. I. Eleg. XVII.

Illa meo caros donasset funere crines,
Molliter & tenerâ poneret ossa rosâ.

Petronius in satyr. de Matrona Ephesina: *At illa ignotâ consolatione perculsa, laceravit vehementius pectus, ruptosq; crines super pectus jacentis imposuit.* Ovidius libr. III. Metamorph. de sororibus Narcisci:

—— planxere sorores
Naiades & sectos fratri imposuére capillos.

Statius lib. VII. Thebaid.

—— tergoq; & pectore fusam
Cæsariem ferro minuit, sectisq; jacentis
Obnubit tenuia ora comis.

Idem lib. V. Syluar. Epiced. in Patrem:

Exere semirutos subito de pulvere vultus,
Parthenope, crinemq; afflata mente sepulti
Pone super tumulum.

Ovi-

Ovidius in Faſtis.

Mixta bibunt molles lacrimis unguenta favillæ,
Vertice libatas accipiuntq́; comas.

Et in Epiſtola Canaces ad Macareum:

Non mihi te licuit lacrimis perfundere juſtis,
In tua non tonſas ferre ſepulcra comas.

Sic Anna apud eundem evulſos è vertice crines Didonis rogo inſpergit. Et Chariclæa apud Heliodorum Æthiopicæ hiſtoriæ ſcriptorem, extincto ductori ſuo Calaſiri vulſos capillos libat cum gemitu, dicens: ἐπιφέρω σοι χοὰς ἐκ τῶν ἐμαυτῆς πλοκάμων. Helena quoque apud Euripidem in funere ἄκρας ἀπέθριξε τρίχας, *crinium ſummitates truncavit*, aſtutè admodum ſervans anteriores cincinnos intonſos, atque ita dolorem vultu ſimulans, κόμης ἀπαρχὰς ad Clytemneſtræ urnam offerre ſe dictitat. Sic Teucer Sophocleus Ajacem ſepeliens præcipit filio ejuſq́; matri una ſecum capillos offerre,

Κόμας ἐμάς τε τῆς δὲ καὶ σαυτοῦ τρίτου
Ικτήριον θησαυρὸν.

Et in Electra Sophoclis Oreſtes de Agamemmonis ſepulcro ſic ait:

Ημεῖς δὲ πατρὸς τύμβον, ὡς ἐφίετο,
Λοιβαῖσι πρῶτον καὶ καρατόμοις χλιδαῖς
Στέψαντες.

Et

Et aliquantò pòst Electra sic loquitur:

——— σύδε
Τέμουσα κρατὸς βοστρύχων ἄκρας φόβας,
Κ' ἀμοῦ τελαίνης, σμικρὰ μὲν τὰ δ' ἀλλ' ὁμῶς
Ἀ'χὼ, δὸς αὐτῷ τὴν δ' ἀλιπαρῆ τρίχα.

Orestes Euripidis noctu ad Agamemnonis patris sepulchrum κόμης ἀπήρξατο, *comam præsectam libavit:* Calanus Gymnosophistarum princeps postremæ pyræ in quâ, jam affectâ ætate mori certus, exuri majorum ritu voluit, cæsariem imposuit, τῶν τριχεῖν ἀπαρξάμενος: ut in Alexandro refert Plutarchus. Hunc ritum procul dubio respexit Socrates apud Platonem in Phædro, his verbis: Σωκράτης καταψήσας οὖν μου τὴν κεφαλὴν καὶ ξυμπιέσας τὰς ἐπὶ τῷ αὐχένι τρίχας (εἰώθει γὰρ ὁπότε τύχοι παίζειν μου εἰς τὰς τρίχας) ἄυριον δὴ ἔφη ἴσως, ὦ φαίδων, τὰς καλὰς ταύτας κόμας ἀποκερῇ. Erat moriturus Socrates: *Itaq́*, inquit Phœdon, *contrectans posteriores capitis mei capillos, quibus cum sæpissimè ludere solebat, Cras dixit, ô Phædon, forsitan hanc pulcram comam resecabis.* Ex eodem ritu Agathias lib. III. Anthol. ca. εἰς γυναῖκας ad tumulum sororis suæ Eugeniæ Musas, Venerem & Themin crines totondisse ait, hoc versu;

Ευγε-

Εὐγενίων κρύπτει χθονίη κόνις. αἰδὶ ἐπὶ τύμβῳ
Κείρατο πλεκάμους Μοῦσα, Θέμις, παφίη.
Eugenie jacet hic, ad cujus busta secarunt
Cæsariem Musa, & cum Themide alma Venus.

Æschylus ἐν χοηφόροις:
ὁρῶ τομαῖον τόνδε βόστρυχον τάφῳ.

Seneca in Phædra Act. I. Sc. I.

Placemus umbras, capitis exuvias cape
Laceræq; frontis accipe abscissam comam.

Deniq: apud Homerum Iliad. Ψ. negat Achilles lavacro daturum se operam prius quàm rogo imposuerit charissimi Patrocli cadaver, comamq; sibi detonsam. Et paulò post Patrocli manibus parentans: cum duodecim mactasset adolescentes, orco inferias, idem Achilles

Στὰς ἀπάνευθε πυρῆς ξανθὴν ἀπεκείρατο χαίτην,
Τὴν ῥα Σπερχείῳ ποταμῷ τρέφε τηλεθόωσαν.
Ante pyram assistens, rutilantem præsecat ultro
Cæsariem, quam Spercheio nutriverat amni.

Quod Achillis factum stultè imitabundus exprimere voluit Antoninus Imp. de quo ita scribit Herodianus, quod quum apud Ilium Achillem mentirentur, Festum libertum charissimum mortuum efferri jussit magnifico funere, rogoque exstructo imponi, cui subjecto igni ipse, inquit manu phialam tenens vinumque libans, ven-

tos

tos precabatur; cumque esset raro capillitio & crinem quæreret, ut imponeret ignibus, ridiculus fuit omnibus, nihilominus tamen quos habuit capillos totondit. Habemus igitur τὸ ὅτι: At vero τὸ διότι hujus ritus declarat Eustathius Homer. Iliad. Ψ. τὸ δὲ κείρεσθαι κόμην ἐπὶ νεκροῖς, inquiens, πλαθὺ ἔθυμον ὂν καὶ τοῖς πάλαι, ἣν καὶ αὐτὸ λύπης τε ἔνδειξις, καθὰ καὶ τὸ τίλλειν πενθητικῶς κεφαλῆς τρίχας.

CAP. XVI.

Filios velatis capitibus, Filias verò apertis funera parentum comitasse, & quarè. Capita velabant Deos veneraturi. Muliebres vestes induere turpe viro habitum. Fœminæ antiquitus tecta facie in publicum prodibant non Romæ solùm: Sed & apud Caledonios, Arabes, Corinthios, aliosq; Græcos. Lacedæmoniorum mos peculiaris. Viri Romæ apertis capitibus incedebant.

SED in viam revertamur: hoc est, ad Romanos, qui peculiarem quendam ritum habebant, ut, si mortuus liberos reliquisset superstites, ex iis filii quidem velatis: Filiæ verò apertis capitibus in funus prodirent, teste Plutarcho in ῥωμαϊκοῖς. probl. XIV. Διά τι inquit, σοῦ γονεῖς ἐκκομίζουσιν οἱ μὲν υἱοὶ συγκεκαλυμμένοις, αἱ δὲ θυγατέρες γυμναῖς

γυμναῖς τοῖς κεφαλαῖς καὶ ταῖς κόμαις λελυμέναις;
Et audiamus etiam hujus ritus causas. Primo inquit: πότερον ὅτι τιμᾶσθαι μὲν ὑπὸ τῶν ἀῤῥένων δεῖ σοῦ πατέρας, ὡς θεοὺς: πενθεῖσθαι δὲ ὑπὸ τῶν θυγατέρων ὡς τεθνηκότας, ἑκατέρῳ τὸ οἰκεῖον ὁ νόμος ἀποδιδοὺς, ἐξ ἀμφοτέρων ἐποίησε τὸ ἁρμόττον;
Quibus verbis respicit Plutarchus ad solemnem Romanorum consuetudinem, qua Deos veneraturi capita solebant velare, cujus ritus & originem & causas aperit Virgilius libr. III. Æneid. ubi Vates Æneam his præceptis instruit.

Quin ubi transmissæ steterint trans æquora classes,
Et positis aris jam vota in littore solves,
Purpureo velare comas adopertus amictu?
Ne qua inter sanctos ignes in honore Deorum
Hostilis facies occurrat & omnia turbet,
Hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto,
Hac casti maneant in religione nepotes.

Ad quem locum Servius: *Sane sciendum est, sacrificantes DIs omnibus, capita velare consuetos ob hoc, ne se inter religionem vagis offerret aliquid obtutibus, excepto tantum Saturno.* Vide quæ de hoc ritu annotavit Bar. Brissonius libr. I. Formular. & Stuckius lib. II. Antiquitat. convival. cap. XIIX. & Scheckius in Præmessis Epist. X. Pergit autem Plutarchus & subjungit porrò è vesti-

gio

gio adhuc aliam causam hujusmodi: ἡ πένθος μὲν οἰκεῖον τὸ μὴ σωφρονεῖν, σωφρονέστερον δὲ τοῖς μὲν γυναιξὶν ἐγκεκαλυμμέναις, τοῖς δὲ ἀνδράσιν ἀπεκαλύπτοις εἰς τὸ δημόσιον προϊέναι;

Tria hic observo. Primum, Luctus proprium esse id, quod est insolens & insuetum. Unde Servius x I. Æneid. *Lugentum mos est prioris habitus immutatio.* Cujus sententiæ veritas cùm in aliis quidem multis, tum verò in hoc funebri Lyciorum ritu apparet. Hos enim autor est Valerius Max. libr. II. cap. VI. *cum illis luctus incideret, muliebrem vestem induisse, ut deformitate cultus commoti maturiùs projicere stultum mœrorem vellent.* Quid autem deformius unquam in virum cadere potest, quàm si vestimentis muliebribus indutus in publicum progrediatur? quod Caligulam Imp. factitasse refert Josephus lib. XIX. Antiq. Iudaic. cap. I. & Plinius lib. XXXVII. c. II. & Suetonius in ejus vitâ cap. LII. De Commodo Imp. etiã tradit Lampridius, ipsum veste muliebri indutum in theatro & amphitheatro sedisse. Sanè constat apud plerasq; omnes gentes turpe habitum muliebres vestes induere: Unde & Charon-

rondas Thuriorum Legislator eos, qui in præliis signa ordinesq; destituissent, quivé arma pro patria capere recusassent, tali pœna mulctavit, ut vestibus muliebribus induti in medio foro sisterentur ter quotidie ante omnium ora in suggesto, quò hujusmodi hominum animos ab ea mollitie & fœminea timiditate sensim revocaret in audaciam, atq; ut illis mortem præstaret oppetere, quàm tantam ignominiæ calamitatem diutius in patria experiri, ut scribit Diodorus Siculus lib. 11. Bibliothecæ. Sic apud Zonaram in vita Mauritii Imp. victo muliebrem vestem ignominiæ causa missam esse legimus. Et Quintilianus lib. v. cap. 1x. vestem muliebrem ponit inter signa mollis & parum viri. Ut mirum sanè mihi videatur, cur Zenoni Cittieo in mentem venerit jubere ἐσθῆτι τῇ αὐτῇ χρῆσθαι ἄνδρας καὶ γυναῖκας. quamobrem etiam meritò cum ab aliis, tum à Cassio Sceptio reprehensus fuit, autore Laërtio in ejus vita.

Alterum quod in Plutarchi verbis notandum dixi, est, fœminas olim Romæ velata facie in publicum processisse. Tacitus de

de Poppæâ alioquin impudicâ, lib. XIII. *Rarus*, inquit, *in publicũ egressus, idq́ velata parte oris, ne satiaret aspectũ, vel quia sic decebat.* Hanc ob causam C. Sulpitius Galba uxoré suam dimisisse scribitur, quod eam aperto capite foris versatam cognoverat, teste Valerio Maxim. lib. VI. cap. III. Fuit autem hæc consuetudo antiquis temporibus usitatissima, & etiam nunc in Galliis durat. Sic Penelopen cum è Gynæceo descenderet in eum locum, ubi proci degebant, genas subtilibus texisse velis, ita ut ipsa cæteros aspicere, ab aliis verò aspici non posset, narrat Homerus Odyss. XIIX.

Ἄντα παρειάων σχομένη λιπαρὰ κρήδεμνα.

Caledonias mulieres, si in alienos viros & potissimùm Magistratus inciderent, dimidium faciei tantùm tegere solitas, scribit Plutarchus probl. CLXII. Arabiæ fœminas fuisse semitectas, autor Tertull. in lib. de virginibus velandis. *Arabiæ fœminæ non caput, sed faciem quoq́ ita totam tegunt, vt uno oculo liberato, contentæ sint dimidiam frui lucem, quam totam faciem prostituere.* Persarum quoq́; legibus sancitum fuit, ne mulieres extraneis viris inspiciendas se

præberent, ut tradit Josephus libr. 11. Antiq. cap. 1x. Corinthios etiam velasse suas virgines legimus apud Tertull. de Virginib. velandis. Hinc D. Hieron. libro ad Demetrianum de Virginit. servanda: *Illa tibi sit pulchra, illa amabilis, illa habenda inter socias, quæ se nesciat esse pulchram, quæ negligit formæ bonum, & procedens ad publicum, non pectus, non colla denudat, nec pallio revoluto cervices aperit: sed quæ celat faciem, & vix uno oculo, qui viæ est necessarius, patente ingreditur.* Appendicis loco adjicio apud Lacedæmonios morem fuisse, ut virgo quidem apertâ facie, nupta verò velatâ in publico versaretur: cujus hanc reddebat rationem Charilus, ὅτι τὰς μὲν κόρας ἀνδρας ζητοῦσι, τὰς δὲ γυναῖκας σώζειν σοὶ ἔχουσας. hoc est. *quoniam virginibus viros sibi quærere necessarium sit, mulieribus autem quos comparârint, custodire*, ut refert Plutarchus in Laconicis.

Tertium est, viros capitibus apertis incessisse. Quem morem, h.e. τὸ τὰς κεφαλὰς ἀναλύπτους ἔχειν, à priscis Græcis ad Romanos transisse, Eustathius Homeri interpres disertim dicit. Sed de hoc ritu vide

plura

plura apud antiquitatis promum condum Iustum Lipſ. in De Amphit. cap. XIX. & ſeq.

CAP. XVII.

Inſignia magiſtratus in luctu poſita: Annuli mutati, itemq; veſtes. Fœminæ aurum non geſtabant. Lugubria coloris nigri. De fœminarum veſte funebri quæſitum. Videri eam atram quidem fuiſſe primis temporib. ſed albam ſub Impp. Recinia. *Gracia mulieres in luctu atrata. Veſtes ſciſſæ pro luctu nimio.*

REſtat, ut de ornamentis depoſitis cultuq; mutato etiam aliquid dicamus. Nam in publico luctu Magiſtratus atq; adeò totus populus, quicquid ad ornamenta pertinebat, ſolebat deponere, ac ſolitum ſuum cultum viliori aliquo interdum permutare.

Inſignia magiſtratus in luctu poſita, oſtendit Tacit. lib. III. de funere Germanici: *Plena urbis itinera, collucentes per campum Martis faces, illic miles cum armis, ſine inſignibus magiſtratus, populus per tribus concidiſſe Rempublicam, nihil ſpei reliquum clamitabat.*

Annulos mutatos videre eſt ex Suetonio, qui Auguſto mortuo quoſdam cenſuiſſe tradit, *exſequiarum die ponendos aureos annulos, ferreosq; ſumendos.* Quò pertinet Epi-

gramma C. Cilnii Mecœnatis in Horatiũ, quod est apud Isidorum lib. XIX. cap. XXXII.

Lugens te, mea vita, nec Smaragdos,
Beryllos neq́, Flacce, nec nitentes
Semper—candida quæro margaritas:
Nec quos Thynica lima perpolivit
Anellos, nec Jaspios lapillos.

Vestem mutatam quod attinet, autor Dio lib. XL. Consules tanquam in magno luctu Senatoria veste posita Senatum in vestitu equestri congregasse Καίπερ, inquit, καὶ τὴν βουλευτικὴν ἐσθῆτα καταθέμενοι, κἂν τῇ ἱππάδι τὴν γερουσίαν, ὥσπερ ἐπὶ μεγάλῳ τινὶ πένθει, συνάγοντες. Et libr. LV. in funere Augusti: Τῇ τε ὑστεραίᾳ βουλὴ ἐγένετο, καὶ ἐς αὐτὴν οἱ μὲν ἄλλοι τὴν ἱππάδα στόλην ἐκδεδυκότες συνῆλθον, οἱ δ' ἄρχοντες τὴν βουλευτικὴν, πλὴν τῶν ἱματίων τῶν περιπορφύρων. *Postridie Senatus habitus est: in eum reliqui Senatores equestri habitu, magistratus senatorio, prætextis demptis, venerunt.*

Sed & mulieres solebant ornamenta sua deponere, nec aurum vel purpuram in luctu gestare, more tam in Græcia quàm Romæ usitato, Terentius Heautont.

Mediocriter vestitam veste lugubri,
Ejus anuis causa, opinor, quæ erat mortua,
Sine auro tamen ornatam, ita uti quæ ornantur sibi.

Livi-

Livius lib. xxxiv. *Quid aliud in luctu, quàm purpuram atq; aurum deponunt? quid cum eluxerunt, sumunt?* Dionysius Halicarn. libr. ix. de Agrippa Menenio: ὃν ἀποθανόντος ἡ βουλὴ ἐκ τῶν δημοσίων χρημάτων λαμπρότατης ἐκόσμησε ταφῆς: αἱ δὲ γυναῖκες αἱ Ῥωμαίων ἐνιαύσιον ἐπένθησαν χρόνον πορφύραν καὶ χρυσὸν ἀποθέμεναι. Ovidius lib. viii. Metamorph. de Althæa, cum conspicaretur fratres extinctos:

Quæ plangore dato mœstis clamoribus urbem
Implet, & auratis mutavit vestibus atras.

Alluſit huc & in Triſtibus, ubi calamitatis ſuæ memor omnem à libro ſuo ornatum removet:

Nec te purpureo velent vaccinia ſucco,
Non eſt conveniens luctibus ille color.

Ornamentis igitur poſitis Lugubria vel Mortualia induebant. Sic enim appellabantur veſtes funebres, ut forenſia, Cœnatoria. Nævius Lycurgo vocat *Mortualia*, veſtimenta quæ in luctu ſumebantur. *Pallis*, ait, *petagijs*, *crocotis*, *malacis*, *mortualibus*. Sed uſitatius τὰ *Lugubria*: quod ſæpiſſimè apud bonos autores reperias. Ovidius libr. xi. Metamorph. de Ceyce mortuo & Halcyone in ſomnis apparente:

Surge age da lacrymas: lugubriaq; indue, nec me
Indeploratum sub inania tartara mitte.

Idem lib. IV. Trist. Eleg. II.

Illa dies veniet, mea qua lugubria ponam.

Propertius lib. IV. Eleg. ult.

—— *Nunquam mater lugubria sumsi.*

Seneca Consolat. ad Helviam. capit. XVI. *Nostis quasdam, quæ amissis filijs imposita lugubria nunquam exuerunt.* Ulpianus D. De his qui notant. infam. L. VIII. *Si post legitimum tempus cognovit, Labeo ait, ipsa die & sumere eam lugubria & deponere.* Quintilianus declam. X. *At postquam alteram tertiamq; noctem deserta vanis quæstibus duxit, tum tristiora lugubria, tum squallidæ magis placuêre vestes, tum repetitis sanguinavêre planctibus jam convalescentes lacerti.* Pluscula loca hîc adscripsi, ut genera dicendi antiquis usitata Romanæ elegantiæ candidati observarent, videlicet, *Sumere, Induere, Ponere, Deponere, Exuere lugubria.*

Erant autem hæc lugubria coloris nigri: qui color semper pro luctus indicio habitus; uti contrà albus pro signo lætitiæ. quod præter innumera ferè testimonia indicat Astrampsychus duobus hisce senariis onirocriticis:

Ad-

Λευκὴν στολὴν κάλλιστον ἐν ὕπνῳ φέρειν.
Στολὴν φορεῖν μέλαιναν, οὐ καλὴ θεά. h. e.
Omen bonum in somno est amictus candidus,
Gestare amictum atrum, haud bonum spectaculum.

Unde Festus: *Niger lapis in comitio locum funestum significat, ut alij, Romuli morti destinatum.* Salvianus libr. VI. de Providentia: *Nigra est incendio civitas, & tu vultum serenitatis usurpas.* Pericles apud Plutarch. περὶ τοῦ ἑαυτὸν ἐπαινεῖν ἀνεπιφθόνως, eo nomine præcipuè gloriatur, quod ipsius facto nullus unquam civis atram vestem induere coactus sit: Lucem hinc accipit Gregorius Nyssenus lib. περὶ παρθενίας; cap. III. τὴν τέως λαμπρὰς καὶ λευχήμονα καὶ περίβλεπτον ἀθρόως καταμελαίνει προπεσοῦσα ἡ συμφορὰ καὶ περιβάλλει τῷ πένθει.

Morem autem hunc gestandi atras vestes in luctu funebri ab Ægyptijs ortum, scribit Servius ad libr. XI. Æneid. *Morem lugendi*, inquiens, *quidam dicunt Ægyptios invenisse: Eos enim primos Liberum, quem Osirim appellant, à fratre Tyfone per insidias interemptum, atra veste luxisse, inde cæteris gentibus traditum, ut intra annum finiretur luctus.* Ex hoc igitur ritu Juvenalis Satyra X.

Hæc data pœna diu viventibus, ut renovatâ
Semper clade domus multis in luctibus, inq;
Perpetuo mœrore & nigrâ veste senescant.

Et Cynthia apud Propert. lib. IV. Eleg. Sunt aliquid:

Deniq; quis nostro curvum te funere vidit?
Atram quis lacrymis inquinuisse togam?

Macrob. libr. III. Satur. capit. XV. de Crassо, qui murænam in piscina *mortuam atratus, tanquam filiam, luxit.* Sic Valerius Poplicola Φαιὰν ἐσθῆτα λαβὼν Bruto funus fecit, teste Dionysio Halicarn. libro V. Et in funere Augusti Tiberius ac Drusus Φαιὰν στολὴν, τὴν ἀγοραίαν τρόπον, περιημφίεσμαι εἶχον, hoc est, *pullâ veste ad forensem modum paratâ erant amicti*, ut ait Dio lib. LV. In Germanici quoque exsequiis *atratam plebem, trabeatos equites* agnoscit Tacitus lib. III. ad quem locum quid Lipsius notet, vide. Sic ad nuncium è Pannonia allatum de obitu M. Antonini Philosophi, *confusa luctu publico urbe, Senatus in curia veste atra amictus lacrymans convenit.* Alludit huc Cyprianus de mortalitate: *Contestarer assiduè & publicè prædicarem fratres nostros non esse lugendos accersitione dominica de seculo liberatos, cum sciamus non eos amitti, sed præmitti,*

rece-

recedentes præcedere, ut proficiscentes & navigantes solent: desiderari eos debere, non plangi, nec accipiendas esse hic atras vestes, &c. Et Martialis ab hac causa lanam fuscam Polentinam *lugentem* nominat libr. XIV. Epigram. 157.

Non tantum pullo lugentes vellere lanas,
Sed solet & calices hac dare terra suos.

Pertinet huc vetus inscriptio, quæ est Romæ extra Portam Flaminiam. *Mortuum. me. quoq; funerari. jussi. rebus. lugubrib. quibus.* [Forn. legit quas] *vivos. comparavi. lecto. stragulis. forensi. pænula. nigris. omnibus. &c.* Deniq; huc facit illud Pauli Jurisconsulti lib. I. Recept. Sentent. cap. ult. *Qui luget, abstinere debet à conviviis, ornamentis, & albâ veste.* Nam sicut ater color tristitiæ; sic albus vel candidus lætitiæ indicium. Quamobrem Sidonius Apollinaris acriter eos objurgat, qui suo tempore præpostero ritu ac ordine perverso albati in funus prodirent: *Nam libenter*, inquit lib. V. Epist. VII. *incedunt armati ad epulas, albati ad exsequias, pullati ad nuptias:* ostendens eos in tantum moribus & actu confusos, ut apparatum funereũ nuptiali, nuptialem

lem funereo perverso ordine permutarent. Nam qui morem communem temporis illius servabant, non albati ad exsequias, pullati ad nuptias; sed albati ad nuptias, pullati ad exsequias procedebant, ut albati nuptiali gaudio, pullati luctui funereo concordarent, ut loquitur Petr. Arvernus Venerabilis lib. v. Epist. xvi.

Lugentium igitur vestes nigras fuisse hinc constat: Et quidem in viris id semper observare licet, in fœminis verò non item. Nam has priscis tantum temporib. atratas fuisse, docuit me clariss. Lipsius ad ii. lib. Annal. Taciti. Hunc enim colorem illis tribuit Dionysius Halicar. lib. viii. γυναῖκες Ρωμαίων, ὃ νόμος ἐστὶν αὐταῖς ἐπὶ τοῖς ἰδίοις καὶ ἀναγκαίοις πᾶσιν κήδεσιν, ἀποθέμεναι χρυσόντε καὶ πορφύραν καὶ ἄλλον κόσμον, μέλασιν ἀμφιασμοῖς χρώμεναι τὸ ἐνιαύσιον ἐπέτριψαν χρόνον. hoc est: *Romanorum matronæ, ut mos est illis in luctu domestico & necessariorum funeribus, deposito auro & purpura ceteroq; ornatu atratæ ipsum per annum integrum luxerunt.* Apud Suid. incertus scriptor de funere Marcii: Καὶ αἱ γυναῖκες ἀποθέμεναι χρυσὸν καὶ τὸν ἄλλον κόσμον καὶ μέλασιν ἀμφιασμοῖς χρησάμεναι καὶ

περὶ

πενθήσουσι ἐνιαύσιον χρόνον. Varro lib. I. de vita P. Rom. *Ex quo mulieres in adversis rebus ac luctib. cum omnem vestitum delicatiorem ac luxuriosum postea institutum ponunt, ricinia sumunt.* Cujusmodi autem hæc Ricinia fuerint, audiamus ex Sex. Pompejo: *Ricinium*, inquit ille, *omne vestimentum quadratum. Ii qui* XII. *interpretati sunt, esse dixerunt virilem togam, qua mulieres utebantur, prætextam clavo purpureo.* Quem locum sanum esse, nec rectè ab aliis mutatum, lubens assentior nuper o XII. tab. interpreti doctissimo. Nam ita est, ambiformem hic Ricinij definitionem Festus recitat: Illam communem, *Recinium esse omne vestimentum quadratum.* Hanc propriam, Recinium ab Interprete ib. legis XII. definitum *virilem togam, quâ mulieres utebantur*, pura, in luctu, &c. Erant igitur mulieres in luctu Romanico viriliter riciniatæ, sed, quod notandum, domi duntaxat & quidem septem tantùm illos dies, qui funeris elationem præcedebant. Nam octavo die reciniis illis in lectulum feralem impositis, ut, sicut infra monstrabimus, una cum mortuo comburerentur, *togas* sume-

bant

bant *pullas*, quibus cum in funus prodirent. Exquè deinceps vestes in luctu. Varro libro III. de vit. P. Rom. *Ut dum supra terram esset riciniis lugerent: funere ipso, ut pullis pallis amictæ.* Eædem & *togæ anthracinæ* Varroni libr. eodem De vita P. R. cujus loci fragmen habet idem Nonius in Anthracinis. *Propinquæ adolescentulæ etiam Anthracinis, proximæ amiculo nigello, capillo demisso sequerentur lectum.* Ex eodem ritu etiam Ovidius libr. VI. Metamorph. de Niobe:

—— stabant cum vestibus atris
Ante toros fratrum demisso crine sorores.

Et eodem libro de Progne.

—— velamina Prognes
Deripit ex humeris auro fulgentia lato,
Induiturq; atras vestes.

Et lib. XI. Najades inducit lugentes in carbasis pullis. Carbasa autem, pallia fœminarum, teste Nonio.

Verùm sub Imperatoribus, post sericam traductam vestem, & vulgatam Coam, post galbanam, cæruleam, amethystinam, & tot genera colorum reperta, sperni ceptus est, contemniquè color albus, adeò, ut nota & indicium luctus fuerit sexui sequio.

ſequiori eum induiſſe. Inde Herodianus in funere Severi Imper. Αἱ γυναῖκες λιτὰς ἐσθῆτας λευκὰς ἀμφιεννύμεναι σχῆμα παρέχουσι λυπούμενον. hoc eſt, *Fœminæ veſtibus albis exilibus indutæ mærentium ſpeciem præbent.*

Statius in lacrymis Hetruſci:

Huc vittata comam niveoq; inſignis amictu
Mitibus exſequiis ades.

Aſſignat hic Pietati, ut vides, niveam veſtem, quia Dea vel mulier: quanquam Bernartius putat Poëtam hic non oculos habuiſſe ad luctum, ſed ad ſolemnem Deæ cultum, quam non tam ad funus vocet, quàm ad concelebrandam ſingularem Hetruſci pietatem. At Plutarchi locus hac de re clariſſimus eſt in Problemat: Διάτι, inquit λευκὰ φοροῦσιν ἐν τοῖς πένθεσιν αἱ γυναῖκες ἱμάτια, καὶ λευκοὺς κεκρυφάλους; Et vide apud eum cauſas.

Nec verò quenquam moveat, quod Apulejus atram veſtem fœminæ lugubri aſſignat libro III. Miles: *Inter hæc quædam mulier, per medium theatrum lacrymoſa & flebilis atra veſte contecta, parvulum quendam ſinu tolerans decurrit.* Et libro VII. *Mater pueri mortem deplorans fletu & lacry.*

lacrymosâ fuscaq́ veste contecta. Nam ut rectissimè censet Lipsius, fortè aut priscum ritum in animo habuit, ut solet Apulejus; Aut aliud in provinciis fuit, ubi id gestum; more videlicet Græciæ retento, apud quos in luctu constitutos, viros pariter & mulieres nigras vestes gestasse minimè ambigimus. Euripides in Iphig. Aulid. indicat, ubi moritura matrem monet, ne comam laniet suam ob mortem, suisq́; ut renunciet sororibus, ne vestibus nigris corpus eam ob rem contegant.

Μήτ' ἔν γε τόν σον πλόκαμον ἐκτέμης τριχὸς,
Μήτ' ἀμφὶ σώμα μέλανας ἀμπέσχῃ πέπλους,

Bion in Epitaphio Adonidis:

Αἰάζω τὴν Ἀδωνιν. ἀπώλετο καλὸς Ἀδώνις
ὤλετο καλὸς Ἀδώνις. ἐπαιάζουσιν ἔρωτες
Μηκέτι πορφυρέοις ἐνὶ φάρεσι κύτρι κάθευδε.
Εργεο δηλαία κυανοστόλε καὶ πλατάγησον
Στήθεα, καὶ λέγε πᾶσιν ἀπώλετο καλὸς Ἀδώνις.

Sic Homerus Thetin futuram filii mortem deplorantem, nigro tectam velo Jovem adire facit, Iliad. ω. Et sunt alia, quæ fœminas Græciæ in luctu atris vestibus usas fuisse declarant. Nam de viris vulgare negocium est. Quo allusit procul dubio Euripides in Alcestide, ubi θάνατον vocat

ἄνακτα

ἄνακτα τὸν μελάμπεπλον νεκρῶν. Et Moschus in Epitaphio Bionis:

Σὲν Βίων ἔκλαυσε ταχὺ μόρον αὐτὸς Ἀπόλλων
Καὶ Σατύροι μύροντο μελαγχλαινόιπε πίηπαι.

Sed clarissimè Artemidorus libro III. cap. III. τὸ δὲ μέλαν ἱμάτιον σωτηρίαν σημαίνει. καὶ γὰρ οἱ ἀποθανόντες, ἀλλὰ οἱ πενθοῦντες τοὺς ἀποθνήσκοντας τοιούτοις χρῶνται. hoc est, *Nigræ vestes in somniis salutem protendunt. Non enim mortui, sed qui mortuos lugent, ijs utuntur.*

Alium igitur in luctu, alium extra luctum veteres usurpasse vestitum, nec eadem fuisse doloris & lætitiæ insignia, satis, opinor, manifestè ostendimus. Quem morem etiam ipsis Patriarcharum temporibus obtinuisse observavit D. Augustinus Quæstione CXXIX. super Genesin, ad hæc verba: Et depositis vestimentis viduitatis à se. *Hic insinuatur*, inquit ille, *etiam temporibus Patriarcharum certa, & sua fuisse vestimenta viduarum: non utiq; talia, qualia conjugatarum.*

Non autem vestes in luctu tantùm mutare, sed etiam scindere solitam priscam illam antiquitatem vel sexcēta testimonia loquuntur. Virgilius lib. XII. Æneid.

Demittunt mentes : it scissâ veste Latinus
Conjugis attonitus fatis, urbisq; ruina.

Et libro v.

Tum pius Aeneas humeris abscindere vestem.

Silius Italicus lib. XIII. de Scipione audita morte suorum :

Huc tristis lacrymas & funera acerba suorum
Fama tulit duris, quanquam non cedere suetus
Pulsato lacerat violenter pectore amictus.

Statius Epicedio in Glauciam Melioris :

Tu modò fusus humi lucem aversaris iniquam :
Nunc torvus pariter vestes & pectora rumpis.

Idem in Priscillam :

—— tunc flere & scindere vestes
Et famulas lassare greges & vincere planctus.

Sic post allocutionem & conventiones inter Triumviros & Sex. Pompejum habitas utrarumque partium milites, cognita suorum propinquorum morte, τὰς ἐσθῆτας περιερρήγνυντο *vestimenta lacerarunt*, ut tradit Dio lib. XLVIII. Idem à Cleopatra factum, cum vulneratum Antonium, statimq; moriturum susciperet ac lugeret, narrat Plutarchus in vita Antonij. Possem hic planè geminam Hebræorum consuetudinem adducere, sed cum ea non queat esse non nota iis, qui vel primoribus digitis sacram historiam attigerunt, nolo diutius in re prole-

proletariâ immorari: atq; ideo hic de Luctus indiciis, lugentiumq; habitu finem facio, reliqua alio loco additurus.

CAP. XVIII.

Funera ducta per Forum, collocata pro rostris, ibiq; laudata. Origo orationum funebrium à Val. Publicola. Confirmatur Legibus XII. tab. Habebantur orationes istæ à proximis cognatis, vel à magistralibus.

DE triplici Personarum genere, quæ exsequiis solebant interesse, jam diximus, reliquum est ut de Loco aliquid agamus, quem duplicem facio, Unum, *Per quem* funera ducebantur: & alterum *In quem*. De his, ubi quantum quidem memoria mihi suppeditat, dixero, finis erit huic libro.

Locus autem, *Per quem* Funera, præcipué verò Indictiva & publica ducebantur, erat Forum. Discimus id ex Dionysio Halicar: qui libro IV. de funere Ser. Tullii sic loquitur: θορύβου δὲ γενομένου πολλοῦ ἐπὶ τὴν πόλιν ὅλην καὶ οἰμωγῆς ἐπὶ τῷ τυλλίου θανάτῳ δείσας ὁ Ταρκύνιος, εἰ διὰ τῆς ἀγορᾶς ὁ νεκρὸς φέροιτο, ὡς ἐστι Ρωμαίοις ἔθος, τόντε βασίλειον κοσμὸν ἔχων καὶ ἄλλα ὅσα νόμος ἐπὶ ταῖς ταφαῖς, μὴ τις εἰς αὐτὸν ὁρμὴ γένηται τοῦ δημοτικοῦ, πρὶν ἢ βεβαίως κρατύνασθαι τὴν ἀρχὴν, οὐκ εἴασε τῶν νομίμων οὐδὲν αὐτῷ id est. *Exorto autem ingenti*

tumultu & ululatu per totam urbem, ob Tullij mortem, veritus Tarquinius, ne si per forum funus duceretur, ut fert Romanorum consuetudo, cum regia pompa & ceteris solemnibus ceremoniis, quæ in funere observari solent, plebs in se impetum faceret, regni potentiâ nondum satis confirmatâ, nullos sepulturæ consuetos ritus adhiberi passus est. Vide eundem libr. x I. in funere filiæ Virginii & Plutarchum in Lucullo. Ex hoc ritu Apulejus lib. I I. Metamorph: *Ecce jam ad ultimum defletus atq; conclamatus processerat mortuus, ritugz patrio, utpote unus de optimatibus, pompa funeris publici ducebatur per forum.* A lusit & Horatius lib. I. Satyr. V I.

———*at hic si plaustra ducenta,*
Concurrantq; foro: tria funera magna sonabit
Cornua quod vincatq; tubas.

In Forum igitur funus ductum collocabatur pro Rostris: ubi in defuncti laudem Orationes solebant haberi. Acro vetus Horatii interpres in Epod: *Varro pro Rostris sepulcrum Romuli dixit: ubi etiam in hujus rei memoriam duos leones fuisse erectos constat, unde factum est, ut pro Rostris mortui laudarentur.* Cicer. II. Orator.

Nostræ

Nostræ laudationes, quibus in foro utimur, aut testimonij brevitatem habent nudam atq; inornatam, aut scribuntur ad funebrem Orationem. Notandum autem, quod Polybius videtur indicare, eos qui laudandi erant, plerunque pro Rostris erectos fuisse statutos. Sic enim ait ille lib. VI. Συντελουμένης τῆς ἐκφορᾶς, κομίζεται μετὰ τοῦ λοιποῦ κόσμου πρὸς τοὺς καλουμένους Εμβόλους εἰς τὴν ἀγορὰν, ποτε μὲν ἐστὼς ἐναργὴς, σπανίως δὲ κατακεκλιμένος. Quanquam Polybij verba etiam accipere possumus, de simulacris mortuorum cereis, quæ ut à populo conspici possent, machinamentis quibusdam erigebantur. Cujusmodi simulacrum ab Antonio ostensum est populo, super funebri lecto Cæsaris, ea arte factum, ut versatile esset, & omnia ei imposita vulnera mirè ob oculos poneret: autor Appianus.

Origo hujus ritus Romæ quidem Valerio Poplicolæ ascribitur: qui primus Brutum mortuum pro Rostris laudavit. Quod præter Plutarchum testatur etiam Dionysius Halicar. libro V. his verbis: τῇ δὲ ἑξῆς ἡμέρᾳ φαιὰν ἐσθῆτα λαβὼν καὶ τὸ Βρούτου σῶμα προθεὶς ἐν ἀγορᾷ κεκοσμημένον ἐπὶ στρωμνῆς εὐπρε-

ὑπερεπῆρε, συνεκάλει τὸν δῆμον εἰς Ἐκκλησίαν καὶ προελθὼν ἐπὶ τὸ βῆμα τὸν ὕπατον πάφιον ἔλεξεν ἐπ' αὐτῷ λόγον. hoc est. *Postero die atratus Bruti corpus in foro proposuit, splendidè in lecto ornatum, populumque ad concionem convocavit, & suggestu conscenso in ejus laudem habuit funebrem Orationem.* Et sequitur hic porrò elegans dissertatio, super origine hujus ritus, quam non possum, quin totam huc adscribam non quidem Græcam (ignoscant φιλέλληνες) sed ut Latinitate donata est ab Æmilio Porto. *Vtrum autem Valerius primus hunc morem apud Romanos instituerit, an institutum à regibus secutus fuerit, certò affirmare non possum. Quod tamen hoc sit Romanorum vetus inventum, in funere illustrium virorum, virtutes eorum laudari, neque à Græcis primum institutum fuerit, ex communis historiæ scriptis didici, quæ tam vetustissimi Poëtæ, quàm celeberrimi Historici prodiderunt. Nam certamina quidem funebria, in honorem clarorum virorum, gymnica & equestria à necessariis facta tradunt, ut ab Achille in Patrocli & multò antè ab Hercule in Pelopis funere. Hos tamen publicè laudatos nulli prodiderunt, præter*

præter Athenienſes tragicos, qui civitati ſuæ aſſentantes, Theſeo Argivos ſepelienti hoc quoque fabuloſe attribuerunt. Serò enim Athenienſes legitimis funeris ritibus hanc laudationem funebrem addiderunt, ſive ab iis, qui ad Artemiſium & Salamina & Plataas pro patria occubuerant, initium duxerint, ſive etjam à rebus geſtis in campis Marathoniis. Sed ea quoque, quæ in campis Marathoniis ſunt geſta, ſexdecim annis Bruti funere ſunt poſteriora, ſi modo ab his primis laudes in defunctos cœptæ ſunt dici. Sed ſi quis miſſa facta hac quæſtione, quinam primi laudes funebres inſtituerint, examinare aut ſcire voluerit, apud utros mos iſte melius ſe habeat, longe prudentius hunc apud hos, quàm apud illos, conſtitutum reperiet: quia Athenienſes videntur eorum cauſa, qui in bello cæſi ſepulturæ mandantur, orationes funebres inſtituiſſe, ex una tantum virtute, quæ in ipſa morte apparuerit, etiam ſi quis ceteris in rebus fuerit nequam, exiſtimantes viros bonos judicandos. At Romani omnibus viris claris, ſive eorum ductu, auſpiciisque bella fuiſſent confecta, ſive in reip. adminiſtratione & gubernatione, prudentia dediſſent conſilia, & præclara edi-

dissent facinora, hunc honorem haberi statuerunt, & non solum iis, qui in bello cecidissent, sed etiam aliis, quemcunq; illi finem vitæ sortiti fuissent: existimantes ob virtutes totius vitæ actæ, non solum autem ob gloriosum obitum viris bonis laudes deberi. Hactenus Dionysius. Habebantur autem Orationes hujusmodi ab iis, qui mortuum sanguine proximè accedebant. Polybius dicto loco. περιξ δὲ πάντος τοῦ δήμου στάντος, ἀναβὰς ἐπὶ τοὺς ἐμβόλους, ἂν μὲν υἱὸς ἐν ἡλικίᾳ καταλείπηται καὶ τύχῃ παρὼν οὗτος: εἰ δὲ μὴ τῶν ἄλλων εἴ τις ἀπὸ γένους ὑπάρχει, λέγει περὶ τετελευτηκότος τὰς ἀρετὰς, καὶ τὰς ἐπιτετευγμένας ἐν τῷ ζῆν πράξεις. hoc est. *Circumfusa autem populi corona in rostra ascendit filius, si quem puberem reliquerit, qui forte adsit: sin minus, propinquus aliquis, & de mortui virtutibus dicit, rebusque, quas is prosperè gesserit.* Unde filius Appii, qui in judicium vocatus, sibi ipse manus violentas intulerat, à magistratu petiit, ut sibi in parentis obitum Orationem habere permitteret, teste Livio libro II. & Dionysio Halicar. libro IX. cujus hæc sunt verba. προσενεχθέντος δὲ τοῦ σώματος εἰς τὴν ἀγορὰν, ὁ μὲν υἱὸς αὐτοῦ προσιὼν τοῖς δημάρχοις καὶ τοῖς ὑπάτοις, ἠξίου τὴν νόμιμον ἐκκλησίαν αὐτοῦ συναγαγεῖν,

γαγεῖν καὶ κατὰ τὴν ἐν ἕθει Ρωμαίοις ὄντα ἐπὶ ταῖς ταφαῖς ἀγορεύεσθαι τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν λόγον ἐπιτρέψαι περὶ τοῦ πατρὸς διελθεῖν. hoc est. *Allato autem in forum cadavere, filius ejus adiit Tribunos & consules, petiitq; ut sibi populum ad concionem legitimam convocarent, sibiq; in ea more majorum & ex populi Rom. consuetudine patrem Oratione funebri, quæ in viros bonos haberi solet, ornare permitterent.* Sic Fabium pro rostris filium suum laudasse autor Plutarchus in ejus vitâ: Τοῦδὲ Φαβίου τὴν υἱὸν ἀποθανεῖν συνέβη, καὶ τὴν μὲν συμφορὰν, ὡς ἀνήρ τε φρόνιμος καὶ πατὴρ χρηστὸς, ἤνεγκε μετριώτατα. τὸ δὲ ἐγκώμιον, ὃ ταῖς ἐκκομιδαῖς τῶν ἐπιφανῶν οἱ προσήκοντες ἐπιτελοῦσιν, αὐτὸς εἶπε καταστὰς ἐν ἀγορᾷ, καὶ γράψας τὸν λόγον ἐξέδωκεν. *Fabius cum hunc filium amisisset, dolorem ut vir prudens & pius pater tulit moderatissimè. Orationem, quam habent in clarorum virorum funere propinqui, ipse in foro dixit, quam postea edidit scriptis mandatam.* De Tiberio Suetonius: *Novem annos natus defunctum patrem pro rostris laudavit.* Quod si propinqui deessent, qui officium hoc defuncto valerent præstare, plerunque viris doctissimis illam provinciam demandatam fuisse reperio. Appia-

nus libr. I. εμφυλ. de funere Syllæ. ὡς δ' ἐπὶ τοῦ βήματος ἔνθα δημηγοροῦσιν ἐν τῇ ἀγορᾷ πρὸ τέθη, τοῦτ' μὲν ἐπιτάφιος λόγους εἶπεν ὁ κράτιστος εἰπεῖν τῶν τότε, ἐπεὶ φαῦστος ὁ παῖς ὁ τοῦ Σύλλα νεώτατος ἦν ἔτι, h. e. *Pro rostris deinde in suggestu posito cadavere, funebrem orationem habuit vir ejus ætatis eloquentissimus, quod Faustus filius nondum esset maturus.* Plinius libr. II. Ep. I. *Hujus viri exsequiæ magnum ornamentum principi, magnum seculo, magnum etiam foro & rostris attulerunt. Laudatus est à Consule Cornelio Tacito: nam hic supremus felicitati ejus cumulus accessit, laudator eloquentissimus.* Imò verò interdum magistratibus ex Senatusconsulto funebres hæ laudationes commendabantur: teste Quintiliano lib. III. institut. cap. IX. *Nam & funebres laudationes pendent frequenter ex publico aliquo officio, atq; ex senatus consulto magistratibus sæpè mandantur.*

CAP. XIX.

Orationes Funebres fœminis quando decretæ. In origine vel causa earum Livii & Dionysii levis dissensus. Super authoritate Ciceronis, Popilliam Catuli matrem primo omnium Romæ pro rostris laudatam afferentis, hæsitatum. De vitiatâ funebribus laudationibus historiâ Ciceronis & Livii querelæ.

Non

NOn autem in virorum tantùm : sed & Mulierum funeribus τοὺς ἐπιφανεῖς λόγους habitos, idque jussu legis Plutarchus me docuit libr. De Virtutib. mulierum : Ἄελιος δὲ, inquiens, ὁ Ρωμαίων δοκεῖ νόμος ἔχειν, ὥσπερ ἀνδράσι, καὶ γυναιξὶ δημοσίας μὴ τὰς τελευτὰς τοὺς ἀγαθοὺς παραλιπόντας ἐπαίνους. *Romanam legem maximè probo, quæ mulieres itidem, ut viros publicè post mortem meritis laudib. affici jubet.* Decretus is honos à Senatu fæminis hac de causa, quòd cum in publico deesset aurum, ex quo pacta Gallis merces, quæ erat mille pondo auri, redigeretur, matronæ omnem suum mundum contulissent, ut sacro abstineretur. ut autor Livius lib. v. *Matronis pro auro ad liberandam à Gallis Romam collato gratia acta, honosq; additus, ut earum sicut virorum post mortem solemnis esset laudatio.* Id accidit Anno ab V. condita CCCLXIII. juxta Sigonianam supputationem. Testatur idipsum quoq; Plutarchus, quanquam in causa nonnihil dissentit, mundum hunc à mulieribus collatum dictitans, ad Donarium faciendum, quod Delphos mitteretur, post actum à Camillo de Vejentibus triumphum, circa

circa annum urbis CCCLVIII. Verba ejus in Camilli vita hęc sunt: χρυσίου δὲ ἦν πάνις ἐν τῇ πόλει, καὶ τῶν ἀρχόντων, ὅθεν ἂν περιθείη σκοπούντων, αἱ γυναῖκες αὐταὶ καθ' αὐτὰς βουλόμεναι τὸν ὄντα χρυσοῦν ἑκάστη περὶ τὸ σῶμα κόσμον ἐπέδωκεν εἰς τὸ ἀνάθημα, σταθμῷ χρυσίου γενόμενον ὀκτὼ ταλάντων. Καὶ ταύταις μὲν ἡ σύγκλητος ἀποδιδοῦσα τιμὴν πρέπουσαν, ἐψηφίσατο μετὰ θάνατον, ὥσπερ ἐπὶ τοῖς ἀνδράσι, καὶ γυναιξὶ λέγεσθαι τὸν ἄξιον ἔπαινον. οὐ γὰρ ἦν εἰθισμένον πρότερον ἐγκωμιάζεσθαι γυναῖκα δημοσίᾳ τελευθήσασαν. Latinè sic sonant: *Erat autem magna in urbe auri inopia. Ibi magistratibus deliberantibus, qua id ratione confici posset, mulieres habito seorsim consilio mundum suum omnem aureum contulerunt ad Donarium faciendum, fuitque auri pondus talenta octo. Quas Senatus pretio persoluto remunerandas statuit, ut defunctæ perinde atq; viri in funere laudarentur. Antè enim mulierem publicè laudari mortuam receptum usu non fuit.* Sed sive hoc, sive illo tempore Senatusconsultum de muliebri laudatione factum sit, parum refert; neque hanc in duobus istis autoribus dissensionem valdè miror: hoc autem magis mirum, aliquot centum annis pòst demum privilegii sui prærogativa uti cæpisse mulieres. Nam Popilliam Ca-

tuli

tuli matrem primo omnium hoc honore affectam, scribit Cicero lib. II. de Oratore: *In eo quidem genere scio & me & omnes, qui affuerunt, delectatos esse vehementer, cum abs te* (Catulum intelligit) *est Popillia mater vestra laudata: cui primum mulieri hunc honorem in nostra civitate tributum puto.* Quem locum de funebri laudatione, ad unum omnes, quos quidem vidi, interpretes capiunt. At quî credamus, tam longo temporum intervallo post latam legem ignoratam fuisse Romæ eam consuetudinem, nec ab ulla mulierum, quæ tam altos semper spiritus gerebant, usurpatam? Certè ipsum M. Tullium id miratum esse, nullus dubito: ideoq; de Popillia est ab eo annotatum, ceu res observatu digna. Et tamen non audet Cicero affirmare, primam omnium mulierum eam fuisse laudatam publicè: verùm ita se ait putare, quasi dicat fieri potuisse, ut & aliis olim is honos esset habitus, sed quarum nulla in historiis extaret memoria. Sic Tullium ab ἁμαρτήματος μνημονικοῦ nota liberandum, existimabat à me super hoc negocio consultus eruditissimus Causaubonus: quod si cui

minus

minus placet, quanquam cur displicere possit non video, aptius quid, meliusq; adferat, si valet, & *Phyllida solus habeto*. Mihi sanè & mente & oculis diu investiganti nihil aliud hactenus occurrit, nisi si dicere velimus, non statim moribus receptum fuisse, quicquid per leges licebat. Illustria exempla in lege Divortii, & illâ alterâ, quæ malum debitorem μελεϊσὰ secare permittebat. Nam etsi quidem ex Romuli instituto & XII. tabulis vir jubere poterat, uxorem suas sibi res habere: *tamen per annos fermè sexcentos ab urbe condita nulla repudium domus sensit*, ut ait Tertullianus in Apologetico, & à Dionysio, Valerio Max. Plutarcho & Agellio memoriæ proditum est. Sed neq; sectio obærati corporis unquam Romæ usurpata, teste eodem Agellio. X X. cap. I. Quintiliano lib. VII. cap. VI. Tertullianus in Apolog. cap. I V. Eodem igitur modo mulieres quoq; totos trecentos annos ab eo, quod per Senatus consultum sibi licebat, fortassean abstinuerunt, vel reverentia erga viros deterritæ, vel contentæ solo honore, quem sibi à Senatu decretum in tacito sinu gaudebant. Nam

quod

quod non usurparint hoc suum privilegium mulieres, etiam Polybius & Dionysius Halic. indicant; qui de eo instituto multa scribentes muliebris laudationis, planè nullam fecerunt mentionem. Atq; hanc nostram sententiam vel eo probare possumus, quod cum jam fœminæ mortuæ, pro rostris publicè laudari cœptæ essent, non omnes statim hunc honorem sibi vendicarint, sed tantum quæ ætate erant provectiores. Nam primus Julius Cæsar morem laudandi juniores introduxit, si Plutarcho fides habenda, qui in ejus vita sic scribit: Τὸ μὲν οὖν ἐπὶ γυναιξὶ πρέσβυτέραις λόγους ἐπιταφίους διεξιέναι πάτριον ἦν Ῥωμαίοις. νέαις δὲ οὐκ ὂν ἐν ἔθει. πρῶτος εἶπεν Καῖσαρ ἐπὶ τῆς ἑαυτοῦ γυναικὸς ἀποθανούσης, καὶ τοῦτο ἠνέγκεν αὐτῷ χάριν τινὰ καὶ συνεδημαγώγησεν τῷ πάθει πολλοὺς, ὡς ἥμερον ἄνδρα καὶ περίμετον ἤθους ἀγαπᾶν. hoc est. *Enimvero ætate provectiores mulieres in funere laudari, moris antiqui apud Romanos fuit. Primus Cæsar uxorem suam, cum juniores laudari non esset receptum, mortuam oratione funebri decoravit: quo facto animos multitudinis sibi favore obstrinxit, ut tanquam mansuetum placidissi-*

dissimisque moribus virum amarent. Postilla igitur tam νέαι, quàm πρεσβύτεραι funebribus laudationibus ornabantur, uti ab historicis est annotatum. Caligula suam aviam *defunctam etiam prætextatus pro rostris laudavit*, teste Suetonio cap. x. Et Julia *Cæsaris F.* Cn. Pompeji uxor τῶν ἐν τῇ ἀγορᾷ ἐπαίνων ἔτυχε, ut tradit Dio libr. xxxix. De Liviæ Augustæ morte Tacitus libr. v. *Funus ejus modicum, testamentum diu irritum fuit. Laudata est pro rostris à Cæsare pronepote, qui mox rerum potitus est.* De Drusillâ Dio libr. lix. Καὶ τὴν Δρουσίλλαν τότε ἐπήνεσε μὲν ὁ ἀνὴρ, δημοσίας δὲ ταφῆς ὁ ἀδελφὸς ἠξίωσε. *Tum mortuam maritus M. Lepidus laudavit: publicum funus frater C. Caligula tribuit.* Mulierum tamen laudatio videtur Ciceroni displicuisse libr. ii. de Leg. ubi de viris tantùm hanc legem sanxit: *Honoratorum*, inquiens, *virorum laudes in concione memorantor.* Imo verò in totum de omnibus funebribus laudationibus queritur, vitiatam illis esse temporum historiam: sic enim in Bruto loquitur; *Extant mortuorum laudationes: ipsæ enim familiæ sua quasi ornamenta ac monumenta servabant, & ad usum si*

quis

quis ejusdem generis occidisset, & ad memoriam laudum domesticarum, & ad illustrandam nobilitatem suam. Quanquam his laudationibus historia rerum nostrarum est facta mendosior: multa enim scripta sunt in eis, quæ facta non sunt, falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa & è plebe transitiones, cum homines humiliores in alienum ejusdem nominis infunderentur genus. Cujusmodi querelam etiam reperire est apud Livium libr. VIII. ubi cum Historicorum Romanorum varias discrepantesq; sententias recitasset, statim addit: *Nec facile est aut rem rei, aut auctoritatem auctori præferre. Vitiatam memoriam funebribus laudationibus reor, falsis q; imaginum titulis, dum familia ad se quæq; famam rerum gestarum honorumq; fallente mendacio trahit. Inde certè & singulorum gesta & publica monumenta rerum confusa: nec quisquam æqualis temporibus illis scriptor extat, quo satis certo auctore stetur.*

CAP. XX.

Funera elata extra urbem ibiq; sepulta. Mos ille jam à primis urbis incunabulis usitatus. Renovatus autem primo Legibus XII. tab. Deinde Senatusconsulto. Iterum constitutionibus Impp. Adriani, Antonini Pii, Diocletiani, & Ma-

& Maximiani. Idem ritus Iudæorum, Athenienſium, Smyrnæorum, Sicyoniorum, Corinthiorum, Syracuſanorum, Καταγεῶτες. Porta Libitinenſis quæ?

COnſumpta in Foro Oratione, Funus inde commovebatur, deportabaturque In Locum, ubi vel terræ erat mandandum, vel igni comburendum. Erat autem locus iſte *extra urbem.* Nam quod Servius in libr. v. Æneid. memoriæ prodidit, *moris fuiſſe apud majores, vt qui mortuus eſſet, domum ſuam referretur, & in illa ſepeliretur*: id quidem ego apud Latinos fortean obtinuiſſe conceſſero, quemadmodum & apud veteres Græcos, de quibus Plato in Minoe: οἱ δὲ αὖ ἐκείνων πρότεροι αὐτοῦ καὶ ἔταπτον ἐν τῇ οἰκίᾳ τοὺς ἀποθανόντας, ἡμεῖς δὲ τούτων οὐδὲν ποιοῦμεν. At verò Romæ ſub ipſis urbis incunabulis multò ante latas à Decemviris leges more quodam receptum fuit, ut extra urbem ſepelirentur vitâ functi. Probo id exemplo Numæ, quem non in urbe, ſed in Janiculo humatum, præter Livium, Plutarchum, Dionyſium, & alios, etiam Plinius teſtatur, qui lib. XIII. cap. XIII. ex Caſſii Heminæ libr. IV. Annal. refert, *Cn. Terentium Scribam agrum ſuum in Janicu-*

ticulo repastinantem, offendisse arcam, in qua Numa, qui Romæ regnavit, situs fuisset. Atqui Janiculum ab Anco Martio primum urbi additum, extra omnem est controversiam. Sed & Servius Tullius extra urbem elatus est ibiq; sepultus, teste Dionysio lib. IV. Præterea P. Valerio Publicolæ, & A. Posthumio Tuberto, qui ad lacum Regillum contra Latinos prosperè pugnavit, virtutis causa sepulchrum in urbe à Senatu esse concessum Cicero tradit II. de Leg. Quale autem illud honoris argumentum, vel virtutis fuisset præmium, si promiscuè omnibus in urbe sepeliri licuisset? Unde planum est etiam ante XII. tab. sepulturæ locum Romæ extra muros fuisse, & qui de hoc amplius dubitat, illum ego jubeo ἄπιεν ἐ λύχνον ἐν μεσημβείᾳ.

Ceterum hæc consuetudo aliquoties negligi atq; labefactari cœpit, ut necesse fuerit, crebrò eam novis legibus reduci & quasi redintegrari: Primò quidem à Decemviris: sic enim fuit in XII. tabulis: *Hominem mortuum in urbe ne sepelito, nevè urito,* apud Cicer. II. de Leg. Mox Senatus consulto quodam, circa annum urbis CCCCXC.

consule nimirum Duillio: ut auctor Servius XI. Æneid. *Ante etiam in civitatibus homines sepeliebantur. Quod postea Duillio Cos. Senatus prohibuit, & lege cavit, ne quis in urbe sepeliretur.* Et mutata Rep. ab Imperatorib. qui perire hanc consuetudinem & intermori non sunt passi, severis illam legib. stabilientes. Nam D. Adrianus Imp. rescripto pœnam statuit 40. aureorum, tam in eos, qui in civitate sepeliunt, quàm ipsos magistratus, qui id passi essent: eamq; pecuniam fisco inferri & locum publicari ac corpus transferri jussit, ut auctor est Ulp. lib. 30. ad edictum. De Antonino Pio Imp. idipsum tradit Jul. Capitol. *Intra urbes sepeliri mortuos vetuit.* Extat & de re eadem Lex Dioclet. & Maximiani Impp. Cod. de Relig. & sump. funer. *Mortuorum reliquias, ne sanctum municipiorum jus polluatur, intra civitatem condi, jampridem vetitum est.*

Verùm post illa tempora Leges hæ paulatim exoleverunt, & non solùm tacitâ consuetudine, sed etiam singulari ἀγράφῳ Imp. Leonis abrogatæ sunt, permissumq; uniuscujusque arbitrio, sive in urbe vel-

vellet mortuum ſepelire, ſive in ſuburbio, ut patet ex ejus Novel. LIII. quam his verbis concludit: οὐδαμῶς οὖν νόμοις τῆς ἡμῶν πολιτείας συγκαταλέγεσθαι τοῦτον τὸν νόμον θεσπίζομεν: ἀλλὰ ὥσπερ ὑπὸ τῆς συνηθείας καλῶς ὤφθη καταφρονούμενος: οὕτω καὶ ὑπὸ δόγματος ἡμετέρου ἔστω παντελῶς ἀθετούμενος. Καὶ πᾶς ὃς ἂν βούληται, εἴτε τειχῶν ἔξωθεν, εἴτε τῆς πόλεως ἐντὸς σοῦ τελευτῶντας τιμᾷν τῇ ταφῇ ἄδειαν ἐχέτω παραίνειν τὸ βούλημα. hoc eſt, *Ne igitur ullo modo inter civiles hæc Lex recenſeatur, ſancimus. quin potius, ut à conſuetudine rectè contemnitur, ſic etiam decreto noſtro prorſus reprobatur. Quicunq; autem ſive extra muros, ſive intra civitatem ſepelire mortuos volet, perficiendæ voluntatis facultatem habet.*

Priſcis igitur temporibus, extra urbem funera fuiſſe elata ſepultaq; hinc conſtat: Sic Coriolanum in ſuburbio crematum notat Dionyſius Halicarnaſs. libr. VIII. Καὶ νομίσαντες εἰς τὸ προάστειον, ὃ μάλιστα ἦν ἐπιφανὲς, ἔθεσαν ἐπὶ τὴν παρεσκευασμένην πυρὰν, συμπροπεμπούσης τὸ σῶμα τῆς πόλεως ὅλης μετ' οἰμωγῆς τε καὶ δακρύων. Ovidius lîh. III. Triſt. III.

Atq; ſuburbano condita crede ſolo.

Apulejus libr. IV. Miles: *Pòſt hic valefacto diſceſſimus, & portam civitatis egreſſi, monu-*

mentum quoddam conspicamur procul à vià remoto & abdito loco positum.

Quod verò aliqui existimant, elata fuisse funera, per certam aliquam urbis portam, quæ Libitinensis dicta sit, eo ipso insigniter hallucinantur. Nam Lampridii locum quod attinet, quam ad probandam suam opinionem afferre solent, eum multò aliter interpretantur doctiores. *Galea ejus*, inquit in Commodo, *bis per portam Libitinensem elata est.* Hic non urbis, sed Amphitheatri aliquam portam intelligendam esse, per quam nimirum cadavera interfectorum galeatorum efferebantur, docet expresse Dio, qui de Commodi ludis sic ait: Καὶ ὅτι ἐν τῇ τελευταίᾳ ἡμέρᾳ τὸ κράνος αὐτοῦ καὶ τὰς πύλας, καθ' ἃς τελευτῶντες ἐκφέρονται, ἐξενηνείχθη. hoc est, *Et quod ultima spectaculorum die Galea ejus per eam portam, qua mortui efferri solent, elata est.* Solebant enim in arenam una cum reliquo apparatu, etiam Libitinæ instrumenta inferri, ut esset videlicet, quo mortui subitò efferrentur. Ex Quintiliano discimus: *Sonabant clangore feralí tubæ illatisq; Libitina totis ducebatur funus ante mortem.* Nec Plinium

nium aliter audies libr. XXXVII. cap. III. ubi de gladiatorio munere Neronis: *Arma verò & Libitinæ totusq; unius diei apparatus è succino.* Vide Lipſ. libr. II. Saturn. cap. XXII. & Turnebum libr. XXV. Adverſ. cap. XVII.

Neq; verò Romani ſolùm, ſed & alii populi conſuetudinem hanc obſervarunt.

De Judæis clarum eſt ex variis hiſtoriæ ſacræ locis. Lazari ſepulcrum fuiſſe extra Bethaniam: Et Joſephi Arimathei extra Hieroſolymam teſtatur D. Johannes in Evangelio ſuo, hoc quidem cap. XIX. illud verò XI. Patet idipſum ex hiſtoria viduæ Naimitanæ Luc. VII. Monimenta etiam illa in quibus domiciliũ habuit Dæmoniacus, extra urbem Gergeſenorum fuiſſe, legimus apud D. Matt. V. cap. Præterea illuſtre hujus rei teſtimonium extat in hiſtoriâ paſſionis τοῦ Σωτῆρος noſtri, poſt cujus reſurrectionem, plurimos ſanctos, tumulis ſuis relictis, in ſacram urbem ingreſſos eſſe & multis apparuiſſe, narrat D. Matthæus cap. XXVII. Verum hæc omnibus in promptu ſunt, cum nemo ſit, vel eſſe de-

beat à pietate adeò alienus, qui se Christianum appellari velit, quin sacram historiam legerit. Quare ex Judæa in Græciam jam proficiscemur: cujus pleræq; nationes ritûs hujus adeò tenaces fuerunt, ut ministros etiam tristis hujus muneris, quos καθαγιεῶτας appellabant, urbis domicilio arcuerint, teste Hesychio.

De Athenienſibus teſtatur Serv. Sulpit. in Ep. ad Cic. lib. IV. Famil. Epiſt. XII. ubi de Marcello Athenis mortuo ſic loquitur: *Ab Athenienſibus locum ſepulturæ ut darent intra urbem, impetrare non potui, quòd religione ſe impediri dicerent: neq; tamen antè id cuiquam conceſſerant.* Et Livius: lib. XXX. de Philippo Athenienſes oppugnante: *Omiſſâ oppugnatione urbis, diviſo rurſus cũ Philocle exercitu ad vaſtandos agros profectus, cũ priorem populationem ſepulcris circa urbẽ diruendis exercuiſſet, ne quid inviolatum relinqueret, templa Deûm dirimi atq; incendi juſſit.*

De Smyrnæis Cicero pro Flacco: *Vellem tantum habere otij, ut poſſem recitare pſephiſmata Smyrnæorum, quæ fecerunt in Caſtritium mortuum, primùm quòd in oppidum introferretur, quod aliis non conceditur.*

Apud

Apud Sicyonios etiam legem antiquam fuisse, quæ mortuos urbe arcebat, auctor est Plutarchus in Arato: Νόμος δὲ ὄντος ἀρχαίος μηδένα θάπτεσθαι τειχῶν ἐντὸς, ἰσχυρᾶς τε τῷ νόμῳ δεισιδαιμονίας προσούσης, ἔπεμψαν εἰς Δελφοὺς περὶ τούτων ἐρησόμενοι τὴν Πυθίαν. Hoc est, *Quia verò vetus Lex humari quenquam intra suos muros vetabat, & gravis legi adjuncta erat Religio, Delphos miserunt ad consulendum super ea re vatem.*

In Delo quoque neminem sepultum, auctor Strabo lib. x. Ῥήνεια δ' ἔρημον νησίδιόν ἐστιν ἐν τετράσι τῆς Δήλου σταδίοις, ὅπου τὰ μνήματα τοῖς Δηλίοις ἐστὶν, οὐ γὰρ ἔξεστιν ἐν αὐτῇ τῇ Δήλῳ θάπτειν, οὐδὲ καίειν νεκρόν. hoc est, *Rhenea insula est exigua & deserta, intra quartum à Delo stadium, ubi monimenta sunt Deliorum. Nam mortuum in Delo sepelire non fas neq; cremare.*

Sic apud Corinthios similem ritum obtinuisse colligo ex Pausania, qui libr. II. ait proficiscentibus Corinthum monumenta in itinere cùm alia apparuisse, tum ad portam Diogenis Synopensis Cynici sepulcrum: quod & Laertius tradit libro VI.

De Syracusanis quoque idipsum non

obscurè tradit Cicero v. Tusc. ubi de indagato à se Archimedis sepulcro ait: *Ego autem cum omnia colluſtrarem oculis* [*est enim ad portas Achradinas magna sepulcrorum copia*] *animadverti columellam non multum è dumis eminentem.*

Cap. XXI.

Causæ indagata, cur extra urbem mortui sepulti. Opinio veterum de contaminatione sacrorum ex aspectu contactuvé rei funestæ. Probatur exemplo Flaminum, Sacrificantium, Pontificum, Censorii, Statuarum. Dio refutatus. Sepulcra inauspicata habita, Deus Viduus *qui? Iudæorum & Græcorum ritus similis.*

QUæ verò causæ cum Romanis; tum aliis populis protelo fuerunt ad amplexandam & usurpandam hanc consuetudinem? Duæ, si rectè rem consideremus: Una divina & altera civilis. Divina cavebat à pollutione sacrorum publicorum, quæ contaminatum iri existimabant, si intra urbis mœnia mortui sepelirentur, Jul. Paulus lib. II. Recept. sentent. tit. XXI. *Corpus in civitatem inferri non licet, ne funestentur sacra civitatis, & qui contra ea fecerit, extra ordinem punitur.* Habuerunt eandem causam procul dubio in mente Impp. Diocletianus & Maxim.

dum

dum in suo Rescripto, quod paulò antè laudavi, dicunt, *ne sanctum municipiorum jus polluatur.* Erant enim Romani, ut pleræque omnes olim gentes, in ea opinione, ut existimarint, quicquid DIs superis sacrum esset, id vel solo aspectu, aut contactu rei funestæ contaminari. Quam ob causam olim indicia funestis ædibus fuisse appositа, supra monuimus. Ideo etiam Flamini Diali, non licebat *locum in quo bustum erat, ingredi, vel mortuum attingere,* teste Agellio libro x. cap. xv. Imò *nec tibias funebres audire,* teste Festo. Quid? quod *Flaminicæ non licebat, neque calceos neque soleas morticinas habere.* Morticinæ *autem dicuntur, quæ de pecudibus suâ sponte, mortuis fiebant,* ut scribit Servius in IV. Æneid. Quæ sine dubio à Festo habet, sic enim ille: *Mortuæ pecudis corio calceos aut soleas fieri Flaminicis nefas habetur, sed aut occisæ alioqui, aut immolatæ: quoniam sua morte exstincta omnia funesta sunt.* Ex eodem ritu, si quando Pontifex funebrem haberet orationem, velum ante mortuum expansum legimus, quod oculos ipsius à funere arceret. Seneca

Con-

Consolat. ad Martiam capit. XV. *Tiberius Cæsar & quem genuerat, & quem adoptaverat, amisit, ipse tamen pro rostris laudavit filium, stetitq; in conspectu posito corpore, interjecto tantummodo velamento, quod Pontificis oculos à funere arceret.* Recenset eundem morem Dio lib. LIV. de Augusto, qui habebat Orationem in funere Agrippæ: sed causam ejus ignorare fatetur, & quam Seneca dedit, refutat. Verba ejus hæc sunt: Τόν τε λόγον τὸν ἐπ' αὐτῷ εἶπε παραπέτασμά τι τοῦ νεκροῦ παρατείνας. ὅπερ ἐγὼ μὲν οὐκ οἶδα διά τι ἐποίησεν. εἴρηται δὲ ὁμῶς τοῖς μὲν, ὅτι ἀρχιερεὺς ἦν, τοῖς δὲ ὅτι τὰ τῶν τιμητῶν ἔπραπτεν οὐκ ὀρθῶς φρονοῦσιν. οὔτε γὰρ τῷ ἀρχιήρεῳ ἀπείρηται νεκρὸν ὁρᾶν οὔτε τῷ τιμητῇ, πλὴν ἂν τὸ τέλος ταῖς ἀπογραφαῖς μέλλῃ ἐπάξειν. hoc est. *Sed laudationem Agrippæ Augustus recitavit, velo quopiam ante mortuum expanso. Id cui rei factum, mihi non liquet. Tamen alij volunt ideo, quia Pontifex esset: alij quia obiret munera censoris. Neutri rectè, neq; enim Pontifici mortuum adspicere nefas, neq; Censori, nisi cum finem censioni imponit conditq; lustrum.* Sed ego juxtà cum clariss. Lipsio assentio Senecæ, eumq; de. Pontifice vera dicere omnino existimo. Suadet hoc Tacitus, apud quem libro 1. Annal. Tiberius

berius de Germanico, qui cæsis in clade Variana primum Cenotaphii lapidem posuerat, sic loquitur: *Neq; Imperatorem auguratu neque vetustiss. ceremoniis præditum contrectare feralia debuisse.* Et miror equidem, cur Dioni in mentem venerit, hoc negare de Pontifice, cum ipsemet tradat, non licuisse id Censori lustrum condituro. Et alibi morem fuisse ait, ut statuæ Deorum velarentur, aut transferrentur, si quæ in loco positæ, ubi crebra supplicia & cædes. *Claudius*, inquit lib. ult. *delectabatur Gladiatoribus, & præsertim Meridianis. Ideo plerosque servos, qui dominos sub Cajo, aut Tiberio calumniati erant, hoc modo perdebat. Eorumque tantus fuit numerus, vt Augusti statuam, eo loci positam jusserit transferri, ne aut semper aspiceret cædes, aut semper velata esset.* Postrema verba sic habent: Τοσοῦτον δὲ οὖν τὸ πλῆθος τῶν ἐν τῷ κοινῷ θνησκόντων ἐγίγνετο, ὥστε καὶ τὴν τοῦ Αὐγούστου ἀνδριάντα, τὸν ἐν τῷ χωρίῳ ἐκείνῳ ἱδρυμένον, ἑτέρωσέ ποι μετενεχθῆναι. οὗ δὴ μήτε ἐφορᾷν αὐτὸν τοῦ φόνους νομίζεσθαι, μήτε ἀεὶ κατακαλύπτεσθαι. Ac libro LV. in funere Cæsaris Augusti: Καὶ μετὰ τοῦτο τῷ Τιβερίῳ ἄδεια ἐδόθη, ὅτι τοῦ νεκροῦ, οὐκ ἐξὸν δὴ, ἥψατο, καὶ συμπαρέπεμψεν αὐτὴ.

Tum

Tum Tiberio impunitas data quod cadaver (prohibitum enim hoc erat) tetigisset ac comitatus fuisset. Ex quo clarum est, cadaver tangere non licuisse. Sed nec funere pollutis sacrificare fas erat. Servius ad x. Æneid. *Consuetudo Romana fuit, ut polluti funere minimè sacrificarent; Si tamen contingeret, ut uno eodemque tempore funestaretur quis, & cogeretur operam dare sacrificiis, elaborabat, ut antè sacra efficeret, quam funus agnosceret. Vnde etiam Horatius Pulvillus in Capitolij dedicatione, cum ab inimicis ejus filius nunciaretur extinctus: ut quidam putant, falsò: ut alij, pro vero, ait: Cadaver sit: nec voluit funus agnoscere, donec templa dedicaret.* Similem ritum apud Græcos invenias. Lucianus de Deâ Syria: ἢν μή τις αὐτέων νέκυα ἴδηται, ἐκείνῳ τῷ ἡμέρῃ εἰς τὸ ἱρὸν οὐκ ἀπικνέεται. τῇ ἐτέρῃ δὲ καθήρας ἑωυτὸν ἐσέρχεται. Euripides Iphigen. in Taur.

Τὰ τῆς θεᾶς δὲ μέμφομαι σοφίσματα.
ἢ τις βροτῶν μὴ δῶ τις ἅψηται φόνου
ἢ λοχείας ἢ νεκρᾶ θίγῃ χεροῖν
βωμῶν ἀπείργει μυσαρὸν ὡς ἡγεμών.

Mitto jam, quod inauspicatum omen habitum fuit, si quis fortè in sepulcra incideret.

deret. Livius libr. XXX. *Iussus è nautis unus ascendere in malum, ut specularetur, quam tenerent regionem, cum dixisset, sepulcrum dirutum proram spectare, obominatus:* scilicet Hannibal. Ammianus libr. XXXI. *Ædificiis nullis unquam tecti, sed hæc velut ab usu communi discreta sepulchra declinant.* Minutius Felix Octavio in criminibus, quæ Cæcilius Christianis obijciebat: *Latebrosa & lucifuga natio, in publico muta, in angulis garrula: templa ut busta despiciunt.* Inde est quod Apulejus Apologiâ petit à Mercurio, ut Æmiliano obijciat, *omnia bustorum formidamina, omnia sepulcrorum terriculamenta.* Ex eodem ritu est, quod *Viduus Deus* extra urbem colebatur, teste Cypriano de vanitate Idolorum: *In tantum verò Deorum vocabula apud Romanos finguntur, ut sit apud illos & Viduus Deus, qui anima corpus viduet, qui quasi feralis & funebris intra muros non habetur, sed foris collocatur.* Perstringit autem hanc veterum superstitionem Theodoretus Sermon. VIII. θεραπευτικῆς Ἑλληνικ. de Martyribus: Μῦσος ὑπολαμβάνετε τὸ πελάζειν τοῖς τάφοις. Et eodem libro: Ἀνθ' ὅτου δὴ μολυσμοῦ τινὸς μεταλαγχάνει

χάνειν νομίζετε τὸν ταῖς θήκαις τῶν τεθνεώτων πελάζοντα; Ανοίας γὰρ ταῦτα καὶ ἀμαθίας ἐσχάτης. Theophrastus etiam in characteribus inter Δεισιδαιμονίας signa refert, οὔτε ἐπιβῆναι μνήματι, οὔτε ἐπὶ νεκρὸν, οὔτε ἐπὶ λέχη. h. e. *Sepulcrum nullum insistere, ad defunctorum justa non accedere.* Videntur autem hæc instituta ex Judæor legibus promanasse, apud quos Sacerdotibus ad mortuos accedere vetitum fuit, ut legimus Levitic. xxi. Unde Josias Judæorum rex, cum vellet Idolorum templa contra *Dei* legem exstructa, prophanare, & omnem locis religionem adimere, mortuorum ossa in illa intulisse scribitur lib. ii. Reg. cap. xxiii.

Atque hæc præcipua causa, meo quidem judicio, cur mortuos in urbe sepeliri non licuerit. Fuit & alia quòd iniquum esse putarunt, ut Cicero ait ii. Leg. *locum publicum privata religione obligari.* Hinc Ulpianus D. De Relig. & sumpt. funer. *Si in locum publicis usibus destinatum intulerit quis mortuum, Prætor in eum judicium dat.*

Civilis verò causa humationem quidem in urbe fieri prohibebat, ne aër putrefieret. Isidor. lib. xiv. Orig. c. xi. *Prius autem*

quisq;

quisq; in domo sua sepeliebatur. Postea vetitum est legibus, ne fœtore ipso corpora viventium contacta inficerentur. Combustionem autem *propter ignis periculum*, teste Cicerone lib. II. leg. Quare factum, ut cum mos ille in funere Clodii insuperhaberetur, *isto igne & ipsa quoq; curia flagrârit, & item Porcia Basilica, quæ erat ei juncta, ambusta sit*, quemadmodum autor Asconius.

CAP. XXII.

De Sepulcrorum locis privatis. Fuisse ea in agris vel hortis propter vias publicas. & quare? Græcorum idem ritus. Nomina viarum sepulchris celebrium.

EXTRA urbem mortuos fuisse elatos, ex dictis liquet: At verò jam propiùs aliquantò ad Loca, quæ sepulchris erant destinata, accedemus. Fuisse autem ea duplicia invenio, Privata & Publica. *Privata* loca erant, quæ unusquisque in suo fundo sepulturæ assignarat. Solebant enim antiqui in agris & hortis sepulchra exstruere: ut videre est ex Livio libro VI. ubi commemorans interrogationes, quibus populares homines Sestius & Licinius primores patrum in concionem productos flagitabant, sic inquit: *Auderentve postulare, ut*

singuli prope CCC civium possiderent agros? plebejo homini vix ad tectum necessarium aut locum sepulturæ suus pateret ager? Martialis Epigram. XLIII.

Septima jam Phileros tibi conditur uxor in agro:
Plus nulli Phileros quam tibi reddit ager.

Et Appianus lib. I. ἐμφυλ. refert, inter causas, cur legem Agrariam à Gracchis latam recusarint divites, non postremam fuisse, quod iniquum esse ducerent, non solum agris se mulctari, sed & sepulcris majorum sitis in solo hereditario. Sic Caligulæ cadaver in hortis Lamianis ambustum, tradit Suetonius cap. LIX. Et de Hadriano refert Jul. Capitolinus in Antonino Pio: *Sed Hadriano apud Bajas mortuo, reliquias ejus Romam pervexit sanctè ac reverenter, atque in hortis Domitiæ collocavit, etiam repugnantibus cunctis inter divos eum retulit.*

Quod si fundum viæ publicæ proximum haberent non facilè committebant, quin in eâ parte, quæ viam spectabat, sepulcra conderent; idque eo fine, ut viatores mortalitatis admonerentur, teste Varrone libro v. de lingua Latina. *Monere à memoriâ dictum, quod is, qui monet, proinde sit*

de sit ac memoria. Sic monumenta, quæ in sepulcris: & ideo secundum viam, quò prætereuntes admoneant, & se fuisse & illos esse mortales. Id verò potissimum fiebat in agris fœcundis. Nam si steriles essent & saxuosi, etiam in ipso eorum meditullio sepulcra exstruebant. Siculus Flaccus libro De conditionibus agrorum: *Inspiciendum erit & illud, ne quoniam sepulcra in extremis finibus facere soliti sunt, & cippos ponere, aliquando cippus pro termino errorem faciat. Nam in locis saxuosis & in sterilibus etiam in mediis possessionibus faciunt.* Atque hoc est ex doctrina Platonis, qui nullum in agro fœcundo sepulcrum fieri voluit, ne detrimentum inde caperent vivi: Sic enim ille XII. de Leg. θήκας δ' εἶναι τῶν χωρίων ὁπόσα μηδὲν ἐργάσιμα μηδαμῆ, μήτε τι μέγα, μήτε τι σμικρὸν μνῆμα. ἃ δὲ ἡ χώρα πρὸς τοῦτ' αὐτὸ μόνον φύσιν ἔχει, τὰ τῶν τελευτηκότων σώματα μάλιστα ἀλυπήτως τοῖς ζῶσι δεχομένη κρύπτειν, ταῦτα ἐκλεκτέον, &c. Quæ Cicero in lib. II. de Legib. sic extulit: *Vetat ex agro culto eove, qui coli possit, ullam partem sumi sepulcro: sed, quæ natura agri tantummodò efficere possit, vt mortuorum corpora sine detrimento vivorum recipiat, ea potissimum compleatur:*

quæ autem terra fruges ferre &, vt mater, cibos suppeditare, possit, eam ne quis nobis minuat, néve vivus néve mortuus.

Fuisse autem Sepulcra propter vias λεωφόρους & militares, testatur quoque Porphyrio Od. II. in Caniniam: *In aggeribus religiones & sepulcra erant.* Hinc Propertius lib. II. Eleg. I.

Si te fortè meo ducet via proxima busto,
Esseda cælatis siste Britanna jugis.

Et libro III. Eleg. *Nox media.* deprecatur ejusmodi sepulcrum quod sit secundum celebrem viam positum.

Di faciant, mea ne terra locet ossa frequenti,
Qua facit assiduo tramite vulgus iter.
Post mortem tumuli sic infamantur amantum,
Me tegat arboreâ devia terra comâ.
Aut humet ignotæ cumulus vallatus arenæ,
Non juvat in mediâ nomen habere viâ.

Pertinent huc antiquæ inscriptiones, quibus Viatores vel hospites solent compellari: ut, *ASPICE VIATOR. CAVE VIATOR.* & similes. Græcos quoq; juxta vias habuisse sepulcra patet ex isto Leonidæ lib. III. Epigr. titul. VI.

Τις ποτ' ἄρ' εἶ, τίνος ἄρα παρὰ τρίβον ὀστέα ταῦτα
Τλήμον' ἐν ἡμιφαῆ λάρνακι γυμνὰ μένει;

Unde & Theocritus Idyll. VII.

Κούπω

Κȣ́πω τὰν μεσάταν ὁδὸν ἄνυμες. ȣ̓δὲ τὸ σᾶμα.
Αμῖν τῶ Βρασίλα καταφαίνετο. Quod Virgilius in Mœri sic est imitatus.

Hinc adeo media est nobis via, namq; sepulcrum
Incipit apparere Bianoris,

Ceterum viæ sepulcris nobiles Romæ quidem potissimùm hæ fuerunt: Appia, Aurelia, Flaminia, Latina, Lavicana, Laurentina, Ostiensis, Prænestina, Salaria & Tiburtina: fortè & aliæ, sed in quarum mentionem ego nondum incidi.

In *APPIA* via, quam Statius *reginam longarum viarum* appellat, sepultum esse Pomp. Attic. testis Cor. Nepos in ejus vita; *Sepultus est juxta viam Appiam ad quintum lapidem in momento Q. Cæcilij avunculi sui.* Fuit ibi & sepulcrum Severi Imp. teste Æl. Spartiano in Antonino Getâ: *Illatus est in majorum sepulcra, hoc est, Severi, quod est in Appia via euntibus ad portam dextram.* Gallienum quoque Imp. in hac via nono lapide sepultum, tradit Sex. Aurelius. De Thessalo Medico, sic Plinius lib. XXIX. c. I. *Eadem ætas Neronis principatu ad Thessalum transilivit, delentem cuncta majorum placita & rabie quadam in omnis ævi medicos*

perorantem: quali prudentiâ ingenioque æstimari vel uno argumento potest, cum monumento suo, quod est Appiâ viâ, Iatronicense inscripserit. Idem libro x. cap. XLIII. auctor est Corvo funus innumeris celebratum exsequiis, constratum lectum super Æthiopum duorum humeros præcedente tibicine & coronis omnium generum, ad rogum usque, *qui constructus dextrâ viæ Appiæ ad secundum lapidem in Campo Rediculi appellato fuit.*

In *Aurelia* sepultum Galbam Imp. tradit Suetonius in ejus vitâ. *Serò tandem dispensator Argius & hoc & ceterum truncum in privatis ejus hortis Aureliæ viæ sepulturæ dedit.* Vide Eutropium lib. VII.

In *Flaminia* fuit sepulcrum Glauciæ liberti Melioris teste Martiale libr. VI. Epig. XXVIII.

Hoc sub marmore Glauciæ humatus,
Iuncto Flaminiæ jacet sepulcro.

Statius de eodem lib. II. Sylvar.

—— plebs, cuncta nefas & prævia fierunt,
Agmina, Flaminio quæ limite Mulvius agger
Transvehit.

Sepultus hîc & Paris Pantomimus liber-

tus

tus Neronis, de quo Martialis libr. XI. Epigram. XIV.

Quisquis Flaminiam teris viator
Noli nobile præterire marmor.

Meminit & Juvenalis Satyr. I.

—— experiar quid concedatur in illis.
Quorum Flaminiâ tegitur cinis atq; LATINA

Nam in hac quoque sepulcra fuisse testatur idem Juvenalis Satyra. V.

Cliveſa veheris dum per monumenta Latina.

Domitianum Imp. hîc à Phyllide nutrice funeratum, ac combustum, autor Suetonius in ejus vita cap. XVII. In hanc inferri testamento voluit Sempronius Tucidanus, ut patet ex inscriptione: *AVRELIVS. TVCIDANVS. TOTAM PECVNIAM. SI. VIA. LAT. OSS. MEIS. RE. MONVMENTVM. SVO. SVMPTV. ÆDIFICAVERIT. ABETO.* Gallus Favonius Jocundus filios suos hæredes scripsit. *HAC. TAMEN. CONDITIONE. VT. AB. VRBE. ROMA. HVC. VENIANT. ET. OSSA. MEA. INTRA. QVINQVENNIVM. EXPORTENT. E. LVSITANIA. ET. VIA. LATINA. CONDANT. SEPVLCRO. MARMOREO.* ut habet vetus inscriptio.

In *Lavicana* via conditum Didium Julianum scriptum reliquit Spartianus: *Corpus ejus à Severo uxori Manliæ Scantillæ ac filiæ ad sepulturam est redditum, & in proavi monumento translatum milliario quinto viâ Lavicana.*

In *Lavrentina* Augu. Cæsar ancillæ suæ quinq; liberos uno partu enixæ monumentum fieri jussit, autore Agellio l. x. c. ii. In hac, (ut recentiores historici scribunt) ante quingentos annos cadaver effossum est, procera statura & ingenti vulnere in medio pectore, quod Pallantis Evandri F. fuisse asserunt.

In via *Ostiensi* Divum Paulum sepultum testatur Prudentius.

In *Prænestina* secundo ab urbe lapide fuit sepulcrum Q. Attæ Togarum scriptoris.

De *Salaria* Prudentius lib. 1. contra Symmachum.

——— *Dis manibus illic*
Marmora secta lego, quacunq; Latina vetustos
Custodit cineres, densisq; Salaria bustis.

In hac Licinii tonsoris & liberti Augusti Cæsaris *monumentum est pretiosi operis*, ut

ait

ait Cornutus Sat. II. in Persium. *Sepultus viâ Salariâ prope urbem ad lapidem secundum. De hoc homine non invenustum Varronis epigramma fertur:*

Marmoreo Licinus tumulo jacet: at Cato parvo:
Pompejus nullo: quis putet esse Deos?

Meminit & Alfenus L. XXVII. D. De Condic. & Demonstr.

Restat TIBURTINA: in qua viâ intra primum lapidem fuisse monumentum Pallantis Claudii Cæs. liberti splendidum & arrogantissimo titulo, legimus apud Plinium lib. V. & lib. VII. Epist. XIX.

CAP. XXIII.

Locus sepulcri in alieno fundo emptus. Interdum etiam datus donatusq;: quemadmodum & olla.

IN suo igitur fundo unumquemq; locum sepulcro assignasse, hinc constat. Quod si quis proprium agrum vel hortum non haberet, ubi sepulcrum extrui posset, locum ab alio sibi pecunia plerunq; solebat comparare. Quem ritum tangit Ulpianus L. XIV. D. De Relig. & sumpt: *Sed etsi quid in locum fuerit erogatum.* Illustre exemplum habemus in Historia Abrahami, quem quadringentis siclis argenti locum

monumenti à filiis Hethi mercatum esse, memoriæ prodidit Moses libr. 1. cap. XXIII. Pertinent huc antiquæ Inscriptiones, quarum nonnullas hic adscribam.

Romæ ad clivum Capitolinum in ædib. Lucij Buccabellæ:

D. M.
C. Asinio. C. F. Prisco. Vixit. An. XX.
Et Asiniæ. C. F. Juvenilæ. Vix. An. XXII.
Filiis. Piissimis. Fecerunt.
C. Asinius. Chryseros. Et Cincia
Eutychis. Parentes. Et. Sibi. Et. Suis
Libertis. Libertabus. Posterisque
Eorum. Locus. Empius.
A Libertis. Et. Libertabus
Juliæ. Epiphaniæ.

Neapoli:

Oppia T. F. Basilla
Mater. Infelicissima.
Fecit. Basso. Filio. Optimo.
Et Piissimo. Et. Sibi. Et
Aman-

AMANDO. AUG. L. CONIUGI
LIBERTIS. LIBERTABUSQUE
BASSI. FILI. MEI. ET. MEIS. ET
AMANDI. ET. NATIS. NATÆVE
EORUM. LOCO. EMPTO
TERRÆ. JUGERIBUS. TRIBUS
ET ÆDIFICIIS. OMNIBUS
CIRCUMDATA. MACERIA.

Et alibi:

D. M. (NEL
TEGEDIÆ. FORTUNATÆ. ET. L. COR-
FIRMI. VIVI. SIBI. FECERUNT. QUEM
EMERUNT. HS. CXX.

Et alibi.

OSSA. L. BACCHII. L. F. HEIC. POSITA
SUNT
AD. LOCUM. QUEM. IPSE. VIVUS. EMIT.

Interdum tamen quorundam ea liberalitas & indulgentia fuit, ut aliis in suo fundo locum assignarint, vel testamento legarint, ubi monumentum pro ipsorum arbitrio conderetur. Meminit Ulpianus L. IV. D. De Relig. & sumpt. funer. *Etiamsi in Legatum locum mortuus sit illatus ab herede.*

Romæ

Romæ ad montem Jordanum in tabernâ quadam.

D. M.

Successo. Cæsaris. N.
Tabellario. Coniugi
Carissimo. Vixit. An. xl.
Et Vitalioni. F. Ann. II. M. XI.
Die B. XXVI. B. M. Ol. Fortunata
Locum. Adsignatum. A. Moscho
Proc. (nor.
Hortorum, Maianorum. Et Lamia-

Romæ trans Tiberim.

D. M.

Macariæ. Heliodoro. Heliodoræ.
Filiis. Piissimis. Fecerunt.
M. Petronius. Chesimus. Et. Eiete
Parentes. Ex. Indulgenpia. Domni.
Et Patroni. Syræ. Mamertini Qui.
Locum. Dedit Et Donavit.
Et Sibi. Et. Libertis. Libertabus.
Posterisque. Eorum. H.M.H.N.S.
In. Fronte. Ped. viii. In Agr. Ped. viii.

Romæ in hortis Carpens.

Structura. Cum. Munitura.

Sar-

Sarcophagi. Veturi. Felicis.
P. P. Suis. Impendis. Fecit. Felix. Aug. Lib. Adiut. Tabul.
A. Rat. Qui. Sortitus. Est In
Contubern. Suo. Arriam. Rufinam. Quæ. Fuit. Uxor. Eiusd,
Felicis. Locus. Concessus. Ab.
T. Æl. Asclepiodoro.

Ibidem ad D. Cæciliæ trans Tiberim.

D. M. Liciniæ. Helenæ
L. Licinius. Heracla
Fecit, Patronæ. Suæ
Bene. Merenti. Permissu
Liciniæ. Secundillæ
In Fund. Suo.

Ibidem ad Forum Piscarium, in ædib. Angeli Velarini.

Dis Manibus
T. Claudi. Aug. Lib.
Thaletis. Viniciani
Nomenclatoris
A. Censibus
Thalius. Et. Januaria.
Lib. De. Suo. Posuerunt.

Loco

Loco. Legato. Ab.
Julio. Alcide. Coll. Eius.
Cuius. Heres. Fuit.

Ibidem ad D. Mariæ cognomento Majoris in Exquiliis:

Cæcia. C. L. Eulimene.
C. Cæcio. C. L. Philaristo. Viro
Suo Et. Sibi. Fecit.
D. Cornelius. Hilarus. Amicus.
Locum. Ollarum. Duarum. Dedit.
Donavitque.

Non autem Locum duntaxat, sed & ollas, quibus cineres condebantur, donatas testantur antiqui Lapides:

Romæ in domo Cæsia:

Diomedes. Tyranni.
Cæsaris. Servi. Frater
Olla. Data. Ab.
Cn. Domitio. Verbano.

Et alibi:

Avillia. Hilara.
Olla Donata. Ab. L. Porcio
Lysimacho.

Ibi-

Ibidem in Musejo Carpensi.

M. VISPANIO. FULLONI. TENTORI.

M. VISPANIO. EROTI. AURICATORI.

M. VISPANIO. MIGNIONI. VIATORI

M. VISPANIO. QUARTIN. SUCCONDITORI.

M. VISPANIUS. RUFINUS. MEDICUS. FACT. VENETÆ. OLL. IV. D. D.

CAP. XXIV.

De Locis publicis pauperum sepulturæ destinatis. Puticulæ *vel* Puticuli. *In Exquiliis fuisse hæc loca monstratur.* Culinæ *quid? Supplicia sumpta de sceleratis extra portam.* Sestertium. *Carnifex extra urbem habitabat. Rhodiorum Lex de eodem.*

PUblica verò loca quod attinet, ea rursum erant duplicia. Primò enim quædam pauperum, & vilium mancipiorum funeribus erant destinata, quæ *Puticulæ* dicebantur, ut Varro effert: vel, ut alii, *Puticuli*. Acro in Horatium: *Aputeis fossis ad sepelienda cadavera pauperum, locus*

cus dictus est Puticuli. Erant hæc non procul ab urbe extra portam Exquilinam, auctor Varro libr. IV. de Ling. Lat. *Extra oppida à puteis Puticulæ, quod ibi in puteis obruebantur homines. Nisi potius ut Ælius scribit, Puticulæ, quod putiscebant ibi cadavera projecta: qui locus publicus ultra Exquilias.* Magis signatè Festus, cujus verba mutila & lacera sic restituuntur à doctis: *Puticulos, antiquissimum genus sepulturæ, appellatos quod ibi in puteis sepelirentur homines. Qualis fuerit locus, quò nunc cadavera projici solent extra portam Exquilinam: quæ quod ibi putescerent, nomen esse factum Puticuli.* Ceterum cum vicinitas horum Puticulorum urbi esset insalubris, Augustus Cæsar aliquot jugera de publico isto & communi plebejorum loco concessit Mecænati, qui hortos ibi colere cœpit. Unde Horat lib. I. Satyr. VIII. de Priapo.

Aſt importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa, vetatq; novis considere in hortis:
Huc prius angustis ejecta cadavera cellis
Conservus vili portanda locabat in arca.
Hoc miseræ plebi stabat commune sepulcrum,
Pantolabo scurræ Nomentanoq; nepoti.
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat, Heredes monumentum ne sequeretur.

Nunc

Nunt licet Exquiliis habitare salubribus, atq;
Aggere in aprico spatiari: quo modo tristes
Albis informem spectabant ossibus agrum.

Hos hortos intellexit Propertius libr. IV. Ubi *agros novos* appellat:

Dicite quid Exquilius hac nocte fugarit aquosa,
Quum vicina novis aura cucurrit agris.

In hortos igitur parte Exquiliarum conversâ, verosimile est D. Augustum alia quædam loca suburbana inopum sepulturæ destinasse, quæ forte an *Culinæ* istæ fuerunt, de quibus Agennus Urbicus libr. 1. de controvers. agror. ad Jul. Frontinum: *Sunt in suburbanis loca publica inopum destinata funeribus, quæ loca Culinas appellant.*

Nec verò sepeliebantur solum extra hanc portam servi & vilia capita: sed & supplicia sumi solita de sceleratis. Tacitus libr. 11. Annal. *In P. Martium consules extra portam Exquilinam, cum classicum canere jussissent, more prisco advertêre.* Facit huc illud Suetonii in Claudio: *Civitatem Romanam usurpantes in campo Exquilino securi percussit.* Alludit huc Horatius, anus illas lapidatas in Exquiliis abjiciens:

Vos turba vicatim hinc & hinc saxis petens
Contundet obscenus anus.

Post insepulta membra different lupi
Et Exquilinæ alites.

Eandem portam Plautus Metiam appellat, ubi de servili supplicio loquitur:

Illum adepol videre ardentem te extra portam Metiam
Credo ecastor velle.

Nam quæ Plauto Metia est, eandem esse cum Exquilina doctissimè censuit magnus ille Lipsius. De hac eadem igitur intelligendum illud Plauti:

—— credo ego istoc exemplo tibi
Esse eundum actutum extra portam, dispessis manibus
Patibulum cum habebis.

Appellabatur autem Locus iste peculiari nomine *Sestertium*. Commentator Horatii, ut Cruquius eum edidit & Lipsius emendavit: *Exquilinus mons Romæ ex septem montibus. hinc Esquilinâ portâ Romæ dicitur ad Sestertium, ubi certus erat locus sepulcrorum ad corpora pauperum aut sceleratorum viliumq; comburenda, aut canibus projicienda.* Plutarchus in Galba: Τὸν δὲ Γάλβα τοῖς Πατροβίου καὶ Οὐϊτελλίου δούλοις ἐδωρήσατο. Λαβόντες δὲ ἐκεῖνοι καὶ πάντα τρόπον αἰκισάμενοι καὶ καθυβρίσαντες, ἔρριψαν ἢ σὺν ἀπὸ τῶν Καισάρων κολαζομένους θανατοῦσιν. ὁ δὲ τόπος Σεστέρτιον καλεῖται. id est, *Galbæ caput Patrobij & Vitellij servis donarunt. quod illi acceptum omni contumeliarum*

liarum & ludibriorum genere afficientes, abjecerunt in locum, ubi occidi solent, in quos Cæsar jussit animadvertere. Locus Sestertium dicitur. Possidonius in vita D. Cypriani: *Et cum perveniſſet in locum, qui dicitur Seſtertius, quarto ab urbe miliari, expoliavit ſe birro, & tradidit carnificibus: Dalmaticam verò tradidit Diaconis & ſtetit in linteis expectans ſpiculatorem. Et dum ille appropinquaßet, juſſit ſuis illi dare viginti aureos.*

His addendum, Carnificem quoque ipsum extra portam hanc domicilium habuisse: Plautus:

Extra portam Metiam turrendum eſt prius,
Lanios inde accerſam duos cum tintinnabulis.

Cicero pro Rabirio perduell. reo: *Sed moreretur prius acerbißima morte millies Gracchus, quam in ejus concione carnifex conſiſteret: quem non modo foro, ſed etiam cœlo hoc ac ſpiritu Cenſoriæ leges atque urbis domicilio carere voluerunt.* Sed & apud Rhodios lege cautum fuisse, ne carnifex urbem ingrederetur, tradit Dio Chrysostomus Oration. XXXI. περὶ οἷς νόμος ἐστὶ, τὸν δημόσιον μηδέποτε εἰσελθεῖν τὴν πόλιν.

Cap. XXV.

De Locis Sepulturæ illustrium virorum fœminarumq; destinatis. Publicè ea data in Campo Martio vel Exquilino. Idem mos in Provinciis. Olla publicè date. Athenienses in Ceramico sepeliebant militiæ pro patria mortuos. Mos Iudæorum in discrimine locorum, quæ sepulcris destinata.

DEinde alia erant Loca Publica, quibus Viri præclarè de Repub. meriti inferebantur. His enim Romani plerunque publicè locum sepulcro assignabant, tanquam singulare virtutis præmium. Cicero IX. Philipp. *Majores nostri statuas multis decreverunt, sepulcra paucis.* Quo pertinet hæc inscriptio Romana, quæ visitur jam infra Capitolium versus forum Trajani:

C. Poblicio. L.F. Bibulo. Æd. Pl. Honoris Virtutisque. Causa. Senatusconsulto. Populique. Jussu. Locus. Monumento. Quo Ipse Posterique Eius. Inferrentur. Publice Datus Est.

Destinabantur autem loca sepulchris virorum celebrium potissimum in campo Mar-

Martio: de quo Strabo libr. v. Διόπερ ἱεροπρεπέστατον νομίζαντες τὸν τόπον τοῦτον, καὶ τὰ τῶν ἐπιφανεστάτων μνήματα ἐνταῦτα κατεσκεύασαν ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν. hoc est, *Itaq; Romani hunc locum maximè sacrum & venerabilem rati, illustrissimorum virorum ac mulierum monumenta ibi collocarunt.* De Syllâ ibi sepulto Appianus libr. I. ἐμφυλ. τὸ δὲ λέχος ὑποδύντες ἀπὸ τῆς βουλῆς ἄνδρες εὔρωστοι διεκόμιζον ἐς τὸ πεδίον τὸ Ἀρείον, ἔνθα βασιλεῖς θάπτονται μόνοι. hoc est, *Mox robusti aliquot senatores sublatam in humeros lecticam transtulerunt in campum Martium, ubi solos reges sepelire mos erat.* Idem testatur Plutarchus in Lucullo & Pompeio. De Hirtio & Pansa Consulibus, Epitoma Livii CXIX. *A. Hirtius, qui post victoriam ipsius in inimicorum castris ceciderat, &, L. Pansa è vulnere, quod in adverso prælio exceperat, defunctus, in Campo Martio sepulti sunt.* Agrippæ etiam in eo sepulchrũ fuisse concessum, quantumvis ibi sepultus non sit, autor est Dio libr. LIV. ubi de Augusto loquitur: Καὶ αὐτὸν (Agrippam) ἐν τῷ ἑαυτοῦ μνημείῳ ἔθαψε, καὶ τοὶ ἴδιον ἐν τῷ Ἀρείῳ πεδίῳ λαβόντα. Idipsum de Druso memorat Suetonius in Claudio cap. I. *Corpus ejus per*

municipiorum coloniarumq; primores suscipientibus obviis scribarum decuriis ad urbem devectum, sepultumq; est in Campo Martio.

Non licebat autem cuiquam in campum hunc inferri sine publico senatus decreto, ut notat Dio libr. XLVIII. de M. Oppio loquens: Καὶ ὁ μὲν οὕτω ζῶντε ὑπὸ τοῦ ὁμίλου ἠγαπήθη, καὶ ἀποθανὼν οὐ πολλῷ ὕστερον, εἰς τε τὸ Ἄρειον πέδιον ἐκομίσθη. καὶ ἐκεῖ καὶ ἐτάφη, καυθεὶς πρότερον, ἡ δὲ δὴ βουλὴ ἀγανακτήσασα τῇ πάσῃ τοῦ πλήθους περὶ αὐτὸν σπουδῇ, τὰ ὀστᾶ αὐτοῦ, ὡς οὐχ ὁσίως ἐν τῷ ἱερῷ χωρίῳ κείμενα, ἀνείλετο, πεισθεῖσα τοῖς Ποντίφιξι, καίπερ πολλοὺς ἄλλους ἐν αὐτῷ καὶ πρότερον καὶ μετὰ ταῦτα θάψασα. hoc est: *Non vivus modo Oppius ita gratus plebi fuit, sed defunctum etiam paulò post in campo Martio extulerunt, crematumq; ibi humarunt. Quod plebis studium erga Oppium omne indignè ferens Senatus, ossa ejus monitu Pontificum, tanquam loco sacro non ritè posita, inde removit, quamvis & antè & pòst multos eodem loco sepeliverit.* Quæ controversia etiam olim agitata fuerat à Domitio, cum Julia Cæsaris F. Cn. Pompeji uxor in hoc campo Martio sepulta esset, autore eodem Dione libr. XXXIX. circa finem: Ἐν τῷ τούτῳ χρόνῳ γὰρ ἡ τοῦ Πομπηίου γυνὴ θυγάτριόν τι τεκοῦσα ἀπέθανε: καὶ αὐτὴν, εἴτε

Δια-

διαπραξαμένων τῶν τε ἐκείνου, καὶ τοῦ Καίσαρος φίλων, ἢ καὶ ἄλλως πῶς χαρίσασθαι ἐθελήσαντες συνήρπασαν. ἐπειδὴ τάχιστα τῶν ἐν τῇ ἀγορᾷ ἐπαίνων ἔτυχε, καὶ ἐν τῷ Ἀρείῳ πεδίῳ ἔθαψαν, καὶ τοι Δομιτίου ἀντισταμένου καὶ λέγοντος ἀλλά τε καὶ ὅτι οὐκ ὁσίως ἐι τῷ ἱερῷ τόπῳ ἄνευ τινος ψηφίσματος θάπτοιτο.

Indicat illud & Silius Italicus lib. XIII.

Quantos funeribus vestris gens Itala passim
Dat gemitus? tumulus vobis censente Senatu
Mavortis geminus surgit per gramina campo.

Interdum verò etiam in Campo Exquilino locus publicè dabatur, ut colligere est ex IX. Philipp. ubi Cicero censet hunc honorem publici sepulcri Ser. Sulpitio in legatione populi Romani vita functo tribuendum esse; his verbis: *Cum Servius Sulpitius, Qu. F. Lemoniá, Rufus, ita de Repub. meritus sit, vt his ornamentis decorari debeat: senatum censere atq; ex Republ. existimare, Ædiles curules edictum, quod de funeribus habeant, Ser. Sulpitij, Qu. F. Lemoniâ, Rufi, funeri mittere: utiq; locum sepulcro in Campo Esquilino C. Pansa Consul, seu quo alio in loco videtur, pedes triginta quoq; versus designet, quo Serv. Sulpitius inferatur. Quod sepulcrũ, ipsius, liberorum, posterorumq; ejus sit: vti quod optimo jure sepulcrum publicè datum est.*

Sic etiam in provinciis morem istum servatum legimus, ut interdum Locus decreto Decurionum publicè daretur: quod patet ex antiquis Inscriptionibus, ubi hæ literæ L. P. D. D. D. id denotarunt.

Brundusii in ædibus Diomedis Casiniani Medici:

ΕΥΚΡΑΤΙΔΑΣ. ΠΕΙΣΙΔΑΜΟΥ. ΡΟΔΙΟΣ ΦΙΛΟΣΟΦΟΣ. ΕΠΙΚΟΥΡΕΙΟΣ. ΤΟΝΤΟΠΟΝ. ΤΗΣ. ΒΡΟΥΝΤΕΣΙΝΩΝ. ΒΟΥΛΗΣ. ΕΙΣ. ΤΑΦΟΝ. ΨΗΦΗΣΑΜΕΝΗΣ.

Evcratidas. Pisidami. F. Rhodius Philosophus, Epicurius. L. P. D. D. D.

Canusii.

M. Bæbio. M. F. Q. N. Arn. Suetrio Marcello. Equo. Publico Æd. Q. IIII. Vir. I. D. IIII. Quinq. II. Patrono. Munic. Flamini. Divi Vespasiani.

M. Bæbius. Suetrius. Marcellus. Et. Suetria. Rufa. Optimo. Huic. Decuriones. Funus. Publicum. Statuam. Equestrem. Clypeum. Argenteum. Locum. Sepul-

SEPULTURÆ. DECREVERUNT URBANI. STATUAM PEDESTREM.

Non autem Locum monumenti tantum: sed & ollas publicè datas invenio. Testatur vetus Inscriptio, quæ est Romæ in ædibus Attili Delphinii:

JULIÆ. PLEBEIÆ
IN HONOREM. O
ALEXANDRI ET DEMETRI. CÆSARIS. AUG. L.
EX. DECRETO. DECUR.
OLLA. PUBLICE. DATA. EST.

Geminum planè ritum apud Athenienses usurpatum observo. Hi enim in Ceramico sepeliebant publico sumptu, qui in bello pro patria cecidissent. Suidas: Δύο ἦσαν κεράμεικοι Ἀθήνῃσι, ὁ μὲν ἔνδον τῆς πόλεως, ὁ δὲ ἔξω. ἔνθα καὶ τοὺς ἐν πολέμῳ τελευτήσαντας ἔθαπτον δημοσίᾳ καὶ τοὺς ἐπιταφίους ἔλεγον: ἐν δὲ τῷ ἑτέρῳ ὑστήκεισαν αἱ πόρναι. hoc est, *Ceramici Athenis duo erant, unus in civitate, alter extra civitatem. In illo, qui in bello cecidissent, publico sumptu sepeliebantur, funebriquè oratione ornabantur: In hoc verò meretrices se prostituebant.* Ostendit disertè Demosthenes ἐπιταφίῳ: τοὺς ἐν τῷ τάφῳ κει-

μένους ἀγαθοὺς ἄνδρας ἐν τῷ πολέμῳ γεγενημένους ἐδέοξε τῇ πόλει δημοσίᾳ θάπτειν. Et post ea: ὡς μὲν οὖν ἡ πόλις σπουδάζει περὶ τοῦ ἐν τῷ πολέμῳ τελευτῶντας, ἔκτε τῶν ἄλλων ἐστὶν ἰδεῖν. καὶ μάλιστα ἐκ τοῦ νόμου, καθ' ὃν αἱρεῖται τὸν ἐροῦντα ἐπὶ ταῖς δημοσίαις ταφαῖς. Philostratus libro I. de vita Sophistar. in Gorgiâ: ὁ δὲ ἐπιτάφιος οὗ διῆλθεν Ἀθήνησιν, εἴρηται μὲν ἐπὶ τοῖς ἐν τῷ πολέμῳ πεσοῦσιν, οὓς οἱ Ἀθηναῖοι δημοσίᾳ σὺν ἐπαίνοις ἔθαψαν. Harpocration: τοὺς ἐν πολέμῳ τελευτήσαντας ἔθαπτον δημοσίᾳ καὶ τοὺς ἐπιταφίους ἔλεγον. Clemens Alexandrinus libro V. Stomat. καὶ οἱ παλαιοὶ δὲ τῶν παρ' ἕλλησι τῶν ἐν πολέμῳ ἀποθανόντων τελευτὴν ἐπαινοῦσι. Publicè igitur laudatos ac in Ceramico sepultos, qui pro patria in bello mortem oppetierant, ex his manifestum est. Unde apparet, insignem honorem fuisse, quod Zenoni locus sepulchri in Ceramico decretus fuit publico Atheniensium ψηφίσματι: quod integrum recitat Laërtius libr. VIII. in ejus vita; ex quo quæ ad nostrum institutum faciunt, hæc sunt: Τύχῃ τῇ ἀγαθῇ δεδόχθαι τῷ δήμῳ, ἐπαινέσαι μὲν Ζήνωνα Μνασέου Κιπτιέα, καὶ στεφανῶσαι χρυσῷ στεφάνῳ κατὰ τὸν νόμον, ἀρετῆς ἕνεκα καὶ σωφροσύνης. οἰκοδομῆσαι δὲ αὐτῷ καὶ τάφον ἐπὶ τοῦ Κεραμεικοῦ δημοσίᾳ, &c.

Quan-

Quando igitur in hunc sermonem venimus, notandum hujusmodi discrimen locorum sepulcris destinatorum apud Hebræos quoque observatum fuisse. Primò enim erant sepulcra plebejorum & ignobilis vulgi, ut patet ex libro IV. Regum, capit. XXIII. de Josia Rege demoliente idola, quæ in templum DEI irrepserant: *Et efferri fecit* (inquit textus) *lucum de domo Domini, foras Ierusalem in convalle Cedron, & combussit eum ibi, & redegit in pulverem, & projecit super sepulchra vulgi.* Jeremiæ capit. XXVI. *Et eduxerunt Uriam de Ægypto, & adduxerunt eum ad Regem Ioacim, & percussit eum gladio, & projecit cadaver ejus in sepulcris vulgi ignobilis.* Mitto, quod & peregrini ac exteri certum sepulcri locum habuêre, ut videre est ex Matthæo capit. XXVII. Deinde verò ditiores habuisse propria monumenta in agris vel hortis suis, manifestum est ex historia Passionis nostri Salvatoris, quem tumulatum esse in monumento Josephi Arimathæi, quod erat in ejus horto, testantur Evangelistæ. Denique Regum etiam fuisse peculiaria sepul-

sepulcra, colligimus cum ex aliis, tum verò ex libr. II. Chronicor. cap. XXVI. *Dormivitque Ozias cum patribus suis, & sepelierunt eum in agro regalium sepulcrorum, eo quod esset leprosus.*

Cap. XXVI.

De Sepulcris quæ in ipsa urbe Roma. quorum illa fuerint investigatum. Græci quoque in foro vel medio urbis viros claros sepeliebant.

Sed ut è Græcia Judæaque, quo nos paulò antè blandior ventus compulerat, Romam iterum navigemus, Loca Sepulchrorum ibi extra urbem fuisse hactenus monstravimus. At verò hîc nobis jam aliquis occurrat, plurima etiam in ipsa urbe Roma sepulchra extitisse. Fateor equidem, & insuper probo auctoritate Prudentii, lib. I. contra Symmachum:

Et tot templa Deûm Roma, quot in urbe sepulcra
Heroum numerare licet: quos fabula manes
Nobilitat, noster populus veneratus adorat.

Non deest tamen, quod ad hæc respondeamus. Primò enim quis scit, an non antiquissimis temporibus illa fuerint extra urbem, cujus pomœriis aliquoties insequenti ævo prolatis, fieri potuit, ut simul intra

intra mœnia includerentur ? Sanè præit mihi ad hanc conjecturam Varro libro v. de Ling. Lat. ubi cum dixisset, sepulchrum Accæ Laurentiæ fuisse *in Velabro, quo in Novam viam exitur.* Statim subjungit: *Qui uterq; locus extra urbem antiquam fuit, non longè à portâ Romanulâ.* Idem de Argeis sentiendum; de quibus Festus: *Argei*, inquit, *loca Romæ appellantur, quod in his sepulti essent quidam Argivorum illustres viri.* Deinde quædam ex illis ἀναμφιβήτως fuerunt monumenta eorum, qui in urbe sepulti erant refrigeratis legibus. Nec enim illorum ossa eruta aut sepulchra destructa post leges funerales renovatas usquam legimus: quemadmodum nec Gallorum, qui post occupatam à se Romam peste mortui, intraq; urbem cremati, Bustorum Gallicorum nomine insignem locum fecêre, de quo Varro libr. IV. Ling. Latina. *Locus ad Busta Gallica, quod Roma recuperata Gallorum ossa, qui possederant urbem, ibi coacervata ac consita.* Meminit & Livius libro V. & XXII. Denique in horum numero & Virginum Vestalium, & Virorum clarissimorum sepulchra censeo. Nam his propter

propter præclara in Rempublicam merita: illis verò ob sacram dignitatem interdum sepulcri locum intra urbem datum fuisse, docuit me Servius libr. XI. Æneid. *Imperatores*, inquiens, *& Virgines Vestæ, quia legibus non tenentur, in civitate habent sepulcra. Denique etiam nocentes Virgines Vestæ, licet vivæ, tamen intra urbem in campo scelerato obruebantur.* Ac de Vestalium quidem supplicio videndus Festus, Plutarchus in Numa, & Dionysius Halicarnass. libro II. De illustribus verò & claris Viris intra urbem sepultis, auctor etiam Cicero libro II. Leg. *Quid? qui post XII. in urbe sepulti sunt clari viri? M. Credo, Tite, fuisse aut eos quibus hoc ante legem virtutis caussa tributum est, vt Publicolæ, vt Tuberto, quod eorum posteri tenuerunt: aut eos, si qui hoc, vt C. Fabricius, virtutis caussa, soluti legibus consecuti sunt.* Publicolæ sepulchrum quod attinet, fuisse illud ex SCto non procul à foro prope Veliam Dionysius Halicarnass. & Plutarchus memoriæ prodiderunt. Verba Dionysii ex libro V. hæc sunt: ἡ μὲν τοῦ βελὴ μαθεῖν ὡς εἶχεν αὐτῷ τὰ πράγματα ἔσπευσε, ἐκ τῶν λημα-

δημοσίων ἐψηφίσαντο χρημάτων ἐπιχορηγηθῆναι τὰς εἰς τὴν ταφὴν δαπάνας, καὶ χωρίον ἔνθα ἐκαύθη καὶ ἐτάφη, μόνῳ τῶν μεχρὶς ἐμοῦ γενομένων ἐπιφανῶν ἀνδρῶν, ἐν τῇ πόλει σύνεγγυς τῆς ἀγορᾶς ἀπέδειξεν ὑπὸ ἐλέους. Hoc est, *At Senatus cognita ingenti ejus egestate, decrevit, ut ex ærario sumptus ad ejus funus suppeditarentur, & misericordia motus, locum ubi crematus & sepultus est, illi soli ex omnibus viris illustribus, qui usque ad meam ætatem fuerunt in urbe prope forum adsignavit.* Ac miror sanè, cur solum Publicolam hoc honore affectum dicat Dionysius: cum & Marcus Cicero dicto loco, & Plutarchus in ῥωμαϊκοῖς, disertè annotent, idem jus tributum esse etiam C. Fabricio, posterisquè eorum: qui tamen ab eo usurpando omnino abstinuerunt, contenti funeribus κομισθεῖσιν εἰς ἀγορὰν ὑφίεσθαι δᾷδα καιομένην, εἶτα εὐθὺς αἴρεσθαι *in forum delatis ardentem facem subijcere & mox eam auferre.* Eadem tradit in vita Valerii Publicolæ, his verbis: Ἐτάφη δὲ οὗτος τῶν πολιτῶν ψηφισαμένων ἐντὸς παρὰ τὴν καλουμένην Ουελίαν ὥς τε καὶ γένει παντὶ τῆς ταφῆς μετᾶναι. νῦν δὲ θάπτεται

μὲν

μὲν οὐδεὶς τῶν ἀπὸ γένους. κομίσαντες δὲ τὸν νεκρὸν ἐκεῖ κατὰ πίθενται, καὶ δᾷδά τις ἡμμένην λαβὼν, ὅσον ὑπήνεγκεν, εἶτα ἀναιρεῖται: Μαρτυρόμενος ἔργῳ τὸ ἐξῆναι, φείδεσθαι δὲ τιμῆς, καὶ τὸν νεκρὸν οὕτως ἀποκομίζουσιν. *Ex plebiscito hic quoque in urbe sepultus est juxta Veliam, , quam vocant: datumque toti ejus stirpi jus hujus sepulcri. Nunc tamen nemo ex eâ familia ibi conditur: sed cadaver eo delatum deponunt. Tum ardentem facem quispiam tenens, eam tantum subijcit, mox retrahit: quare jus testatur sibi esse, sed abstinere se honore. quo facto mortuum inde tollunt.* Sic & Cinciam Claudiamque gentem Romæ in urbe monumenta habuisse legimus. De Cincia Festus: *Cincia locus Romæ, ubi Cinciorum monumentum fuit.* De Claudia verò Suetonius in Tiberio; *Agrum insuper trans Anienem clientibus, locumquè sibi ad sepulturam sub capitolio publicè accepit.* Trajano Imperatori etiam hunc honorem delatum, auctor est Eutropius libr. VIII. *Solus omnium Imperatorum intra urbem sepultus est. Ossa ejus collocata in urna aurea in foro, quod ædificavit sibi, columnâ ibi positâ, sunt: cujus altitudo* CXI. *pedes habet.* Dicit histori-

ſtoricus *in foro* Trajanum ſepultum. Quæ verba in memoriam mihi revocant ſolemnem Græcorum ritum, qui & ipſi intra urbem, & quidem ſæpius in ipſo foro, aut medio urbis ſepelire ſolebant eos, quibus honorem exhibitum vellent. Scholiaſtes Pindari: οἱ οἰκιστὰι ἐν μέσαις ταῖς πόλεσιν ἐθάπτοντο ἐξ ἔθους. Plutarchus in Themiſtocle: Καὶ τάφον μὲν αὐτοῦ λαμπρὸν ἐν τῇ ἀγορᾷ Μάγνητες ἔχουσι Xenophon libr. VII. Ἑλλην. de Euphrone à Corinthiis ſepulto: οἱ μὲν πολῖται αὐτὸν ὡς ἄνδρα ἀγαθὸν κομιζαμένοι ἔθαψάν τε ἐν τῇ ἀγορᾷ καὶ ὡς ἀρχηγέτην τῆς πόλεως σέβονται. Thucydidis lib. V. Μετὰ δὲ ταῦτα τὸν Βρασίδαν οἱ ξύμμαχοι πάντες σὺν ὅπλοις ἐπισπόμενοι, δημοσίᾳ ἔθαψον ἐν τῇ πόλει πρὸ τῆς νῦν ἀγορᾶς οὔσης. Sic Thaletem in loco Mileſii agri vili & contempto ſepeliri voluiſſe, prædivinantem animo ibi aliquando celebre Mileſiorum forum futurum, teſtis eſt Plutarchus in Solone. Ὅμοιον δὲ, inquit, τι καὶ θαλῆν εἰκάζαι λέγουσι, κελεῦζαι γὰρ αὐτὸν τινι τόπῳ τῆς Μιλησίας φάυλῳ καὶ παρορωμένῳ τελευτήζαντα θεῖναι προειπὼν, ὡς ἀγορὰ ποτὲ τοῦτο Μιλησίων ἔσται τὸ χωρίον. Et Cato Uticenſis fratri ſuo Cœpioni monumentum ex Thaſio lapide octo talentorum pretio confectum in foro Ænenſium conſtituit, auctore eodem

Plutarcho in ejus vita. Mortuus enim Cœpio fuerat Æni, quæ Thraciæ urbs est. De Germanico Tacitus lib. II. *Corpus antequam cremaretur, nudatum in foro Antiochensium, qui locus sepulturæ destinabatur.* Atque is est fortè *celeberrimus locus*, quo Dionem Syracusanum conditum tradit Æmil. Probus: *Sic subito misericordia odio successerat, ut eum suo sanguine, si possent, ab Acheronte cuperent redimere. Itaque in urbe celeberrimo loco, elatus publicè sepulcri monumento donatus est.*

Cap. XXVII.

In urbe sepeliebant mortuos Spartani & Tarentini. Templorum origo apud priscos Græcos à sepulcris videtur manasse. Christianorum mos in templis humandi funera legibus coercitus.

APUD quas gentes & quibus de causis mortuos intra urbem sepelire fas non fuerit, extra quam si cui honorem habitum irent, hactenus dictum est. Ex hac igitur occasione non possum præterire consuetudinem Spartanorum & Tarentinorum, qui mortuos suos in ipsis urbibus sepeliebant. Ac Spartani quidem id fecere ex instituto Lycurgi, qui hac ratione

tione juventutem Laconicam ad mortem honorandam, non autem timendam, volebat assuefacere: ut auctor est Plutarchus in Laconicis & in Lycurgo his verbis: Πρῶτον μὲν γὰρ ἀνελὼν δεισιδαιμονίαν ἅπασαν, ἐν τῇ πόλει θάπτειν τοὺς νεκροὺς, καὶ πλησίον ἔχειν τὰ μνήματα τῶν ἱερῶν οὐκ ἐκώλυσε. σπουδαίους ποιῶν τοὺς πολίτας ὄψεσι καὶ συνηθείαις τοὺς νέους, ὡς τε μὴ ταραττεσθαι μηδ' ὀρρωδεῖν τὸν θάνατον, ὡς μιαινομένους τοὺς ἁψαμένους νεκρῶν σώματος, ἢ διὰ πάντων διελθόντας, ἔπειθε συνθάπτειν, οὐδὲν εἴασεν. De Tarentinis verò colligitur ex loco quodam Polybii libro VIII. qui nunc in Excerptis legitur. Docet enim illic, quomodo Tarentum in potestatem Hannibalis venerit, narrans urbis Tarentinorum partem ad ortum Solis vergentem, bustorum plenam fuisse, quia ad ea usque tempora Tarentini morem haberent, intra oppidum mortuos condere, obtemperantes veteri cuidam oracuło. Cum enim edita ipsis sors esset, res eorum meliores futuras, si una cum pluribus habitarent, ita illos interpretatos esse id oraculum, existimasseque Rempubl. suam bonam fortunatamque fore, si illos etiam

qui migrarint è vita, intra urbem receperint: quod postea diligenter observarint. Verba Oraculi hæc erant: Αμεινον καὶ λωίον ἔσεσθαι σφίσι ποιουμένοις τὴν οἴκησιν μετὰ τῶν πλειόνων. P. Victor libro II. Var. Lect. cap. VII. Imo verò Græcos antiquissimos casco illo ævo in ipsis Deorum templis fanisq; mortuos suos humasse, multis ostendit Arnobius libro VI. advers. Gentes: *Quid? quòd multa ex his templa, quæ tholis sunt aureis & sublimibus elata fastigiis auctorum conscriptionibus comprobatur contegere cineres atque ossa, & functorum esse corporum sepulturas?* Et vide apud eum exempla, quæ à Clemente Alexand. mutuatus est. Eadem habet Theodoretus libro ἑλληνικῆς θεραπευτ. Serm. de Martyribus. Qui tamen auctores templorum originem apud Ethnicos ad Sepulcra potius uno ore referunt: quemadmodum & Valerius Max. libro VIII. cap. XVI. auctor est, Græciam summo consensu locum, in quo Amphiaraus humatus sit, in formam conditionemque templi redegisse, atque inde oracula capi instituisse.

Non possum hic de Christianorum Cœmi-

Cœmiteriis silere, quæ nescio annon & ipsa plurimis templis originem dederint. Nam præterquam quod in iis corpora suorum sepeliebant, certè persecutionum tempore ibi omnes sacras ceremonias, quæ quidem in templis solent, celebratas, possem hic pluribus monstrare, nisi ab Onuphrio in Appendice ad Platinam ea res jam pridem esset explicata. Erant autem hæc Christianorum Cœmiteria primitus extra urbem, quod notum. At postquam pace Ecclesiæ data templa sua Christiani passim in ipsis urbibus habere cœperunt, etiam Cœmiteria proximo templis loco religiosa quadam affectione constituerunt: Corpora ibi melius fortè quietura rati, quemadmodum & de Valerio quodam ossa sua prope templum Æsculapii collocante testatur Inscriptio Hispanienſis: MORTE. ME. VALERIVM. M. F. ADSEQVENTE. IN. VLT. TERRA. NVLLO. CREDIDI. LOCO. OSSA. NOSTRA. POSSE. MELIVS. AVQVIESCERE. QVAM. PROPE. TEMPLVM. ÆSCVLAPII. ITAQVE. EX. TESTAM. AD X. PEDES. A. TEM-

PLO. VOLO. CONDIER. VOS. NATI. IVCVNDISS. AB VRBE. ROMA. HVC. CONCEDITE. AD. SEPVLCHRVM. NOSTRVM. DEMETVR. DOLOR. PIETATE. VESTRA. SI. MANES. SENTIENT. VOS. MEMORES. NOSTRI. Neque hac vicinitate contenti, in ipsis quoque penetralibus templorum sepeliri maluerunt, feneſtram ad id aperientibus Conſtantino Magno & Honorio Impp. quorum hic Romæ in S. Petri, ille Conſtantinopoli in porticu templi Apoſtolorum humatus legitur. Et poſt illâ mos hic adeo vulgò etiam inualuit, ut legibus fuerit coercendus à Gratiano, Valentiniano & Theodoſio Impp. quos ad Pancratium præfect. vrbi ſuper hac re ita reſcripſiſſe teſtatur Lex 11. C. de ſacroſanct. Eccleſ. *Nemo Apoſtolorum vel Martyrum ſedem humanis corporibus exiſtimet conceſſam.* Et L. ult. 1x. C. Theodoſ. XVII. Μηδεὶς ἐν ἐκκλησίᾳ θαπτέτω νεκρὸν. *Nullus in Eccleſia ſepeliat mortuum.* Et inter leges Caroli Magni illud caput extat: *Ut nullus deinceps in Eccleſia mortuum ſepeliat.* lib. 1. cap. CLIX. Idipſum ſanxit Conſilium Braccarenſe

rense primum can. XXXVI. *Item placuit ut corpora defunctorum nullo modo intra Basilicam sanctorum sepeliantur, sed si necesse est, de foris circa murum Basilicæ. Nam si firmissimum hoc privilegium usque nunc retinent Galliæ civitates, ut nullo modo intra ambitum murorum cujuslibet defuncti corpus sit humatum; quanto magis hoc venerabilium martyrum debet reverentia obtineri.*

FINIS LIBRI SECUNDI de funeribus Romanorum.

Johan. Kirchmanni

De Funeribus Romanorum.

Liber Tertius.

Caput I.

De Sepultura Reliquiarum. Bustum. Ustrina. Rogus. Pyra. Servius sibi ipse non constans. Rogus ex quibus lignis. Pix & Papyrus huic rei adhibita. Legem XII. tab. de non poliendo asci à rogo insuperhabitam videri. Cupresso cur Rogi circumdati. Extructi illi in aræ formam modò humiles, modò altiores. Leges Rogorum incendium à privatis publicisq; ædificiis arcentes.

HActenus Elatio: Sequitur jam Sepultura ipsa, quam appello *hominis mortui vel reliquiarum ejus in sepulcrum illationem.* Postquam igitur eo ordine, quo diximus, extra Urbem ventum fuit, si comburendus erat mortuus, Funus rectâ deportabatur in locum cremationi destinatum, qui, si cum sepulcro conjunctus esset, *Bustum*; si verò ab eo separatus, *Ustrina* antiquitus indigitabatur, teste Festo: *Bustum propriè dicitur locus, in quo mortuus*

est

est combustus & sepultus, dicitur q. bustum, quasi bene ustum. Vbi verò combustus quis tantummodo, alibi verò est sepultus, is ab urendo Ustrina vocatur. Sed modò Bustum eo, quod sepelitur, sepulcra vocamus. Eadem tradit Servius in XI. Æneid. cujus locum non parcam hîc adscribere, si fortè à gravissimo morbo, in quo cubat, illum liberare possim: *Bustum dicitur id quo mortuos combusta e* ossa, quæ ejus sibi justa sunt sepulta. Alii dicunt ubi homo combustus est, nisi ibidem humatus fuerit, non esse ibi Bustum, sed Ustrinum.* Ita est in Parisiensi editione illius Servii, quem clarissimus Petrus Daniel Juridicus Floriacensis, in cujus nupero occasu magnam bonæ literæ jacturam fecerunt, ante paucos annos omnibus doctis acclamantibus in publicum emisit: Quem autem sensum commodum inde extorquere possis non video, nisi si fortè ita legendum sit: *Bustum dicitur, in quo mortuus combustus est, ossaq. ejus ibi juxtà sunt sepulta.* Sed de hac viderint doctiores. nam si quis propiùs ad literarum ductum accesserit, è vestigio nostra delere non recusabimus. Quod verò hîc de Ustrinis dicitur, eas in-

terdum ab ipsis monumentis fuisse sejunctas, idipsum etiam his duobus lapidibus Romanis comprobatur, quibus inciſum legimus: Huic. Monumento. Ustrinum. Applicari Non Licet. Item: Ad. Hoc. Monimentum. Ustrinum. Applicari. Non. Licet. Sic Julium Cæsarem alibi combustum & reliquias ejus alibi conditas, testatur Dio libr. XLIV. Et Strabo in descriptione Campi Martii τῆς καύσεως τοῦ Αὐγούστου τόπον diversum à Mausoleo notat. Combustus enim Augustus in Campo Martio, sepultus autem in Mausoleo, teste Suetonio.

In Ustrinis igitur cadavera tantùm cremabantur: Glossarium vetus: *Ustrina*, πυρκαϊκὰ. *Ustrina*, καῦσις νεκρῶν. In Bustis verò & cremabantur & sepeliebantur. Unde etiam *Busta* non raro pro ipsis sepulchris invenias. Lucanus libr. IV. de Curione:

——— *Lybicus en nobile corpus*
Pascit aves, nullo contectus Curio busto.

Et quod Græci τύμβον, Cicero *bustum* vocat II. Leg.

Atq; in hæc loca Funus deportatum impo-

imponebatur Rogo vel Pyræ: sic enim appellabant struem illam lignorum ad comburendum cadaver paratam. Glossarium: *Rogus*, πυρὰ νεκρῶν. *Rogus* πῦρ. Scholiastes Euripides in Hecuba: πυρὴ τὸ πῦρ τὸ ἐπὶ νεκρῷ ἀπτόμενον. Καὶ ὁ τόπος, ἐν ᾧ τὸ πῦρ ἅπτεται. Oppianus lib. IV. Alieutic. vers. 557. Κνλὼ πυρόεσσαν vocat. Pindarus 3. Pyth, τεῖχος ξύλινον appellat. Servius quidem inter Rogum & Pyram discrimen aliquod constituit: sed id à Latinæ linguæ autoribus non observari, notum est vel mediocriter eruditis. Quid? quod idem ille, quem dico, Grammaticus ipsus à sese hac eadem in re seorsim sentit. Nam ad III. Æneid. sic ait: *Apparatus mortuorum funus dici solet: exstructio lignorum, Rogus: subjectio ignis, Pyra: crematio cadaveris, Bustum: Locus, Vstrina: operis constructio, Sepulcrum: nomen inscriptũ, Monumentũ.* Aliter verò ad XI. Æneid. *Pyra est lignorum congeries: Rogus cum jam ardere cœperit dicitur: Bustũ verò jam exustũ vocatur.* Quæ loca manifestò inter sese pugnare qui non videt, eũ Thamyrâ esse oportet cœcioré. Sed minutias hasce mittamus, & materiâ formãq: rogorũ propiùs contẽplemur.

Mate-

Materiam quod attinet, fiebant Rogi ex lignis, quæ ignem facilé conciperent nutrirentque : quorum aliquot meminit Virgilius I v. Æn.

At Regina, pyrá penetrali in sede sub auras
Erectâ ingenti, tadis atque ilice sectâ.

Et libr. v I.

Procumbunt piceæ, sonat icta securibus ilex,
Fraxineæq́, trabes cuneis & fissile robur
Scinditur, advolvunt ingentes montibus ornos.

Picem verò adhibitam testatur vetus Inscriptio, cujus ultima verba, quæ nostro instituto serviunt, hæc sunt : Nec. Ex. Eorum. Bonis. Plus. Inventum. Est. Quam. Quod. Sufficeret Ad. Emendam. Pyram. Et. Picem. Quibus. Corpora. Cremarentur. Et. Præfica. Conducta. Est. Et. Urna. Empta. Fortè etiam Papyrus ad hanc rem usurpata : ut conjicere est ex Martiale libr. x. Epigr. in Numam :

Dum levis arsurâ struitur Libitina papyro,
Et myrrham & casiam flebilis uxor emit :
Iam scrobe, iam lecto, iam pollincture parato,
Heredem scripsit me Numa, convaluit.

Ligna verò hæc, quæ ad construendum rogum comparabantur, rudia & impoli-

polita esse oportebat. Unde Lex XII. tabularum: *Rogum asciâ ne polito*, ut est apud Cicer. II. leg. Erat enim ascia dolabræ genus poliendis & læuigandis lignis aptum. Verùm hanc legem exoleuisse, ex Plinio colligimus, qui libr. XXXV. C. VII. pictos fuisse rogos tradit; non autem nisi dedolata & affabrè polita ligna picturis exornari solita fuisse, verosimile est. Verba ejus inter alia hæc sunt: *Quoniam & pericula expingimus, ne quis miretur & rogos pingi, juvatq; pugnaturos ad mortem aut certè cædem speciosè vehi.* Puta navibus, de quibus ipsi sermo.

Præterea Cupressis quoq; pyras cingi solitas, ut fœtorem cadaverum, jucunditate sui odoris comprimerent, autor Varro apud Servium in libr. VI. Æneid; his verbis: *Varro dicit Pyras ideo Cupresso circumdari solitas propter gravem ustrinæ odorem, ne eo offendatur populi circumstantis corona: quæ tam diu stabat respondens fletibus Præficæ, hoc est, planctuum principis, quàm diu consumpto cadavere & collectis cineribus dicebat novissimum verbum* ILICET, *quod ire licet significat.* Virgilii locus hic est:

Ingen-

Ingentem struxêre pyram, cui frondibus atris
Intexunt latera, & ferales ante cupressos
Constituunt.

Silius Italicus lib. x. in funere Paulli:

At ferale decus, mœstas ad busta cupressos
Funereas tum deinde pyras certamine texunt.
Officium infelix & munus inane peremptis.

Statius libr. IV. Thebaid:

—— superat tamen agger in aruis
Pineus, hunc juxta cumulo minor ara profunda
Erigitur Cereri frondes atq; omne cupressus
Intexit plorata latus.

Eadem opinor de causâ Calanus Indus ex lignis odoriferis, ut cedro, thyo, cupresso, myrtho & lauro pyram paravit, in eaque se ultro combussit, ut tradit Ælianus libr. V. Var. hist. cap. VI. Εγεγένητο μὲν ἡ πυρὰ ἐν τῷ καλλίστῳ προαστείῳ τῆς Βαβυλῶνος, καὶ ἦν τὰ ξύλα αὖα καὶ πρὸς εὐωδίαν εὖ μάλα ἐπίλεκτα, κέδρου, καὶ θύου καὶ κυπαρίττου καὶ μυρσίνης καὶ δάφνης. Ex eodem ritu & Ovidius libr. III. Trist. Eleg. XIII.

Funeris ara mihi ferali cincta cupresso
Convenit & structis flamma parata rogis.

Qui locus etiam Formam rogi expressè indicat. In aræ enim modum construebatur. Servius ad illud Virgilii *Aramq; sepulcri.* libr. VI. Æneid. *Pyram dicit, quæ in modum aræ construi lignis solebat. Nam & sequitur:*

Con-

Congerere arboribus cœlo & educere certant.

Et aram quæ ante sepulcrum fieri consuevit, intelligere non possumus: ut — stant manibus aræ: cum nondum facta sit funeratio, quæ præcedit sepulcrum. Herodianus illustrium virorum rogos πυραγώνας ἰσοπλεύρους, hoc est. *specie quadrangulâ, & æquis lateribus* fuisse asserit, libr. IV. Pertinacis pyram πύργοειδῆ, autor Xiphilinus in Severo, hoc est, *formâ triangulari & instar turris.*

Fiebant enim Pyræ pro qualitate personarum modò altiores, modò humiliores. Nam tenuiorum & pauperum rogos humiles fuisse & parvos, videre est apud Lucanum libr. IIX.

Sic fatus, parvos juvenis procul aspicit ignes
Corpus, vile suis, nullo custode cremantes.

Unde Ovidius in Ibin.

Et dare plebeio corpus inane rogo.

Contrà verò ditiorum & clarorum virorum sublimes ac superbi. Virg. VI. Æneid. *Ingentem struxere pyram.* Ita Siccio mortuo πυρὰν ὑπερμεγέθη extructam testis Dion. Halicar. libr. II. Et Viriathum ἐπὶ ὑψηλοτάτης πυρᾶς combustum memorat Appianus Ἰβηρικῇ. Silius Italic. de funere Pauli libr. X.

Sub

Sublimem eduxêre pyram, mollesq; virenti
Stramine composuêre toros.

De Cæsaris funere Plutarchus: Ἀπὸ τῶν ἐργαστηρίων τὰ βάθρα καὶ τὰς πραπέζας ἀναστῶντες καὶ συγκομίζοντες εἰς τοῦτο παμμεγεθῆ πυρὰν ἔνησαν. *ingentem rogum congesserunt.*

Ceterùm in extructione Rogorum id servabant, ne ignis noceret privatis publicisq; ædificiis. Nam utrisque cautum legibus fuit. Privatis quidem domibus cavit Lex XII. tab. teste Cicerone II. Leg. *Duæ sunt*, inquit, *præterea leges de sepulcris: quarum altera privatorum ædificiis, altera ipsis sepulcris cavet. Nam quod rogum bustumve novum vetat propius L X. pedes adjici ædes alienas, invito domino, incendium videtur arcere.* Unde clarissima lux affulget Pomponio L. Si propius. D. De mortuo infer. *Si propius ædificium alienum intra legitimum modum mortuus illatus sit, postea eum prohibere non poterit ædificij dominus, quò minus alium mortuum eò inferat, vel monumentum ædificet, si ab initio sciente domino hoc fecerit.* Ubi per *legitimum modum* intellige L X. pedes, qui in XII. tab. præscribitur. De publicis verò ædificijs testatur Dio libr. XLVIII.

tem-

temporibus Augusti App. Claudio & C. Norbano Cos. h. e. anno urbis IↃCCXVI. edictum fuisse μήτε τὰς καύσεις τῶν νεκρῶν πέντε καὶ δέκα ἀπὸ τῆς πόλεως σταδίων γίγνεσθαι. hoc est, *ne mortui intra duo millia passuum ab urbe cremarentur.*

CAP. II.

Oculi in rogum positi referati. Pyra incensa à proximis averso vultu. Venti optabantur, ut cadaver citò absumeretur. Denis virorum corporibus tantum singula mulierbria fuisse apposita & quare.

IN hujusmodi igitur rogum cadaver funerale collocabatur unâ cum lecto, quem simul cum corpore comburi solitum, testatur Tibullus:

Flebis & arsuro positum me Delia lecto.

Tum iterum [ut oscula repetita mittam], de quibus suprà] oculos mortuo reseratos adapertosque fuisse, qui animam efflanti clausi erant, Plinius monet lib. XI. cap. 38. cujus verba alibi posuimus. Quem Quiritum morem allusisse videtur Virgilius lib. IV. Æneid. de Mercurio loquens:

Dat somnos adimitq; & lumina morte resignat.

Ut interpretatur contra Servium Turnebus.

Hoc igitur facto Pyram incendebant, qui mortuo ſanguine proximi. Xiphilinus in Severo de ejus funere: Τά τε δῶρα τὰ στρατιωτικὰ, ὅι τι τῶν παρόντων ἔχοντες, εἰς αὐτὴν ἐνέβαλον καὶ τὸ πῦρ οἱ υἱεῖς ἐνῆκαν. h. e. *Conjecêre in eum dona militaria, ij, qui tum habebant: filij ignem accenderunt.* Sic Judacilius hauſto veneno hortatus eſt amicos ſuos, ut faces ſubderent, teſte Appiano libr. I. ἐμφυλ. Auguſti verò Pyram Centuriones incenderunt ex SCto. Dio lib. LVI. κἀκ τούτου δᾶδας ἑκατόνταρχοι, ἅς που τῇ βουλῇ ἐδεδώκει, λαβόντες, ὑφῆψαν αὐτήν. Et rogum Petinacis incendiſſe Conſules autor eſt Xiphilinus in Severo: εἶθ' οὕτως οἱ ὕπατοι πῦρ ἐπ' αὐτὴν ἐνέβαλον.

Ceterum in rogo incendendo adhibita fuit hæc Ceremonia & cautus, ut id facerent, vultu & capitibus averſis. Virgil. libr. VI. Æneid.

Averſi tenuêre faces. ——

Et cauſa erat, ut id officium neceſſitatis eſſe oſtenderent, non voluntatis, monente Servio.

Rogo jam incenſo ventos optabant, qui flammam ardentiorem ſuſcitarent alerentque, & ita cadaver rogo impoſitum faci-

facilius citiusquè absumeretur. Cinthia apud Propertium libr. IV. Eleg. Sunt aliquid:

Cur ventos non ipse rogis ingrate petisti?

Plutarchus in funere Syllæ: Τῆς δὲ ἡμέρας συννεφοῦς ἔωθεν οὔσης, ὕδωρ ἐξ οὐρανοῦ προσδοκῶντες, ἐννάτης ἦραν μόλις ὥρας τὸν νεκρὸν. ἀνέμου δὲ λαμπροῦ καταιγίσαντος εἰς τὴν πυρὰν, καὶ φλόγα πολλὴν ἐγείραντος, ἔφθη τὸ σῶμα συγκομισθέν. ὅσον δ' ἤδη τῆς πυρᾶς μαραινομένης, καὶ τοῦ πυρὸς ἀπίοντος, ἐκχυθῆναι πολὺν ὄμβρον καὶ κατασχεῖν ἄχρι νυκτός. ὥστε τὴν τύχην αὐτοῦ δοκεῖν τὸ σῶμα συνθάπτειν παραμένουσαν. Hoc est, *Sub Solis exortum, cum nubilus dies esset, & pluviæ expectarentur, nona demum hora funus elatum est. Ibi ventus cum procella in rogum incubuit, multaquè flamma excitata corpus cremavit. Vix rogus absumptus, ignisquè sopitus cum ingens effusus imber usq́ ad noctem duravit, vt videatur fortuna ejus viri etiam sepulcrum præsens adjuvisse.* Vide Herodian. libr. IV. Sed id prius ex Græca superstitione: Homerus in funere Patrocli. Iliad. Ψ.

Ενθ' αὖτ' ἄλλ' ἐνόησε ποδάρκης δῖος Αχιλλεὺς,
Στὰς ἀπάνευθε πυρῆς δοιοῖς ἠρᾶτ' ἀνέμοισι
Βορέῃ καὶ Ζεφύρῳ, καὶ ὑπέσχετο ἱερὰ καλὰ
Πολλὰ δὲ ἐπένδων χρυσέῳ δέπαϊ λιπάνευεν

Ελθέμεν, ὄφρα τάχιστα πυρὶ φλεγεθοίατο νεκρὸν
ὕλητ' ἐσσεύοιτο καημεναι. hoc est.

Tunc rursus alia cogitavit pedibus valens divus Achilles,
Stans, seorsim à pyra duos orabat ventos,
Boream & Zephyrum, & promittebat sacrificia preciosa:
Multa etiam libans aureo calice, supplicabat,
Vt venirent, vt citissimè igne comburerent cadaver,
Lignumq; festinaret ardere.

Hîc autem silentio involvendum non est, quod Plutarchus & post eum Macrobius memoriæ prodiderunt, morem fuisse antiquitus, ut si quando plura cadavera simul comburenda essent, quod in bellis aut peste fieri solebat, denis virorum corporibus singula muliebria apponerentur. Quod cur factum ex ipsis autorib. audiamus. Sic enim Plutarchus III. Symp. quæst. IV. Τρίτον τοῦτο τὸ περὶ τὰς ταφὰς αἱρεῖ θερμότερα τὰ θήλεα τῶν ἀῤῥένων εἶναι. Λέγεται γὰρ ὑπὸ τῶν σκευωρουμένων, τὰ μὲν σαυτίθεσθαι παρὰ δέκα νεκροὺς ἀνδρῶν, ἕνα γυναικὸς καὶ συνεξάπτειν δαδώδες τι καὶ λιπαρὸν αὐτῶν τῆς σαρκὸς ἐχούσης, ὥστε ὑπόκαυμα γίνεσθαι τῶν ἄλλων.

Quem

Quem locum ut plerosq; alios Macrobius libr. VII. Saturnal. cap. VII. sic interpretatur: *Quis ergo dicat frigidas, quas nemo potest negare plenas caloris, quia sanguine plenæ sunt? Deinde licet urendi corpora defunctorum usus nostro seculo nullus sit, lectio tamen docet, eo tempore, quo igni dari honor mortuis habebatur, si quando usu venisset, ut plura corpora simul incenderentur; solitos fuisse funerum ministros denis virorum corporibus adjicere singula muliebria, & unius adjutu quasi natura flammei, & ideo celeriter ardentis, cetera flagrabant. Ita nec veteribus calor mulierum habebatur incognitus.* Cujus caloris fœminei meminit & Artemidorus libr. II. cap. VIII. οὐδὲν οὕτως τὰ σώματα θερμαίνει, ὥσπερ πῦρ καὶ γυνή. Symmachus tamen apud Macrobium dicto loco contra Horum, cujus ista verba erant, disputans, pinguedini asscribit non calori: *Quod*, inquiens, *muliebre corpus juvabat ardentes viros, non caloris erat, sed pinguis carnis & oleo similioris.*

CAP. III.

Decursio funebris circa rogum. περιδρομή. *Fiebat illa in sinistrum orbem, versis insignibus, interdum proje-*

projectis armis & tuba sonante. Vsurpata etiam in parentalibus anniversariis.

NEc verò Decursio funebris, Græci περιδρομὴν vocant, hîc omittenda est, quam in Imperatorum & illustrium virorum funeribus usitatâ fuisse, plurima scriptorum veterum loca vociferantur. Nam funere in Pyram collocato, milites atque adeo omnes qui exsequias venerant, solemni ritu rogum ter ambire & hoc modo affectum suum erga defunctum ostendere solebant. Cujus ritus meminit Homer. Iliad. Ψ.

Οἱδὲ τρὶς περὶ νεκρὸν ἐϋτρίχας ἵππους ἤλασαν ἱππῆες
Μυρόμενοι.

Et Apollon. lib. 1. Argonautic.

Τρὶς περὶ χαλκείοις δίχα τεύχεσι δινηθέντες
Τύμβῳ ἐνεκτερέϊζον.

Et idem libr. v 1.

—— τρὶς δ' ἀμφὶ σιὼ ἔντεσι δινηθέντες
Εὖ κτερέων ἴσχουσι χυτλὼ ὅτι γαῖαν ἔθεντο.

Calaber libr. 111. in funeratione Achil.

Αὐτὰρ ὅπη δὴ περὶ πάγχυ πυρὴν διεκοσμήσαντο
Πεζοὶ ἅμ' ἱππῆεσσι σιὼ ἔντεσιν ἐρρώσαντο
Ἀμφὶ πυρὴν πολὺ δάκρυ.

Virgilius in funere cæsorum Trojanorum ac præcipuè Pallantis libr. x 1.

Ter

Ter circum accensos cincti fulgentibus armis
Decurrére rogos, ter mœstum funeris ignem
Lustravére in equis ululatusq; ore dedére.

Sed quid sit *Decurrere* docet Livius lib. x. de bello Macedonico his verbis: *Mos erat, lustrationis sacro peracto decurrere exercitum & divisas bifariam acies concurrere ad simulacrum pugnæ.* Unde Agellius lib. VII. *Vt in decursionibus ludicris, aut simulacris prœliorum voluptariis fieri videmus.*

Decursum autem fuisse à militibus sinistro ordine & versis insignibus, indicat Statius lib. VI. Theb.

Tunc septem numero turbas centenus ubiq;
Surgit eques, versis ducunt insignibus ipsi
Graiugenæ reges: lustrantq; ex more sinistro
Orbe rogum & stantes inclinant pulvere flammas,
Ter curvos egére sinus, illisaq; telis
Tela sonant: quater horrendum pepulêre fragorem
Arma, quater mollem famularum brachia planctum.

Rectè: *Orbe sinistro.* Nam cursus in lævum luctus erat indicium: ut contra dextratio, vel cursus aut gyrus equorum in dextram gratulationem ac lætitiam denotabat. Unde & Papinius mox subjungit:

—— *hic luctus abolere novicq;*
Funeris auspicium vates, quanquam emina sentit
Vera jubet dextro gyro.

Turneb. lib. XIX. Adverſ. cap. XXXV.

Imò interdum projectis armis. quod à Lucano habeo, qui lib. VIII. Pompejum ait non optare ambitioſas exſequias, nec

—— —— totus ut ignem
Projectis mœrens exercitus ambiat armis.

Idq; fiebat tuba ſonante. Val. Flaccus libr. III. Argon.

Inde ter armatos Minyis referentibus orbes
Concuſsi tremuere rogi, ter inhorruit æther
Luctificum clangente tuba, jecêre ſupremo
Tum clamore faces.

Et ut conſtet, quàm ſolemnis & frequens fuerit hæc decurſio, non credo me nugas acturum, ſi aliquam multis exemplis hunc ritum illuſtravero. Nam uſurpatam illam reperio in funere Auguſti: Dio libr. LVI. ἐπεὶ δὲ εἰς τὴν πύραν τὴν ἐν τῷ Ἀρείῳ πεδίῳ ἐνετέθη, πρῶτον μὲν οἱ ἱερεῖς πάντες περιῆλθον αὐτὴν, ἔπειτα δὲ οἵτε ἱππεῖς, οἵτε ἐκ τοῦ τέλους καὶ οἱ ἄλλοι, καὶ τὸ ὁπλητικὸν τὸ φρουρικὸν περιέδραμεν. *Poſtquam cadaver rogo impoſitum in Campo Martio fuit, primùm omnes Pontifices id circumierunt, deinde equites, tum Legionarij, reliquiq; milites, & demum qui cuſtodiæ præfuerant.* Et in funere Syllæ, ut eſt apud Appian. lib. I. bell. civilium. Item in Druſillæ Dio libr. LIX. Δημοσίας δὲ τὰ φῆς ὁ ἀδελφὸς ἠξίωσε. Καὶ οἵτε δορυφόρει

φόροι μετὰ τοῦ ἄρχοντος σφῶν καὶ χωρὶς οἱ ἱππεῖς τὸ τέλος οἵτε εὐγενεῖς παῖδες τὴν Τροίαν περὶ τὸν τάφον αὐτῆς περιίππευσαν. hoc est, *Publicum funus Frater tribuit, ac Prætoriani milites cum suo tribuno ac seorsim equester ordo, seorsim patricij pueri, Trojæ decursione circum tumulum ejus obequitârunt.* Et in Pertinacis, teste Xiphilino in Severo: οἱ δὲ ἱππεῖς οἱ στρατιῶται καὶ οἱ πεζοὶ περὶ τὴν πύραν πολιτικάς τε ἅμα καὶ ποιητικὰς διεξόδους διελίττοντες διεξῆλθον. *Hic confecêre milites, equites & pedites circa rogum cursus urbanos & confictos.* Et in Severi ibidem: ἐκ δὲ τούτου τό τε σῶμα στρατιωτικῶς κοσμηθὲν ἐπὶ πυρὰν ἐτέθη, καὶ τῇ τε τῶν στρατιωτῶν. καὶ τῇ τῶν παίδων περιδρομῇ ἐτιμήθη. hoc est, *Post hæc corpus ejus militari more effertur à militibus, imponiturq́ in rogum honestatum militum & filiorum ipsius decursione.* Vide & Herodian. libr. IV. ubi decursio hæc graphicè depingitur; quam etiam apud Pœnos receptam fuisse ostendit Livius libr. XXV. in morte Gracchi: *Alij ab Hannibale (& ea vulgatior fama est) in vestibulo primorum castrorum rogum exstructum esse: armatum exercitum decurrisse, cum tripudijs Hispanorum, motibusq́ armorum & corporum suæ cuique genti*

assuetis. Similem ferè ritum in funere Attilæ describit Jornandes de Rebus Getic. Nec verò in funeratione duntaxat is ritus Decurrendi observatus est: sed & in Anniversariis celebrandis stato die iteratus. Suetonius in Claudio cap. 1. *Exercitus honorarium ei tumulum excitavit: circa quem deinceps stato die quotannis miles decurreret.* Tacitus libr. II. Annal. de Tiberio Cæsare: *Restituit aram* (Drusi) *honoriq; patris princeps ipse cum legionibus decurrit.*

Caput IV.

Varia animalia ad rogum mactata, ut oves, boves, sues, canes, avicula, equi, &c. Itemq; homines, ut servi, captivi, fœminæ. Gallorum idem mos. India ac Thraciæ fœminis unicum votum cum marito comburi. Exempla Romanorum, qui præ amore se in defuncti rogum coniecêre. similis mos apud AEthiopes, Scythas, Herulos.

DUm hæc fiebant, cadaver rogo impositum, sensim à flamma consumebatur: sed quod quis miretur raro solum. Cum enim ea fuerit veterum superstitio, ut putârint animas defunctorum sanguine delectari, ideo antiquissimis temporibus varia pecudum & animalium genera ad rogum mactari in eumq; conijci solebant, ac præsertim ea, quæ defunctis carissima fuisse

fuisse constabat: Unde Sophocles in Antigon. sub persona Creontis jubet:

Ετεοκλέα μὲν ὃς πόλεως ὑπὲρ μάχων
ὄλωλε τῆσδε πάντ' ἀρίστευσας δορί,
τάφῳ τε κρύψαι καὶ τὰ πάντ' ἀφανίσαι
ἁ τοῖς ἀρίστοις ἔρχεται κάτω νεκροῖς.

Atque is ritus neque Homero fuit incognitus: quandoquidem in funere Patrocli, ovium, boum, equorum & canum mentionem facit, Iliad. ψ.

Πολλὰ δ' ἴφια μῆλα, &c.

Virgilius præter hæc etiam Suum meminit libr. XI.

Multa boum circa mactantur corpora morti,
Setigerosq́; sues, raptasq́; ex omnibus agris
In flammam iugulant pecudes.

Sic in pyras puerorum interdum aviculas & canes, quibus in vita delectabantur, conjectas fuisse ex Plinio videre est, qui lib. IV. Ep. II. sic ait: *Habebat puer manulos multos & vinctos & solutos, habebat canes majores minoresquè: habebat luscinias, psittacos, merulas: omnes Regulus circa rogum trucidavit.* Equos cum cadavere combustos significat & Calaber libr. IX.

Αργεῖοι καὶ τρῶες ἀποκταμένους ἐνὶ χάρμῃ
Καῖον ὁμῶς ἵπποισι.

Neq

Neq; verò hac fine ſtetit veterum ſuperſtitio: ſed etiam eò crudelitatis pervenit, ut vivi quoque homines, puta captivi vel ſervi ad rogum illuſtrium virorum mactarentur. De quo ritu Tertullianus libro de ſpectaculis: *Nam olim quoniam animas defunctorum humano ſanguine propitiari creditum erat, captivos vel malo ingenio ſervos mercati in exſequiis immolabant.* Homerus in funere Patrocli combuſtos memorat:

Δώδεκα μὲν τεύων μεγαθύμων υἱέας ἐσθλὰς.
Biſſenos juvenes Trojano è ſanguine natos.

Virgil. libr. XI. Æneid.

Vinxerat & poſt terga manus, quos mitteret umbris
Inferias, caſo ſparſurus ſanguine flammas.

Et libr. X.

Quatuor hic juvenes, totidem quos educat Vfens
Viventes rapit inferias, quos immolet umbris
Captivoq; rogi perfundat ſanguine flammas.

Similis etiam Gallorum conſuetudo fuit, de qua Cæſar libr. VI. bell. Gall. *Funera ſunt pro cultu Gallorum magnifica & ſumptuoſa, omniaq; quæ vivis cordi fuiſſe arbitrantur in ignem inferunt, etiam animalia: ac paulò ſupra hanc memoriam ſervi & clientes, quos ab ijs dilectos eſſe conſtabat, juſtis confectis funeribus unà cremabantur.*

Per-

Perstringit autem hunc superstitiosum ritum Lucianus περὶ πένθους, ubi præter equos & ornamenta vestesque, etiam Concubinas atque pocillatores in rogum conjectos memorat: Πόσοι δὲ, inquit, καὶ ἵππους καὶ παλλακίδας, οὐδὲ καὶ οἰνοχόους ὑπεκατέσφαξαν, καὶ ἐσθῆτας καὶ τὸν ἄλλον κόσμον συγκατέφλεξαν ἢ συγκατώρυξαν, ὡς χρησομένοις ἐκεῖ καὶ ἀπολαύσουσιν αὐτοῖς κἀκεῖνα. Servius libro v. Æneid. ad hæc verba: —— *famulumne parentis*: eadem ferè tradit: *Fuit enim hæc majorum consuetudo, hodieque apud Indos est, ut quoties reges moriebantur, cum his dilecti equi vel servi & una de uxoribus charior circa rogum occisi incenderetur: inter quas de hac erat magna contentio.* Quod verò hîc de Indicis mulieribus loquitur Grammaticus, id etiam alii authores annotare non neglexerunt. Cicero v. Tuscul. *Mulieres verò in India, cum est cujusque earum vir mortuus, in certamen judicium que veniunt, quam plurimum ille dilexerit. Plures enim singulis solent esse nuptæ. quæ est victrix, ea læta prosequentibus suis unà cum viro in rogum imponitur: illa victa mœsta discedit.* Vide Diod. Siculum lib. XIX. Bibliothecæ Hist. Propertius lib. 3. Eleg. 7.

Felix

Felix Eois lex funeris una maritis
Quos aurora suis rubra colorat equis.
Namq; ubi mortifero jacta est fax ultima lecto
Vxorum fusis stat pia turba comis.
Et certamen habent leti, quæ viva sequatur
Conjugium, pudor est non licuisse mori.
Ardent victrices & flammæ pectora præbent
Imponuntq; suis ora perusta viris.

Ac sorte illud certamen fuisse diremptum testatur Ælianus libro VII. Var. cap. XIIX. παρὰ Ἰνδοῖς δὲ αἱ γυναῖκες τὸ αὐτὸ πῦρ ἀποθανοῦσι τοῖς ἀνδράσιν ὑπομένουσι. φιλοτιμοῦνται δὲ γυναῖκες περὶ νεκροῦ τοῦ ἀνδρὸς καὶ ἡ κλήρῳ λαχοῦσα συγκαίεται. *Apud Indos verò eundem ignem cum mortuis viris uxores audent ingredi. Contendunt autem omnes de viro defuncto mulieres: & quam sors tetigit, ea simul comburitur.* Vide plura apud Strab. libro XV. Valer Maximum libr. II. cap. I. Philonem Judæum in libr. de Abrahamo. Euseb. libr. VI. præparat. Evangel. cap. VI. Eundem autem morem Thracibus quoque assignat Pompon. Mela. libr. II. de situ orbis cap. II. *Nec fœminis quidem segnis est animus super mortuorum virorum corpora interfici, simulq; sepeliri votum eximium habent: & quia plures singulis nuptæ sunt, cujus id sit decus apud judicaturos magno conamine affectant. moribus*

bus datur estq; maximè latum, cum in hoc contenditur vincere. In quam sententiam & Solin. cap. XVII. *Uxorum numero se viri jactant, & honoris loco ducunt multiplex conjugium. Quæ fœminæ tenaces sunt pudicitiæ, defunctorum insiliunt conjugum rogos & quod maximum insigne ducunt castitatis, præcipites in flammas eunt.*

Verùm hæc à barbaris potissimùm facta sunt: hoc magis mirum, etiam apud Romanos, qui ignis supplicium τῶν κολαστηρίων τὸ μέγιστον, ut ait Clem. Alexandrinus, aut inter maxima certè tormenta censebant, fuisse nonnullos, qui præ nimio amore, quo defunctos prosequebantur, in rogum se abijcere, atque spontaneo vivicomburio vitam finire non recusarunt. Plinius l. VII. c. XXXVI. *P. Catienus Philotinus patronum adeo dilexit, ut hæres omnibus bonis instructus in rogum ejus se jaceret.* Valerius Maxim. l. IV. c. VI. de M. Plaucio: *Cum imperio Senatus classem sociorum sexaginta navium in Asiam reduceret, Tarentumq; appulisset, atque ibi uxor ejus Horestilla, quæ illuc cum prosecuta fuerat, morte depressa decessisset, funerata ea & in rogum posita inter offici-*

ficium ungendi & osculandi districto ferro incubuit. Tacit. lib. II. hist. de funere Othonis: *Quidam militum juxta rogum interfecêre se, non noxa neque ob metum, sed æmulatione decoris & caritate principis.* Idem Tacitus libr. XIV. Annal. de morte Agrippinæ. *Accenso rogo libertus ejus cognomento Mnester ipse ferro se transegit, incertum caritate in patronum, an metu exilij.* De fœminis vero Seneca lib. II. declam. II. *Quædam se maritorum rogis ardentibus miscuerunt.* Ideò etiam plerumque custodiebantur, ne se rogo præ animi impotentia injicerent. Quintilianus declamat: X. *Scitis ipsi, quo exsequiarum die extracta sit, quam diu filium tenuerit allambentibus flammis.* Vide Senec. Epist. LXIV.

Sed quia hîc sum, non deero adhuc aliorum populorum similem consuetudinem adscribere. Nam Æthiopas rege mortuo ad ejus rogum se interficere solitos fuisse testatur Diodorus Siculus lib. IV. cap. I. Et Scythas quoque unà cum dilectis mortuis terrâ se obruisse, auctor D. Hieronymus lib. II. ad Jovinianum, & Theodoretus ser. De Legibus, ubi ait Scythas acceptâ Chri-

Christianâ religione barbarum hunc morem desiisse: οὔτε Σκύθαι, inquit, τοῖς τετελευτηκόσι συγκατορύπτουσι ζῶντας, οὓς ἠγάπων ἐκεῖνοι. Apud Herulos quoq; uxores maritis mortuis laqueo sese statim juxta sepulcrum solebant induere, nisi infamiæ notam vellent subire, teste Procopio l. II. de bell. Gothico. Sic Abradatâ mortuo non solùm ejus uxorem: sed & spadones se iugulasse, tradit Xenophon lib. VII. Cyriped.

Poteram huc etiam congerere Canum exempla, qui in rogum dominorum sese conjecêre ultrò, vel ab eorum sepulcris non antè abscedere voluerunt, quàm vitam finissent, nisi res esset nimis proletaria, & verò etiam ad alia properarem. Si quis tamen his non indelectatur, me indice legat de canibus Hieronis & Lysimachi Plinium lib. VIII. cap. XL. & Plutarchum de Industriâ animal. & Ælianum libr. VI. de Animal. cap. XXV. De canibus Poli Tragœdi & Mentoris & Theodori Psaltæ eundem Ælianum lib. VII. cap. XL. Et de Cane Erigones lib. VII. cap. XXVIII. De Cane Eupolis Comici ac Daphnidis eundem Æl. libr. X. cap. XLI. & lib. XI. cap. XIII. De Cane Sabini

Dionem lib. LVIII. Denique de Aquilâ, quæ se in rogum Virginis, à qua fuerat educata, injecit & simul conflagravit Plinium lib. X. cap. V.

Cap. V.

Dona in rogum conjecta. Munera. δῶρα. ἐνταφια. *qualia fuerunt Vestes, de quibus XII. tabulis cautum. item Arma, Odores varii, & denique quicquid carum fuerat adhuc vivis. Dionysius Halicar. & Propertius explicati. Judæorum ritus in aromatum combustione.*

NON autem animata solùm, quæ defunctis carissima fuerant: sed & inanima pignora cum mortuis simul solebant cremari. Quæ si ab amicis funus prosequentibus in rogum conjicerentur, peculiari nomine *Munera* appellabantur, ut ex aliquammultis veterum locis videre est. Suetonius in Cæsare cap. XXCIII. *Præferentib. munera quia suffecturus dies non videbatur, præceptum est, ut omisso ordine, quibus quisque vellet itineribus urbi, portaret in campum.* Valerius Flaccus libro III. Argonautic.

Et socios lustrate rogos, date debita cæsis
Munera, quæ nostro misisset Cyticus igni.

Statius lib. III. Sylvar.

Nos

—— Nos non arsura feremus
Munera: venturosq; tuus durabit in annos
Me monstrante dolor.

Tibullus libr. II. Eleg. IV.

Seu veniet tibi mors, neq; erit qui lugeat ullus,
Nec qui det mæstas munus in exsequias.

Eodem modo Græcis Δῶρα frequentissimè. Nicarchus:

Ἀλλὰ κόραι τῷ παιδὶ λελεχώϊα δῶρα φέρουσαι
Θερμὰ κατὰ ψυχροῦ δάκρυα χεῖτε τάφου.

Et Ἐντάφια vocat Xiphilinus in Severo. Ἐς οὖν ταύτην τὰ ἐντάφια ἐνεβλήθη, καὶ ἡ κλίνη ἐνετέθη. *In hunc rogum conjectis iis, quæ parentandi causâ allata fuerant, lectus impositus est.*

Hujus autem generis potissimum erant Vestimenta. Nam, ut Servius ait libro VI. Æneid. *quoniam sumptuosum erat & crudele victimas vel homines interficere, sanguinei coloris cœpta est vestis mortuis injici.* Unde Virgilius in funere Miseni.

Purpureasq; super vestes, velamina nota,
Iniiciunt.

Silius Italicus lib. X. de funere Pauli:

—— jamq; Hannibal unus
Sat decoris laudator erat, fulgentia pingui
Murice suspirans inicit velamina, & auro
Intextam chlamydem ac supremo affatur honore.

Lucanus in persona Corneliæ de rogo Pompeji.

Collegit vestes miseriq; insignia Magni
Armaq; & impressas auro quas fecerat olim
Exuvias, pictasq; togas, velamina summo
Ter conspecta Iovi, funestoq; intulit igni.

Quem ritum perstringens, ut solet, Lucianus in Nigrino sic ait: οἱ μὲν ἐσθῆτας ἑαυτοῖς κελεύοντες συγκαταφλέγεσθαι, οἱδὲ ἄλλο τῶν παρὰ τὸν βίον πολλῶν. *Alij vestes, alij aliud quippiam earum rerum, quas olim in delitiis habuerant, eodem rogo secum cremari mandant,*

Verùm huic consuetudini XII. tabulæ frenum aliquod injicere voluerunt, vetando ne plures quàm tres vestes cum mortuo conderentur comburerenturvé. Sic enim rectissimè doctissimus Lipsius interpretatur hanc legem, quæ extat apud Ciceronem II. Leg. *Iam cetera de minuendo sumptu translata sunt de Solonis ferè legibus. Extenuato igitur sumptu tribus riciniis & clavis purpureis & decem tibicinibus tollit lamentationem.* Sunt qui putant legem prohibere, ne plures quàm tres fœminæ riciniis indutæ in funere essent: manifestissimo errore, quem tollere poterat funebris lex Solonis, quæ in Plutarcho legitur:

Εναγί-

Εναγίζειν ἢ βοῦν οὐκ εἴασεν, οὐδὲ συντιθέναι πλέον ἱματίων τριῶν. *Nec sivit immolari taurum, aut plus tribus palliis in funus imponere.* Quæ ἱμάτια Soloni, ea Decem viris Ricinia. h.e. toga virilis, qua usæ mulieres ante funerationem, dum domi lugebant. Atque hæc ricinia ipso funere viris mortuis injiciebant, ut testificantes, nullam deinceps virilem togam domi habituras. Non plus igitur tribus riciniis in lectulum feralem conjici debere lex voluit. Sed mali mores, ut plerunque fieri solet, bonam legem vicerant. Nam non solùm ipsius defuncti aut uxoris vestes comburebantur: sed & ij, qui mortuum amaverant, sua quoque vestimenta detracta & discissa in rogum projiciebant. Suetonius in Cæsare cap. XXCIV. *Tibicines et scenici artifices vestem, quam ex instrumento triumphorum ad præsentem usum induerant, detractam sibi atq; discissam injecêre flammæ.* Et paulò pòst. *Matronæ etiam pleræq; ornamenta sua, quæ gerebant & liberorum bullas atq; prætextas.* Varro in Cygno huc videtur allusisse: *Denique si vestimenta ei opus sunt, quæ fers, cur conscindis? si non opus sunt, cur fers?* Plutarchus quoque Ca-

tone Minore, in funere Cœpionis, quod ipsi frater Cato fecit, odoramentorum vestiumq; pretiosarum unà crematarum meminit. Ἄρτι τεθνηκότος τοῦ Καπίωνος, ἐμπαθέστερον ἔδοξεν ἢ φιλοσοφώτερον ἐνεγκεῖν τὴν συμφορὰν, οὐ μόνον κλαυθμοῖς καὶ περιπτύξεσι τοῦ νεκροῦ καὶ βαρύτητι λύπης, ἀλλὰ καὶ δαπάνῃ περὶ τὴν ταφὴν, καὶ πραγματείαις θυμιαμάτων καὶ ἱματίων πολυτελῶν συγκατακαιέντων. hoc est, *cum jam fratrem mortuum comperisset, gravius ferre visus est quàm philosopho conveniret: non solùm enim lamentationibus & planctu & mæstitia, sed sumptu funeris immodico exquisitisq; vaporibus & pretiosis vestibus corpus cremavit.* Sic Tacitus lib. III. Annal. de funere Germanici: *Atq; ubi colonias transgrederentur atrata plebes, trabeati equites, pro opibus loci, vestem, odores aliaq; funerum solennia cremabant.* Ex eodem ritu Periandrum in gratiam suæ uxoris mortuæ vestes omnium mulierum Corinthiarum cremasse, memoriæ prodidit Herodotus lib. ε. his verbis: Κήρυγμα ἐποιήσαπο ἐς τὸ ἡραῖον ἐξιέναι πάσας τὰς Κορινθίων γυναῖκας. αἱ μὲν δὴ ὡς ἐς ἑορτὴν ἤισαν κόσμῳ τῷ καλλίστῳ χρεώμεναι. ὁ δ' ὑποστάσας σὺν δορυφόρους ἀπέδυσε σφεας, παρὰς ὁμοίως τάς τ' ἐλευθέρας καὶ τὰς ἀμφιπόλους. συμφορήσας δὲ ἐς ὄρυγμα, Μελίσσῃ

ἐπευ-

ἐπευχόμενος κατέκαιε. Unde rectè emendavit Casaub. locum Laër. in Peria. Ep. ad Proclem: Καὶ γὰρ δὴ καὶ αὐτός ποινὰς ἔτισα τᾷ σᾷ θυγατρὶ, κατακαύσας αὐτᾷ καὶ τὰ πασᾶν Κορινθιᾶν εἵματα. *Ego jam Manes filiæ tuæ* Melissæ uxoris meæ *placavi, eique satisfeci comburendo in gratiam ejus vestes omnium mulierum Corinthiarum.* Meminit hujus rei & Plutarchus adversus Epicurei felicitatem, sed paulò aliter: tantùm enim hoc dicit, Periandrum cum uxore sua omnem mundum muliebrem cremasse, ὥπερ ὁ Περίανδρος, ait, τῇ γυναικὶ τὸν κόσμον ὡς δεομένῃ καὶ ῥιγοῦν λεγούσῃ συγκατέκαυσαν.

Præter vestes verò etiam arma ac varia ornamenta, quibus vel defunctus in vita usus fuerat, vel ii, qui funus prosequebantur, exculti erant, in pyram fuisse conjecta reperio. Seneca in Hercule Oetæo. v. 1662.

Hic nodus, inquit, *nulla quem capiet manus*
Mecum per ignes flagret: hoc telum Herculem
Tantum sequetur.

Idem in Hercule furente:

——— *Ipsa Lerneis frequens*
Pharetra telis in tuos ibit rogos.

Hinc Elpenor Ulyssem rogat, ut se cum armis comburat, lib. v. Odyss.

Ἀλλά με κακκείῃσι σὺν τεύχεσιν ὅσσα μοι ἔῃσιν.

Virgilius lib. xi. Æneid.

Hinc alii spolia occisis direpta Latinis
Conticiunt igni, galeas ensesq; decoros,
Frenaq; feruentes q; rotas: pars munera nota,
Ipsorum clypeos & non felicia tela.

Et paulò antè:

Addit equos & tela quibus spoliauerat hostem.

Ad quem locum Servius: *In antiquis disciplinis relatum est, quæ quisq; ornamenta consequutus esset, ut ea mortuum eum condecorarent.* Virgilius lib. vi. Æneid: decorantque super fulgentibus armis: Ubi Donatus: *Fortium virorum cum ipsis funeribus arma apud veteres consumebantur: nec solùm hæc, sed & cetera quæ habuissent charissima.* Suetonius in Cæsare cap. xxciv. *Veteranorum militum legionarii arma sua, quibus exculti funus celebrabant, injecêre flammæ.*

Quid jam de odoribus loquar, quos acervatim in rogum fuisse conjectos ex innumeris autorum locis videre est. Cicero ii. Leg. *sumptuosam respersionem* vocat, ac xii. tab. prohibitam asserit. Plinius libr. xii. cap. xviii. de Arabiâ loquens: *Beatam illam fecit hominum etiam in morte luxuria: quæ DIs intellexerat genita, adhibens urendis defun-*

defunctis. Periti rerum asseverant, non ferre tantum annuo fœtu, quantum Nero princeps novissimo Poppææ suæ die concremaverit. Æstimentur postea toto orbe singulis annis tot funera, acervatimq; congesta honori cadaverum, quæ DIs per singulas micas dantur. Valerius Max. libr. v. cap. I. *Caput etiam* (Pompeji) *plurimis & pretiosissimis odoribus cremandum curavit Cæsar.* Propertius hunc luxum deprecans ait lib. II. Eleg. XIV.

Desit odoriferis ordo mihi lancibus, adsint
Plebeij parvæ funeris exsequiæ.

Desertim verò thuris, croci, Myrrhæ, nardi, casiæ, amomi in rogum conjectorum mentionem fieri reperio. Vide Apolog. I. Apulei, cujus verba suprà attulimus. Lucanus lib. VIII. de funere Pompeji.

Non pretiosa petit cumulato thure sepulcra
Pompeius, Fortuna, tuus: non pignus ad astra
Vt ferat è membris Eöos fumus odores,

Cynthia apud Propert. lib. IV. Eleg. Sunt aliquid:

Cur nardo flamma non oluére mea?

Statius lib. II. Syl. de rogo Glauciæ:

—— quid ego exsequias & prodiga flammis
Dona loquar? mastoq; ardentia funera luxu?
Quòd tibi perpetuo tristis rogus aggere crevit?
Quòd Cilicum flores, quod munera graminis Indi
Quodq; Arabes Phariiq; (palam est vidiq;) liquores

Arsuram lavêre comam: cupit omnia ferro
Prodigus & totos Melior succendere census,
Desertas exosus opes: Sed non capit ignis
Invidus, atq; arctâ desunt in munera flamma.

Et eodem libro de Psittaco Melioris:

—— *At non inglorius umbris*
Mittitur: Assyrio cineres adolentur amomo,
Et tenues Arabum respirant germina plumæ,
Sicaniusq; crocis: senio nec fessus inerti
Scandit odoratos Phœnix felicior ignes.

Et lib. eodem in Epicedio Pileti Ursi:

—— *odoriferos exhausit flamma Sabæos,*
Et Cilicum messes; Phariaq; exempta volucri
Cinnama, & Assyrio manantes gramine succos.

Juvenalis Satyra 1 v. huc alluſit.

Et matutino sudans Crispinus amomo
Quantum vix redolent duo funera.

Virgilius lib. v 1. Æneid.

Aversi tenuêre facem: congesta cremantur
Thurea dona, dapes, fuso crateres olivo.

Quæ verba Dapes etiam in rogo funebri combuſtas clarè teſtantur; & poſſem idipſum etiam pluribus probare, niſi totam hanc rem de cœnis funebribus in alium locum reſervarem. Ut igitur ſemel finiam, quicquid precioſum habebant veteres, aut quæ cara fuiſſe vivis non ignorabant, ea omnia ſoliti erant conjicere in rogum ejus, quem honore ibant affectum. Etymologicum: χοαὶ χοῶν, τὰ ὑπεχέμενα. οἱ γὰρ ἀρχαῖοι

ἀρχαῖοι ἅπερ εἶχον κάλλιστα καὶ τιμιώτατα ἔῤῥαινον εἰς σοῦ νεκρὸς τιμῶντες αὐσοῦ. Ad quem morem eleganter lusit Nemesianus Eclogâ primâ:

Felix ô Melibœe vale: tibi frondis oderæ
Munera dat lauros carpens ruralis Apollo:
Dant Fauni quod quisq; valet: de vite racemos,
De campo culmos, omniq; ex arbore fruges,
Dat grandæva Pales spumantia cymbia lacte,
Mella ferunt Nymphæ: pictas dat Flora coronas,
Manibus hîc supremus honor. dant carmina Musæ.

Ex his igitur meridiano sole clarius est, quid intelligere voluerit Dionysius Halicar. in Coriolani & Siccii rogum conjecta dictitans, quæcunq; in illustrium & bonorum exsequiis offerri solerent. Verba ejus de funere Coriolani lib. VIII. hæc sunt: ἔπειτα κατασφάξαντέστε αὐτῷ βοσκήματα καὶ τῶν ἄλλων ἀπαρξάμενοι πάντων, ὅσων ἄνθρωποι βασιλεῦσιν ἢ στρατιᾶς ἡγεμόσιν ἐπὶ πυρᾶς ἀπάρχονται, De Siccio verò sic loquitur libr. XI. Τὸν μὲν Σίκκιον ἔθαπτον ἐκκομιδήν τε ποιησάμενοι λαμπροτάτην, καὶ πυρὰν νήσαντες ὑπερμεγέθη, καὶ τῶν ἄλλων ἀπαρχόμενοι κατὰ δύναμιν, ὧν νόμος ἐπ' ἀνδράσιν ἀγαθοῖς εἰς τὴν τελευταίαν τιμὴν φέρεσθαι. Illustrat etiam hæc consuetudo Propertii locum, quo Cynthiæ umbra amatorem Poëtam obtestatur, rogalibus ignibus dare omnes amatorios de se scriptos versus,

tan-

tanquam hoc quoque ad suos placandos manes pertineret, his verbis:

Et quoscunq; meo feciſti nomine verſus
Vre mihi: laudes deſine habere meas.

Nec enim Cynthiam mortuam laudes suas omnino suprimi voluisse, ac famæ suæ superstiti ex carmine tanti Poëtæ invalescenti invidisse existimandum est: sed potius ideo ista encomia versibus sibi sacrata uri secum voluit, quia erant gratissima, ad hunc morem procul dubio respiciens.

Volebam hîc capiti huic coronidem imponere: sed ecce commodùm mihi in mentem venit non absimilis Judæorum mos, quem nequaquam sicco pede esse prætereundum putavi. Nam apud illos etiam super lectis Regum defunctorum aromata ac unguenta fuisse combusta, citra tamen cadaveris cremationem, discimus ex lib. II. Paralip. cap. XVI. ubi de Asa Rege mortuo sic legimus: *Et sepelierunt eum in sepulcro suo, quod foderat sibi in civitate David. Posueruntq; eum super lectum suum plenum aromatibus & unguentis meretriciis, quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combusserunt super eum ambitione nimiâ.* Ad quem

locum

locum David Chimchi sic ait: combusserunt super ipso aromata in cinere bona, eumque cinerem super ipsum sparserunt. Ibidem ait, præter aromata comburi etiam solita super regibus suppellectilia. Idque eâ de causa, quantum ad lectos suppellectiliaq; attinet, fieri consueviſſe tradit Isaac Abarvanellus Comment. in cap. XXXI. libr. I. Regum, ne in usum cujusquam, qui ex regiâ prosapiâ non esset, adsumerentur, atq; hanc exustionem in omnium Regum funere factam esse. Hoc sensu intelligendus Hieremias cap. XXXIV. *Attamen audi verbum Domini, Sedicia Rex Juda, Non morieris in gladio, sed in pace morieris, & secundum combustiones patrum tuorum Regum priorum comburent te, &c.* Ubi Chimchi: Comburent te, scilicet ut comburebantur super lectis Regum ipsorum aromata & unguenta aromatibus mixta, ut dictum est in rege Asâ; nostriq́ue Rabbini declarant, has res super ipsis fuisse exustas, scilicet lectos, vestimenta aliaque utensilia: ut annotavit Hier. Magius libr. III. Miscellan. cap. XI.

CAP. VI.

CAP. VII.

Rogus vino respergi solitus. De eo Lex Numæ apud Plinium explicata. Ossilegium, ejusq; ceremoniæ ex Tibullo.

SED pergamus reliquas cremationis cerimonias porrò adjungere. Corpore igitur, quantum satis erat, ustulato, & ut Ovidii verbis utar lib. 8. Metamorph.

Paulatim caná prunam velante favillâ:

hoc est, postquam jam rogus ferè deflagrarat, &

—— *quodcunq; fuit populabile flammâ*

Mulciber abstulerat, ut ait idem Ovidius lib. IX. ad ossa colligenda, quorum eæ partes erant, sese accingebant: rogum & reliquias vino respergentes, ut flammis extinctis ultimum illud munus cinerum ossiumq; colligendorum obire tantò faciliùs possent. Qui mos neque Homero fuit incognitus: ita enim ille Iliad Ψ. in funere Patrocli:

Πρῶτον μὲν κατὰ πυρκαϊκὴν σβέσαντ' αἴθοπι οἴνῳ
Πᾶσαν, ὁπόσσον ἔπεσχε πυρὸς μένος

Meminit & Smyrnæus in descriptione exsequiarum Achillis lib III.

Δὴ τοτὲ πυρκαϊκὴν οἴνῳ σβέσαν.

Vir-

Virgilius lib. v. Æneid.

Postquam collapsi cineres ac flamma quievit,
Reliquias vino ac bibulam lavere favillam.

Et Statius ut magis probet amorem Ursi, rogum ejus vino Setino restinctum dicit lib. II. Syl.

—— nec quod tibi Setia cæsos
Restinxit cineres.

Sunt qui consuetudinem hanc vetitam putant per Numæ legem, quam quidem hoc sensu etiam ipse Plinius cepit, libr. XIV. cap. XII. *Numæ Regis Postumia lex est, VINO ROGUM NE RESPERGITO: quod subjunxisse illum propter inopiam rei nemo dubitat.* Sed Lipsius lib. III. Antiq. Lect. & Scaliger in Conjectanei ad Varron. legem hanc Numæ συμποτικὸν potiùs quàm πολιτικὸν & seriam fuisse existimant, cum ex veterum scriptis constet, vino semper rogum respergi solitum. Quo sensu etiam Catullus videtur intellexisse hoc Epigrammate:

Minister veluti puer Falerni,
Inger mî calices amariores,
Vt Lex Postumiæ jubet magistræ.

Allusum igitur ad Voluptuariorum dicteria, qui vivos se malle madere vino solebant

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767782267/phys_0397
DFG

bant dicere, quàm servare illud ad exsequias: atq; ideo in conviviis mentione mortis, vel cranio mortui, ut est in Anthologia: vel larvâ argenteâ, ut apud Petronium, sese invicem ad hilaritatem provocabant. de quo ritu videndus Scaliger lib. II. Lect. Ausonian. cap. XXV.

Itaque rogo extincto reliquiæ vel ossa colligebantur, quod munus proprio nomine *Ossilegium* dicitur. Glossæ veteres: *Ossilogium*, ὀστολεγόον. Diodorus Siculus ὀστολογίαν vocat libr. IV. Μετὰ δὲ ταῦτα οἱ μὲν περὶ τὴν ὀστολογίαν καὶ μηδὲν ὅλως ὀστέον εὑρόντες ὑπέλαβον τὴν Ἡρακλέα τοῖς χρησμοῖς ἀκολούθως ἐξ ἀνθρώπων εἰν Θεοὺς μετεστᾶσθαι. Hujus ritus plenæ sunt omnes ferè auctorum paginæ & libri. Homerus Odys. Ω. in funere Achillis, non longulè à principio:

ἠῶθεν δή τοι λέγομεν λευκ' ὀστε' Ἀχιλλεῦ.

Propertius libr. II.

Noli nobilibus, noli conferre beatis,
Vix venit extremo qui legat ossa die.

Apuleius lib. III. Flor. *Rectâ de auditorio exsequias eundum, legenda ejus esse ossa, mox carmina.* Et sensu ambiguo Martialis lib. IV. Epigr. XXXII. de Sosibiano procrastinante in editione librorum à se scriptorum:

Plena

Plena laboratis habeas cum scrinia libris,
Emittis quare, Sosibiane, nihil?
Edent haredes, inquis, mea carmina, quando
Tempus erat jam te, Sosibiane, legi.

Idem lib. VIII. Epigrammat. de Picente:

Tres habuit dentes, pariter quos expuit omnes
Ad tumulum Picens dum sedet ipse suum.
Collegitq; sinu fragmenta novissima fracti
Oris & aggestâ contumulavit humo.
Ossa licet quondam defuncti non legat hæres,
Hoc sibi jam Picens præstitit officium.

Sed omnium elegantissimè totam hanc ossilegii formam omnesque ejus ceremonias nobis depinxit Tibullus, cujus super hac re versus merentur hîc omnes adscribi. Sic autem loquitur ille libr. III. Eleg. II.

Ergo ego cum tenuem fuero mutatus in umbram,
Candidaq; ossa super nigra favilla teget.
Ante meum veniat longos incompta capillos,
Et fleat ante meum mœsta Neæra rogum.
Sed veniat thara matris comitata dolore,
Mœreat hæc genero, lugeat illa viro.
Prafata antè meos maves animamq; rigata
Perfusaq; pias antè liquore manus.
Pars quæ sola mei superabit corporis, ossa
Incincta nigrâ candida veste legant.
Et primùm expresso spargant collecta Lyæo,
Mox etiam niveo fundere lacte parent.
Post hæc carbaseis humorem tollere ventis,
Atq; in marmoreâ ponere sicca domo.
Illic quas mittit dives Panchaia merces,
Eoiq; Arabes dives & Assyria.

Et nostri memores lacrymæ fundantur eodem:
Sic ego componi versus in ossa velim.

Benè sit cultissimi Poëtæ manibus, qui tam celebrem ritũ ab oblivionis injuriâ vindicare voluit. Quare nos etiã non possumus, quin aliquantò attentiùs ejus verba pensiculemꝰ, quæ has potissimùm ceremonias in ossilegio observari solitas clarè loquuntur:

Primò, Lecta fuisse ossa ab amicis & propinquis, quod & Homerus testatur Iliad. Ω. in funere Hectoris:

ὀστέα λευκὰ λέγοντο κασίγνητοιθ' ἕταροί τε.

Unde Propertius lib. IV. Eleg. I.

Ossaq; legisti non illâ ætate legenda
Patris.

Et Seneca lib. II. de Irâ: *Dignus fuit, cui permitteret à convivio ad ossa filij legenda discedere.* Quò pertinet, quod Plutarchus tradit in Problematib. filios, cùm primùm *ossa parentis combusti reperissent, ei gratulatos fuisse & tanquam Deum jam factum consalutasse.* Augusti tamen Imperatoris *reliquias legerunt primores equestris ordinis*, teste Suetonio in ejus vitâ. quanquam Dio auctor est, etiam Liviam huic ossilegio interfuisse.

Deinde lotis antè manibus ossa fuisse lecta asserit: cujus ritus vestigium me alibi

legere

legere non memini. hîc autem clarissimis verbis indicatur. quod non videns magnus Tiraquellus immeritò malæ fidei accusavit Genialium dierum scriptorem, qui omissâ autoritate, ut solet, ceremoniæ hujus mentionem facit.

Tertiò, eos, qui reliquias legebant, fuisse incinctos, id est, solutâ fluxâq; veste muliebrem in morem. quod & Suetonius annotavit in Augusto cap. c. *Reliquias legerunt primores equestris ordinis tunicati & discincti, pedibusq; nudis, ac in Mausoleum condiderunt.* Quod autem *pedibus nudis* dicit, id reverentiæ & εὐπειθοφροσύνης fuit indicium. nam in plerisq; religionis & superstitionis ritibus obeundis calceos ponebant. non igitur in reliquiis funebribus usurpatum. Deniq; ossa collecta vino, lacte, aliisve odoribus, imò etiam lacrymis fuisse irrigata, & in linteo ventilari solita, ut exugeretur humor iste, quo sparsa erant. De quo ritu & Ovidius in Epist. Hypermnestræ ad Lyncum:

Et sepeli lacrymis perfusa fidelibus ossa.

Et in Epitaphio Rusticellæ:

Ne, grave, sit, tumulum, visere, sæpe, meum.

Et. quicunq;. tuu. humor. labetur. ocellis.
Plotinus. inde. meos. d fluat. in. cineres.

Inscriptio vetus:

O. utinam. vivo. potuissem. pramia. morum.
Reddere. nunc. lacrymas. accipe. pro. meritis.
Nam. semper. fateor. tacita. te mente. probavi.
Detexit. sensus. ultima. flamma meos.
Tu. columen rerum semper. tu. cura mearum
Nunc. eris &. luctus. tu. quoq;. causa mei.
Ossibus. infundam. que. nunquam. vina. bibisti.

His addo, Funeras mulieres ossa illa sæpiùs in sinum collegisse. testatur Tibullus lib. I. Eleg. III.

Abstineas mors atra precor: non hic mihi mater
Que legat in mœstos ossa peruста sinus.

Et Propertius libr. I.

An poteris siccu mea fata reponere ocellis?
Ossaq; nulla tuo nostra fovere sinu.

Seneca in Consolat. ad Helviam. cap. II. *Modò in eundem sinum, ex quo tres nepotes emiseras, ossa trium nepotum recepisti.*

Cap. VII.

Lex XII. tab. de non legendis homini mortuo ossibus interpretata contra Kavardum. Digitus mortuo abscissus, & quare. Ossa militia peregreq; mortuorum lecta & in patriam portata. Ψυχαγωγία religio & ritus. Quæstio, Quomodo ossa & cineres mortui dignosci potuerint, discussa.

Ossilegium igitur fuit hujusmodi. Ubi tamen notandum, Quiritium nonnullos

nullos ossa quædam in condendis cinerib. legisse, eaq; domum reportasse ad ostentationem majoris luctus. Quomodo intelligendam esse legem XII. CL. V. Casaubonus noster me monuit, & ego semper arbitratus sum: aliter quàm Rævardus existimat, qui verba Legis, *Homini mortuo ossa ne legito*, ad membri abscissionem, de qua Festus, astringit, hujusmodi discrimine inter duas has phrases, *Homini mortuo ossa legere*, & *hominis mortui*, constituto, quòd cum ossa hominis, quæ dispersa sunt, & non amplius cohærent, simul colliguntur, tunc hominis ossa legi dicantur: At homini mortuo ossa legi, cum ejus cadaveri ossa aliqua adimuntur, vel membrum abscinditur: quo sensu *vivis ossa legere Medicos* dixerit Seneca. Et *Legere* pro adimere & auferre dixisse veteres, non esse obscurum, si modò consideremus, eum dici *Sacrilegum*, qui adimit & aufert res Deo ritè consecratas: Horatius lib. I. Satyr. III.

Et qui nocturnus Divûm sacra legerit.

Acutè quidem hæc, sed parùm ἀκόλουθα. Aliud enim *Digitum abscindere*, aliud *legere ossa*, etsi res sunt valde affines & ab eadem

causa manantes. Utrumque factitatum augendo luctui, ut ait Cicero. Erant nempe, qui ante ἐκφορὰν mortuo digitum præciderent, ad quem servatum justa fierent postmodùm, quoties luctum vellent instaurare. Festus: *Membrũ abscindi mortuo dicebatur, cum digitus ejus decidebatur, ad quod servatum justa fierent, reliquo corpore combusto.* Alii verò ossa in reliquiis condendis legebant, domumque ferebant fini eadem. Quæ de Varronis *Excepto*, vel Ciceronis *Rejecto esse* intelligenda existimo. Verùm hunc morem legendi ossa XII. tab. sustulerunt, *extra quàm si quis foris militiáq; mortuus fiet.* Tum enim ossa legi permittebant, quod pium sit, reliquias majorum sepulcris inferri. De bellica tamen morte reperio Senatusconsultum, quo qui militiæ obiissent, eò ubi essent loci sepeliri jubentur. Factum id bello Italico, ut est apud Appianum libr. 1. bell. civil. *Consulis autem cadavere & aliorum nobilium non paucorum ad sepulturam in urbem relato, tristis visa est populo ejus pompæ facies, & diurnus luctus excitus est tot civium desiderio. Quapropter SCto. decretum fuit, ut posthac defun-*

defunctorum in bello corpora ibi humarentur, ubicunque cecidissent, ne ob eorum conspectum reliqui segniores ad militiam fierent. id decretum mox cognitum & hostes imitati sunt. Verba Græca hæc sunt: Ῥυτιλίου δὲ τοῦ σώματος καὶ πολλῶν ἄλλων ἐπιφανῶν ἐπὶ ταφὴν ἐς Ῥώμην ἐνεχθέντων, ἥτε ὄψις ἀηδὴς ἦν ὑπάτου καὶ τοσῶν δὲ ἄλλων ἀνῃρημένων, καὶ πολυήμερον ἐπὶ τῷδε πένθος ἠγέρθη, καὶ ἀπὸ τοῦδε ἡ βουλὴ σοῦ ἀποθνήσκοντας ἐν τοῖς πολέμοις ἔκρινεν ἔνθα περ ἂν ὦσι θάπτεσθαι, τοῦ μὴ σοῦ λοιποὺς ἐκ τῆς ὄψεως ἀποτρέπεσθαι τῶν στρατιωτῶν. τὸ δ' αὐτὸ καὶ οἱ πολέμιοι πυθόμενοι περὶ σφῶν ἐψηφίσαντο,

Sed nihilominus tamen obtinuit hic ritus in iis, qui peregrè essent mortui. Unde Ovid. lib. III. Trist. Eleg. III.

Ossa tamen facito parvâ referantur in urnâ,
Sic ego non etiam mortuus exul ero.

Am. Marcell. libr. XIX. *Post incensum corpus ossaq; in argenteam urnam conjecta, quæ ad gentem humo mandanda portari statuerat pater.*

Quemadmodum autem sinu ossa legebant: ita etiam urnulam illam ferales reliquias continentem sinu è terra peregrina in patrium solum solebant exportare. Martialis lib. IX. Epigr. XXXI.

Retulit ossa sinu chari Nigrina mariti,
Et queſta est longas non satis esse vias.
Cumq; daret sanctam tumulis, quibus invidet urnam,
Visa sibi est rapto bis viduata viro.

Tacitus de funere Germanici lib. II. *Agrippina ascendit classem cum cineribus Germanici & liberis: miserantibus cunctis, quod fœmina nobilitate princeps, pulcherrimo modò matrimonio inter venerantes gratantesq; aspici solita, tunc ferales reliquias sinu ferret.*

Ab hoc gentilium ritu non multum abiit ille alter majorum nostrorum ævo usurpatus, quo corpora peregrè mortuorum, præsertim si fuissent aliquo dignitatis titulo insigniti, crudeliter exenterata frustillatimque conscissa ignibus imponebantur coquenda, ut ossa à carnium tegumento separata commodè tandem in locum sepulturæ, quem vivi elegerant, perferri possent. Vide Aimoinum de Gest. Franc. lib. v. cap. LV. Quam consuetudinem ut barbaram & Christiano homine indignam sub gravi pœnâ abrogavit Bonifacius VIII. Pont. Max. ut est in lib. III. Extravag. com. tit. de sepult.

Non prætereundus hic etiam alius veterum ritus, quo sueti peregrè mortuorum ani-

animas, quando corpora vel cineres non licebat, factis sacris magno clamore secum in patriam revocare: Græcis ψυχαγωγία dicitur. Scholiastes Pindari ad Pythionic. Od. VI. Εθος ἦν τῶν τελευτησάντων ἐπ' ἀλλοδαπῆς, εἰ καὶ μὴ τὰ σώματα εἴη παρ' αὐτοῖς, τὰς γοῦν ψυχὰς διὰ τῶν μυστηρίων ἀνακαλεῖσθαι, καὶ ὥσπερ συμπλεούσας εἰς τὴν πατρίδα διαπεραιοῦν. Etymologici autor: Εἰώθασι κλαίοντες ἀνακαλεῖσθαι τοὺς τεθνεῶτας.

Ceterùm in hae Ψυχαγωγίᾳ usurpabant ceremoniam, ut ter defunctum nomine appellarent. Unde Virgil. VI. Æneid.

Tunc egomet tumulum Rhateo in littore inanem
Constitui & magnâ manes ter voce vocavi.

Theocritus Idyllio XIII.

Τρὶς μὲν Ὕλαν ἄυσεν, ὅσον βαθὺς ἤρυγε λαιμός,
Τρὶς δ' ἄρ' ὁ παῖς ἐπακούσεν.

Rectè igitur Heraldus censuit vocem *Hyla* ter scribendum in illo Virgilii VI. Eccl.

His adjungit Hylam nautæ quo fonte relictum
Clamassent: ut littus Hyla, Hyla, Hyla omne sonaret.

Allusit fortean hunc ritum Aristophanes in Ranis Act. V. Sc. V.

Τεθνηκόσι γὰρ ἔλεγεν, ὦ μόχθηρε σύ,
Οἷς οὐδὲ τρὶς λέγοντες ἐξικνούμεθα. Hoc est. ut Nic. Frischlinus reddidit:

Quia mortuis loquebatur, fatue, quibus
Si ter dicamus, vix exaudimur tamen.

Fundus horum omnium Homerus, Odyss. 1.

οὐδ' ἄρα μοι προτέρω νῆες κίον ἀμφιέλεσσαι
πρίν τινα τῶν δειλῶν ἑτάρων τρὶς ἕκαστον ἀΰσαι.
οἱ θάνον ἐν πεδίῳ Κικόνων ὕπο δηϊωθέντες.

Neque certè mihi ulterius naves procedebant utrinque agitatæ.
Priusquam horum miserorum sociorum ter unumquemque vocasset.
Qui perierunt in campo à Ciconibus trucidati.

Ad quem locum Eustathius: Εθος δ' ἦν, φασὶ, τὰς τῶν ἐπὶ ξένης ἀπολλυμένων ψυχὰς ἀνακαλεῖν τρὶς σὺν ἔτι περιλειπομένους, καὶ οὕτως ἀπιέναι. ὃ ψυχαγογία τις ἦν. ὡς τῶν ἀνακαλούντων, δοκούντων κατάγειν ἐκείνους, ἢ μετάγειν εἰς τὴν πατρίδα. Et vide apud eum plura. Eadem etiam religione Cenotaphia instituta: de quibus paulò post dicetur.

Jam ordinem nostrum continuare pergamus; ubi priùs difficilimam hanc quæstionem explicaverimus, quæ diu multos viros doctos habuit exercitatos. nimirum, quomodo cineres & ossa quibus honorem habitum volebant, dignosci potuerint à cineribus ex ligno nati s, ossibusque animalium, quæ sæpe simul cum cadavere cremaban-

mabantur. Sunt, qui tunicas factas existimant è lino quodam Indico, quod exuri minimè potuerit, atque iis operta cremandorum corpora, ut ita illorum favilla ac ossa à reliquis cineribus separarentur. Ad istam opinionem stabiliendam abutuntur auctoritate Plinii, qui libro XIX. cap. I. de hoc lino sic loquitur: *Inventum est etiam quod ignibus non absumeretur. Vivum id vocant, ardentesq; in focis conviviorum ex eo vidimus mappas sordibus exustis splendentes magis, quàm possent aquis. Regum inde funebres tunicæ corporis favillam à reliquo separant cinere.* Sed hos raritas hujus lini & pretium facilè refutaverit: ut mittam, quod Plinio non de Romanis sermo, sed iis gentibus, apud quas illud linum nascebatur, quarum Reges tantùm eo sint usi. Nugis etiam similiora, quæ alii de Amianto lapide comminiscuntur, cujus sententiæ cum nullum veteris scriptoris testimonium afferant, assensum illis accommodare minimè possum: sed potius cum clarissimo viro Is. Casaubono ita sentio, cadaver cremandum sic in pyra fuisse collocatum; ut cineres & ossa separata manc-

manerent, neque aut ligni cineribus aut animantium, quæ simul cremabantur, ossibus commiscerentur: atque ita ex situ & collocatione cadaveris facultatem fuisse discernendi cineres ac ossa. Cujus opinionis fundum habemus Q. Smyrnæum in descriptione funeris Achillei, lib. III.

Δὴ τότε πυρκακῖὴν οἴνῳ σβέσαν. ὀστέα δ' αὐτοῦ
φαίνετ' ἀριφραδέως ἐπεὶ οὐχ ἑτέροισιν ὅμοια
Ἦν ἀλλ' οἷα γίγαντος ἀτειρέος. οὐδὲ μὲν ἄλλα
Σὺν κείνοις ἐμέμικτο. ἐπεὶ βόες ἠδὲ καὶ ἵπποι
Καὶ παῖδες Τρώων μίγδα κταμένοισι καὶ ἄλλοις
Βαιὸν ἄπωθε κέοντο περὶ νέκυν. ὃς δ' ἐνὶ μέσσοις
Ῥιπῇ ὑφ' Ἡφαίστοιο δεδμημένος οἷος ἔκειτο.

Hoc igitur modo positi in rogo cadaveris ossa, quæ supererant μετὰ τὴν τοῦ πυρὸς μάρανσιν colligebantur, & quicquid cinerum inde decuti atque detergeri potuit in urnam conditum existimo. nam aliàs omnes cineres combusti corporis distingui situ potuisse ab iis, qui è lignis nascebantur, vero non est simile. Atque de hac quæstione ego ita statuo: Si quis meliora excogitârit, maximam à me gratiam inibit.

CAP. VIII.

De Reliquiarum & Corporis compositione. Componere. *Cineres & ossa condita in urnas.* Ossuaria. Cineraria.

Vrnas

Vrnas illas fuisse aureas, argenteas, aneas, marmoreas, fictiles. Corpus conditum in arcam cum omni ornamento funebri. Carum consuetudo. De positurâ corporum in sepulcris apud Athenienses usitatâ. Laërtij dissensus à Plutarcho & AEliano.

COLLECTA igitur ad hunc modum ossa ac cineres, vinoque & aliis odoribus, interdum & lacrymis perspersa ac irrigata, in monumentum condebant. Dionysius Halicarnass. libr. VIII. Κἄπειτα συναγαγόντες τὰ λείψανα, ἔθαψον ἐν τῷ αὐτῷ χωρίῳ, χώματι ὑψηλῷ μὲν πολυχειρίας ἐργασθέντι, μνῆμα ἐπίσημον ἐργασάμενοι. hoc est, *Deinde collectas reliquias in eodem loco humarunt, tumulo excelso super eas multorum manu congesto, monumentoq; insigni instructo.* Eadem Suetonius in Augusto cap. c. Frequens autem vox *Componendi* hoc sensu. Horatius lib. I. Satyr. IX.

Omnes composui, felices.

Propertius libr. II.

Tu mea compones ossa.

Catullus:

Quem nunc tam longè non inter nota sepulcra,
Nec prope cognatos compositum cineres.

Tacitus lib. I. hist. *Pisonem Verania uxor ac frater Scribonianus composuêre.* Et Virgilius translatè lib. I. Æneid.

Ant

Ante diem clauso componet vesper Olympo.

Nequaquam tamen cineres & ossa ita nudè componebantur tumulo, sed vasculis quibusdam inclusa, quæ Latini *Vrnas* vocabant. De quo ritu Scholiast. Homeri Iliad. Δ. οἱ ἀρχαῖοι, inquit, τὰ σώματα οὐκ ἔθαπτον ἐπὶ γῆν εἰ μὴ πρότερον ἔκαυσαν, εἶθ' οὕτως τὴν τέφραν σὺν τοῖς ὀστέοις ἐχώννυον ἐν ἀγγείῳ τινὶ ἀποθέμενοι. Hinc Thallus in Epigrammate, quod extat lib. III. Antolog. tit. εἰς ἀγαθοὺς ἄνδρας.

—— λείψανα δ' αἴ, αἴ,
Εδρακες ἐν βαιῇ καλπίδι κειθόμενα.

Et Herodianus libro II. Καλπὴν φέροντες, ἔνθα ἦν τὰ Σεβήρου λείψανα. Proprio tamen nomine hœ urnulæ *Ossuaria* dicebantur. Græcis ὀστοθήκαι vel ὀστοδοχεῖα. Vetus Inscriptio: *IVLIA. FVSCINIA. OSSVARIVM. VIVA. SIBI. FECIT.* Meminit hujus vocis & Ulpianus D. De sepulcro violato. leg. II. Et in aliâ inscriptione etjam *Cineraria* dici invenio. Unde & *Cinerarij*, qui cineres & reliquias martyrum honorabant, apud D. Hieronymum in Epist. quadam ad Ripuarium: *Ais Vigilantium os fœtidum rursus aperire & putorem spurcissimum contra Sanctorum proferre reliquias,*

quias, & nos qui eas suspicimus, appellare Cinerarios & idololatras, qui mortuorum hominum ossa veneremur.

Ceterum Urnæ hæ pro cuiuscunque conditione & facultatibus erant vel viles vel pretiosæ. Nam virorum illustrium ossa *Aureis urnis* fuisse condita legimus. Homerus Iliad. ψ.

Κλαίοντες δ' ἑτάροιο ἐνήνεος ὀστέα λευκὰ
Ἄλλεγον ἐς χρυσέην φιάλην. Idem Iliad. Ω.

Moschus Idyll. IV.

Καίκεν ἕνα χρύσειον ἐς ὀστέα κρωσσὸν ἁπάντων,
Ἀέξαντες κατέθαψαν ὅθι πρῶτον γενόμεσθα.

Plutarchus in Parall ὑδρίαν vocat χρυσήλατον, in qua Demetrii reliquiæ ad filium sunt relatæ. Æl. Spartianus de Seveto in ejus vita: *Corpus ejus à Britannia Romam usque cum magna provincialium reverentiâ susceptum est, quamvis aliqui urnulam auream tantùm fuisse dicant Severi reliquias continentem, eandemq; Antoninorum sepulcro illatam.* Eutropius de Trajano Imp. libro VIII. *Solus omnium Imp. intra urbem sepultus est. ossa ejus collocata in urnâ aureâ in foro, quod ædificavit sibi.* De urnâ *Argenteâ* Am. Marcellinus libro XVIIII. *Post incensum*

corpus,

corpus, ossaque in argenteam urnam conjecta, &c. Urnæ *æneæ* meminit Virgilius libr. VI. Æneid.

Ossaq; lecta cado texit Corinæus ahêno.

Sequitur *Marmorea.* Xiphilinus in Severo: Καὶ μετὰ τοῦτο τὰ ὀστᾶ ἐς ὑδρίαν Πορφύρου λίθου ἐμβληθέντα, ἔστε τὴν Ῥώμην ἐκομίσθη, καὶ ἐς τὸ Αντωνεῖον ἀπετέθη. Λέγεται δὲ τὴν ὑδρίαν ὀλίγον πρὸ τοῦ θανάτου μεταπέμψασθαί τε αὐτὸν καὶ ἐπιψηλαφήσαντα εἰπεῖν: χωρήσεις ἄνδρα, ὃν ἡ οἰκουμένη οὐκ ἐχώρησεν. *Ossa in urnam factam ex lapide Porphyretico conjecta Romam perlata & in Antoniniano reposita sunt. Fertur Severus hanc urnam paulo antequam decederet è vita jussisse ad se perferri: deinde contrectasse, atq; ita dixisse: Tu virum capies, quem totus orbis terrarum non cepit.* Denique *fictilium* urnarum meminit Propertius lib. II. Eleg. XII.

Deinde ubi suppositus cinerem me fecerit ardor,
Accipiat manes parvula testa meos.

Epigram. Crinagori lib. III. Anthol. tit. VI.

Σὸς δὲ νεκὺς ψαφαρῇ κείσετ' ἐν ὀστρακίνῃ.

Etymologicum Magnum. Λάρναξ κυρίως ἡ διὰ λάων, ὁ ἐστι λίθων κατασκευασθεῖσα θήκη: ἢ παρὰ τὸ λίαν νάσσεσθαι τὴν ἐκτιθέμενον. Atque hoc modo Reliquiæ cremati cadaveris condebantur.

Funus

Funus verò, quod igni comburendum non erat, ſtatim in arcam vel loculum ad hunc uſum ab ipſo mortuo, cum adhuc eſſet in vivis, ſive ab heredibus comparatum, locabatur unà cum omni iſto ornatu, quo erat per forum domo exportatum. Solitos enim veteres non ſolùm veſtes variaq; ornamenta in rogum conjicere; ſed & cum mortuo in monumentum inferre, diſcimus ex Lege ult. D. De Auro & Argento. ubi mulier decedens ita ſcripſerat in teſtamento: *Funerari me arbitrio viri mei volo & inferri mihi quæcunq; ſepulturæ meæ cauſa feram ex ornamentis, lineas duas ex margaritis & viriolas ex ſmaragdis.* Sic Virgines Veſtales ſtupri reas εἰς σηκὸν ὑπογλῶ κατασκευασμένον ἅμα τοῖς ἐνταφίοις κόσμοις, *in cellam ſubterraneam unà cum ſepulcralib. ornamentis* poſitas, autor Dionyſius lib. II.

Commodùm hîc mihi in mentem venit Carum conſuetudo, quos parvum ſcutum & galeam, quorum illi inventores extiterunt, cum mortuis defodiſſe, auctor Thucydides lib. I. Δήλα καθαιρομένης ὑπὸ Αθηναίων ἐν τῷδε τῷ πολέμῳ, καὶ τῶν θηκῶν ἀνασκαφθεισῶν, ὅσοι ἦσαν τῶν πεθνεώτων ἐν τῇ νήσῳ, ὑπὲρ ἡμίσυ

Κᾶρες ἐφάνησαν, γνωσθέντες τῇ τε σκευῇ τῶν ὅπλων ξυντεθαμμένοι καὶ τῷ τρόπῳ, ὧν νῦν ἔτι θάπτουσι. *Cum expiaretur ab Athenienſibus hoc bello Delus deſtructis ſepulcris eorum, quicunq; in eâ inſula deceſſiſſent, ſupra dimidium Cares agniti ſunt genere armorum, cum quibus erant ſepulti.* Et addit ibi Scoliaſtes: οἱ Κᾶρες πρῶτοι εὗρον τοὺς ὀμφαλοὺς τῶν ἀσπίδων καὶ τοὺς λόφους, τοῖς γὰρ ἀποθνήσκουσι συνέθαπτον ἀσπιδίσκιον μικρὸν καὶ λόφον, σημεῖον τῆς εὑρέσεως. Nec plura jam addo de iis, quæ cum mortuis ſolebant recondi.

De poſiturâ verò cadaverum, ad ortumné Solis, an verò ad occaſum illa in monumentis Romani collocarint, nihil certi habeo affirmare. At Athenienſes mortuos ſuos πρὸς δυσμὰς βλέποντας *ad occaſum reſpicientes* poſuiſſe, tradit Ælianus l. v. Var hiſt. Νόμος καὶ οὗτος Ἀττικὸς, ὃς ἂν ἀτάφῳ περιτύχῃ σώματι ἀνθρώπου, πάντως ὑπιβάλλειν αὐτῷ γῆν. θάπτειν δὲ πρὸς δυσμὰς βλέποντα. *Eſt & hujusmodi lex apud Athenienſes: Si quis in in ſepultum hominis cadaver incidat, omnino ei terram injicito, & ita ſepelito ut ad occaſum ſpectet.* Et libro VII. Var. hiſt. cap. XIX. ubi memorabile illud Solonis factum recenſet, arguentis ex cadaverum poſitu Salamina optimo

optimo jure à suis civibus occupatam: Αρχαῖας γὰρ θῆκας ἀνοίξας, ἀπέδειξε πάντας Αθηναίους πρὸς δύσιν κειμένους κατὰ τὸ πατρῴον αὐτοῖς ἔθος. τοὺς δὲ Μεγαρεῖς εἰκῇ, καὶ ὡς ἔτυχε τεθαμμένους: hoc est. *Reseratis enim antiquis monumentis, ostendit omnes Athenienses versus occasum patrio more jacere: Megarenses verò temerè & sine discrimine sepultos esse.* Idipsum quoque refert Plutarchus in Solone. Sed contrarium testatur Diog. Laërtius: disertè enim mortuos Athenis ad ortum Solis locatos fuisse asserit, eandem historiam tangens in Solone: Επεισε δὲ αὐτοὺς καὶ τὴν ἐν θρᾴκῃ χερρόνησον προσκτήσασθαι. ἵνα δὲ μὴ δοκοίη βίᾳ μόνον, ἀλλὰ καὶ δίκῃ τὴν Σαλαμῖνα κεκτῆσθαι, ἀνασκάψας τινὰς τάφους, ἔδειξε τοὺς νεκροὺς πρὸς ἀνατολὰς ἐστραμμένους, ὡς ἦν ἔθος θάπτειν Αθηναίοις, ἀλλὰ καὶ αὐτοὺς τοὺς τάφους πρὸς ἕω βλέποντας, καὶ ἀπὸ τῶν δήμων τοὺς χρηματισμοὺς ἐγκεχαραγμένους, ὅπερ ἦν ἴδιον Αθηναίων. *Persuasit Atheniensibus, ut in Thracia quoque sibi vendicarent Chersonesum. Ac ne magis vi quàm jure Salamina possidere viderentur, effossis quibusdam tumulis cadavera Orientem Solem conversa, qui Atheniensibus sepeliendi mos erat, ostendit: sepulcra item ipsa ad Orientem posita inscriptaque ipsis familiarum nomina, quod quidem*

proprium Athenienſium fuit. Quid ad hanc tam manifeſtariam pugnam dicemus? An lapſum in hiſtoria Plutarchum, lapſum Ælianum? Minimè verò gentium. Sed potiùs, ut eruditiſſimus Caſaubonus cenſet, δυοῖν θάτερον, aut fefellit Diogenem memoria, cum Plutarchi locum in animo haberet: itaque factum, ut quod ille Megarenſibus, ipſe Athenienſibus tribuerit: aut certè alios ſecutus eſt auctores, quos non defuiſſe ex Thucydidis Scholiaſte libro 1. συγγραφ. videre eſt, ubi annotat, morem fuiſſe omnibus Græcis ἐπ' ἀναπολὰς ποιεῖν ὁρᾶν τοὺς νεκρούς: Phœnicibus verò πρὸς δύσιν.

His velut θᾶττον addo, Cadavera etjam ſupina in ſepulcris fuiſſe poſita, more, ni fallor, hodieque ubique gentium frequentato. Aliter verò Diogenes Cynicus, qui interrogatus à Xeniade, quomodo vellet ſepeliri, reſpondiſſe dicitur, εἰς πρόσωπον, *in faciem verſus*: Illo autem cauſam ſciſcitante, ſubjunxiſſe, ὅτι μετ' ὀλίγον μέλλει πρὸς κάτω ἀναστρέφεσθαι, *quia paulò pòſt inferiora in contrariam partem convertentur*, teſte Laërtio in ejus vitâ.

Cap.

CAPUT IX.

Præficâ dicente Ilicet, *domuitionem paraſſe, qui adhuc prope buſtum durabant. Diſceſſuri aquâ luſtrabantur.* Salve & Vale *inclamabant*, terram levem, quietem, pacem *precabantur, ignem ſupergrediebantur.*

CORpore jam in monumentum collocato, reliquiisque conditis, & omnibus ſolemni more peractis, pronunciabatur tandem noviſſimum verbum, ILICET: quo dicto quilibet domuitionem parabat. Servius libro VI. Æneid. *Varro dicit pyras ideo cupreſſo circumdari propter gravem uſtrinæ odorem: ne offendatur populi circumſtantis corona, quæ tam diu ſtabat reſpondens planctibus Præficæ, id eſt, principis planctum, quàm diu conſumpto cadavere & collectis cineribus diceretur noviſſimum verbum, Ilicet, quod ire licet ſignificat.* Non tamen ſemper omnes, qui exſequias venerant, tam diu expectaſſe reperio. Nam quosdam ultra portam non proceſſiſſe clarè teſtatur Propertius, apud quem Cynthia de ſuo funere ſic loquitur, lib. IV.

Si piguit portas ultra procedere, at illud
Iuſſiſſes, lectum lentius ire meum.

Imò Imperatores & illuſtres viri in funeribus ſuorum ad laudationem tantùm;

quæ fiebat in foro, videntur veniſſe, nec niſi rariſſimè interfuiſſe officio, cum efferrentur è roſtris ad buſtum extra urbem. Quapropter ut civile & δημοτικὸν in Tiberio notavit Suetonius cap. xxxii. quòd ad rogum ſe cum ceteris conferre non ſpreverit: *Quorundam illuſtrium*, inquit, *exſequias uſque ad rogum frequentavit.* Sic accipiendum quod de Druſo ejus filio obſervat Dio: ὁ Δρῦσος τὰ τῆ ὑπατείᾳ προσήκοντα ἐξίσου τῷ σωάρχοντι ἐξεπέλεσε, καὶ κληρονόμος γε ὑπ' αὐτοῦ καταλειφθεὶς, τὸ σῶμα αὐτῆς συνεξήνεγκε. Ubi συνεκφέρειν ſignificat exſequias uſque ad rogum cum aliis frequentare, ut doctiſſimè explicat omnis antiquitatis & eruditionis promus condus Iſaac. Caſaubonus noſter libr. III. Animadverſ. in Sueton. Alios autem rogo incenſo conjectisque in eum muneribus & decurſione peractâ ſtatim abiiſſe, relictis ad rogum iis, quorum erat oſſa legere, Dio me docuit lib. LVI. in funere Auguſti: πραχθέντων δὲ τούτων, οἱ μὲν ἄλλοι ἀπῆλθον. ἡ δὲ δὴ Λιβία κατὰ χώραν πέντε ἡμέρας μετὰ τῶν πρώτων ἱππέων μείνασα, τότε ὅστα αὐτῆς συνελέξατο, καὶ ἐς τὸ μνημεῖον κατέθετο. hoc eſt. *His peractis* (puta, incenſo rogo & aquila evolante) *reliqui diſceſſe-*

ſceſſerunt. Livia autem cum equitum primis eo in loco quinq; dies morata, oſſa ejus legit, ac monumento condidit. Nonnullos tamen etjam uſque ad ipſam μάεφανσιν τῆς φλογὸς prope buſtum duraſſe, videre eſt ex Dionyſio Halicarnaſſęo l. VIII. de funere Marcii, ad cujus rogum inquit tantiſper expectaſſe eos, quibus Marcius maximè in amoribus fuerat, dum flamma langueſcens ſubſideret: παρέμειναν οἱ μάλιστα τ ἄνδρα ἀσπαζόμενοι μεχρὶ ἂν μαεφανθῆναι τὴν φλόγα.

Quotquot autem tantiſper ad rogum expectaſſent, dum collectis conditisq; reliquis funeri finis fieret, eos non antè à lugubri hoc officio diſceſſiſſe, quàm aquâ ter eſſent luſtrati propter contractam à funere pollutionem, Virgilius videtur indicare lib. VI. Æneid. de exſequiis Miſeni:

Oſſaq; lecta cado texit Chorineus aheno,
Idem ter ſocios purâ circumtulit unda,
Spargens rore levi & ramo felicis olivæ.

Quo quidem loco aſpergilli meminit, quod è rore marino & oliva felici conſtat, cum tamen potiùs è lauru fieri ſoleret, Nam, ut Feſtus ait, *Laurum omnibus ſuffionib. adhiberi ſolitum erat, vel quod medicamento*

siccissima sit, vel quod omni tempore viret, vt similiter Resp. vireat. Sed hujus rei causam audiamus à doctissimo Virgilii Scholiaste, ad hæc verba — ramo felicis olivæ; *Festæ arboris*, inquit ille, *sed moris fuerat, vt de lauro fieret. Sanè dicit Donatus, quòd hoc propter Augustum mutavit. Nam nata erat laurus in palatio eo die, quo natus est Augustus: unde triumphantes coronari consueverant, propter quam rem noluit laurum dicere ad officinm lugubre pertinere.*

Sic apud Græcos quoque morem fuisse, ut elato cadavere justisque redditis aqua abluerentur vivi, qui funus duxerant expiationis gratia, testatur Suidas in verbo Καταλύει: Εθος γὰρ ἦν μετὰ τὸ ἐκκομισθῆναι τὸ σῶμα, καθαρμοῦ χάριν, ἀπολύεσθαι σὺν οἰκείους τεθνεῶτος Idipsum tradit Scholiastes Aristophanis Nubibus, verbis penè iisdem: Εθος ἦν μετὰ τὴν ἐκκομιδὴν τοῦ νεκροῦ λύεσθαι σὺν κατ' οἶκον καθαρμοῦ χάριν.

Præterea quoq; *Salve* & *Vale* compositis solebant inclamare: vel etiam illud *Vale* ter repetere. Virgilius lib. 11.

Sic ô sic positum affati discedite corpus;

Ubi Servius: *Sensus talis est, Præstate mihi*

vos

vos funebre solatium: hoc est, affamini me, ut dici mortuis solet, Vale, Vale, Vale. Idem Virgilius lib. XI.

Salve æternùm mihi maxime Palla
Æternumq; vale.

Quod imitatus Statius III. Sylvar:

Salve supremùm genitor mitissime patrum
Æternumq; vale.

Servius ad Virgilii locum: *Varro in libris Logistoricis dicit, Ideò mortuis Salve & vale dici: non quod aut valere aut salvi esse possint, sed quod ab his recedimus eos nusquam visuri. Hinc ortum est, ut etiam maledicti significationem interdum Vale obtineat, ut Terentius: Valeant, qui inter nos discidium volunt, hoc est, ita à nobis recedant, ut nunquam ad nostrum revertantur aspectum. Ergo cum mortuo dicitur* VALE, *non etymologia consideranda est, sed consuetudo, quòd nullis vale dicimus, nisi à quibus recedimus.* Eadem ferè habet ad libr. v. Æneid. quo benivolum Lectorem remitto.

Soliti autem ad postremum Vale plerunq; subjungere hæc verba: *Nos te ordine, quo natura permiserit, cuncti sequemur*, teste eodem Servio in lib. III. Æneid. ad hæc

verba: *supremùm voce ciemus.* Atque hanc clausulam etiam in antiquis Inscriptionibus reperire est. Sic enim in quadam memini me legere: Vale. Et. Salve. Anima. d. Oppiæ. Felicis. Nos. Eo. Ordine. Quo Natura. Permiserit. Te. Sequemur. Vale Mater. Dulcissima.

Tum etiam humato cadaveri vel reliquiis conditis *Terram Levem* precabantur: quo ritu nihil ferè frequentius in veterum scriptis & literatis Lapidibus. quare non malam spero me gratiam initurum ab antiquitatis amantibus, si complusculą hujus formulæ exempla huc congesserò, Latina pariter & Græca: nam utrumq; populum his verbis usum reperio. Tibulus lib. II. Eleg. IV.

Et bene, discedens dicet, placideq; quiescas,
Terraq; secura sit super ossa levis.

Propert. lib. I. Eleg. XVII.

Illa meum extremo clamasset pulvere nomen,
Vt mihi non ullo pondere terra foret.

Martialis libr. VI. Epig. LXIIX. de morte Eutychi pueri:

Quicquid id est, subitæ quæcunq; est causa rapinæ,
Sit precor & tellus mitis & unda tibi.

Idem

Idem libro v. Ep. XXXVI. ad Erotium:

Mollia nec rigidus cespes tegat ossa, nec illi
Terra gravis fueris, non fuit illa tibi.

Cui simile illud Meleagri:

Παμμῆτορ γῆ χαῖρε: σὺ τὸ πάρος ὀ βαρὺ εἰς σὲ
Λυσιγένην. κ' αὐτὴ νῦν ἐπέχοις ἀβαρὴς.

Et nota est solemnis illa Inscriptionum formula, SIT. TIBI. TERRA. LEVIS. quæ plerunque literis hisce initialibus *S. T. T. L.* solebat denotari. Suidas: Κόφη γῆ σοῦτον καλύπτοι. Euripides Alcestide; — κοφά σοι.

Χθὼν ἐπάνω πέσοι γυναι. Et tritam fuisse vulgi sermone hanc precationem, demonstrat Julianus Imperator Epistolà ad Hermogenem Ægypti præfectum: Εκείνῳ μὲν, inquiens, δὴ ἐπειδὰ μακαρίτης ἐγένετο, κόφη γῆ, καθάπερ λόγος. Huc pertinent antiqua Epigrammata Lapidibus incisa, cujusmodi est illud:

TE. TELLUS. SANCTOSQUE. PRECOR.
PRO CONIUGE. MANES.
VOS. ITE. PLACIDI. TU. LEVIS.
OSSA. TEGAS.

Item illud alterum:

NUNC. VOS. CONTESTOR. MANES.
QUIBUS. OSSA. RELINQUO.

TEL-

TELLUS. HUIC. TUMULO. NE. GRAVIS. ESSE. VELIS.

Et in quodam lapide Romano:

OPTO. SI. QUA. FIDES. REMANET. TELLURIS. AMICÆ.

SIT. TIBI. PERPETUO. TERRA. LEVIS. TUMULO.

Persius *levem cippum* dixit Satyr. I. Et Juvenalis:

—— *tenuem & sine pondere terram.* Satyr. VII. Hujus loci est lepidum Agathiæ cavillum in infantem matris utero immortuum:

Κούφη σοι τελέθοι γαστὴρ τέκος ἀντὶ κονίης,
Αὐτὴ γὰρ σε φέρει, καὶ χθονὸς οὐ χατέεις.

Jocum etiam hinc captavit Martialis libr. IX. in Epitaphio Philænis; cui ita terram levem precatur, ut tanto facilius ossa ejus à canibus possint erui.

Sit tibi terra levis, molliq; tegaris arenâ,
Ne tua non possint eruere ossa canes.

Cui planè geminum est illud Ammiani lib. II. Antholog. tit. εἰς πονηρὸς:

Εἴη σοι κατὰ γῆς κούφη κόνις οἰκτρὲ Νέαρχε,
Ὄφρα σε ῥηϊδίως ἐξερύσωσι κύνες.

Orta autem hæc formula à vulgari veterum superstitione, qua credebant, sepultos

tos adhuc incantionibus obnoxios, ideoque ne eæ nocerent, tumulo bene precabantur: Quemadmodum igitur amicis & caris suis terram levem optabant: ita contrà, quib. malè vellent, iis *terram gravem* imprecabantur, id est, ut sepulcrum illorum incantaretur, quò scilicet umbra pressa è tumulo evocari non posset. Plinius lib. II. Natural. hist. cap. LXIII. de terrâ: *Cujus numen ultimum jam multis imprecamur irati grave, tanquam nesciamus hanc esse solam, quæ nunquam irascatur homini.* Propertius lib. II. Eleg. XX.

Ossa tibi juro per matris & ossa parentis:
Si fallo, cinis, heu! sit mihi uterq; gravis.

Quod expressum videtur ex ultimo Epig. Callimachi:

Εἶχον ἀπὸ σμικρῶν ὀλίγον βίον, οὔτε τι δεινὸν
Ῥέζων, οὔτ' ἀδικῶν οὐδένα γᾶια φίλη.
Μίκκυλος. εἴτι πονηρὸν ἐπῄνεσα, μήτεσυ κούφη
Γίγνεο, μετ' ἄλλοι δαίμονες οἱ μ' ἔχετε.

Tibullus lib. I. Eleg.

Iam tua, qui Venerem docuisti vendere primus,
Quisquis es, infelix urgeat ossa lapis.

Alludit huc Martialis libr. XI. Epigr. in Colonum pessimè agrum colentem:

Heredes nolite brevem sepelire colonum:
Nam terra est illi quantulacunq; gravis.

Quod

Quod si igitur cui incantari contigisset, tum *Terra gravis* dicebatur. Quintilianus declam. x. de sepulcro violato: *Nunc barbaro carmine gravem terram totis noctibus pulsat, & impositum sibi sepulcrum quod non possit evolvere, quæ solebat ipsos discutere inferos, umbra miratur.* Iterum: *Queritur solito terram graviorem utique cum sentit venisse noctem, quando umbræ feliciores demittuntur ad matres.* De utroq; autem ritu & gravem & levem terram precandi mortuis elegantissimè Tertullianus de Testimonio animæ cap. IV. *Quid? quod ut sentienti maledicis, si cujus memoriam alicujus offensæ morsu facis, terram gravem imprecaris, & cineri penes inferos tormentum: æquè ex bona parte, cui gratiam debes, ossibus & cineri ejus refrigerium comprecaris & ut benè requiescat apud inferos cupis.*

Atque hæc postrema verba commodùm mihi in memoriam revocant etiam illam mortuis benè precandi formulam, *Ut benè* vel *placidè quiescerent*, aut *molliter jacerent.* Utitur hac Tibullus libr. II. Eleg. ult.

Sic benè sub tenerâ parva quiescat humo.

Taci-

Tacitus in vitâ Agricolæ: *Si quis piorum manibus locus, si, ut sapientibus placet, non cum corpore extinguuntur magnæ animæ, placidè quiescas.* Inscriptio Prænestina: OSSA. TIBI. BENE. QUIESCANT. Ovidius lib. I. Amor. Eleg. VIII.

—— sæpe rogabis
Vt meæ defunctæ molliter ossa cubent.

Idem. lib. III. Trist. Eleg. III.

At tibi, qui transis. ne sit grave, quisquis amasti,
Dicere: Nasonis molliter ossa cubent.

Et in Epistolâ Didûs ad Æneam:

Et senis Anchisæ molliter ossa cubent.

Virgilius Ecloga ult.

—— ô mihi tum quàm molliter ossa quiescant!

Idem libr. II. Æneid.

—— placidâ compositi in pace quiescant.

Non enim quietem tantùm: sed & pacem mortuis optabant sensu fere eodem. Valentinianus Novella de Sepulcris: *Pax sepultis* Et Valerius Probus has notas H. R. I. P. interpretatur: *Hic requiescit in pace.*

Sed ut tandem caput hoc absolvamus, Vale jam mortuis dicto, & ut placide quiescant, vel terram levem experiantur optato, domuitionem quisque parabat: in qua tamen

tamen *hoc* solemne usurpatum invenio, ut *ignem* supergrederentur aquâ corpus asperſi. Festus: *Funus prosequuti redeuntes ignem supergrediebantur aquâ asperſi, quod purgationis genus suffitionem vocabant.*

Cap. X.

De Sepulcris. Etymon Sepulcri, itemq; Synonyma. Monumentum. Memoria. Conditivum *vel* Conditorium. Requietorium. Sedes. Domus. Stabula cadaverum. Thesaurus orcinus. Tumulus. Sarcophagus. *Sepulcri appellatio ad os vel ventrem translata.*

Quibus ceremoniis mortuus vel reliquiæ monumento inferri solerent, vidimus: reliquum est, ut jam ad Sepulcra ipsa accedamus, & *Qui* illa exstruere solerent, ac *Quibus*: tum *Cujusmodi* fuerint & quæ *sepulcrorum Religio*, quantum potest, considerēmus, ac chartæ huic breviter illinamus: quæ quidem si non satis accurata & ad unguem elaborata fuerint, at grata tamen fore arbitror iis, qui antiquitatis studio tenentur, non minùs, quàm clarorum virorum sepulcra esse solent peregrinantibus: quos mirum in modum ejusmodi monumentis, quæ regum & magnorum hominum cineres ac ossa contegunt, delectari,

ctari, præter quotidianam experientiam etiam Strabo monet libr. 11. Geograph. περὶ πολλῶν γὰρ ἐστι πόλεων οὕτ', ὅπερ εἶπε Δημοσθένης ἐπὶ τῶν περὶ Ὀλύνθου, ἃς οὕτω ἠφανίσθαι φησὶν, ὡς τ' εἰ μηδὲ πώποτε ὠκίσθησαν γνῶναι ἄν τινα ἐπελθόντα. Ἀλλ' ὁμῶς καὶ εἰς τούτους τοὺς τόπους καὶ εἰς ἄλλους ἀφικνοῦνται ἄσμενοι, τὰ ἴχνη ποθοῦντες ἰδεῖν τῶν οὕτω διωνομασμένων ἔργων, καθάπερ καὶ τοὺς τάφους τῶν ἐνδόξων ἀνδρῶν. Id est, *Hoc enim de multis urbibus licet pronunciare, quod de Olyntho & vicinis dixit Demosthenes: quas ita ait deletas esse, ut si quis nunc ad ea loca perveniat, is dubitare possit, unquamne ibi fuerit habitatum. Veruntamen in hujusmodi loca libenter homines proficiscuntur, ipsa vestigia tam nobilium operum cupientes videre, sicut & sepulcra inclutorum virorum.* Exemplo sunt C. Julius Cæsar & Octav. Augustus, quos Alexandri Magni sepulcrum inspexisse, historici memoriæ prodiderunt. De Jul. Cæsare Lucanus libr. x.

Effossum tumulis cupidè descendit in antrum.
Illic Pellæi proles vesana Philippi
Felix prædo jacet terrarum, vindice fato
Raptus: sacratis totum spargenda per orbem
Membra viri posuêre adytis, Fortuna pepercit
Manibus, &c.

De Augusto autem Dio libr. LI. καὶ μὴν ταῦτα

τὸ μὲν τοῦ Ἀλεξάνδρου σῶμα εἶδε καὶ αὐτοῦ καὶ προσθήψατο, ὥς τε τὶ τῆς ῥινὸς, ὡς φασὶ θραυσθῆναι. hoc est, *Deinde corpus Alexandri inspexit, idq; attrectavit, ita ut nasi quoq; (ita enim fertur) particulam aliquam fregerit.* Eodem desiderio Ciceronem quoque Archimedis sepulcrum septum undiq; & vestitum vepribus & dumetis indagasse, & Syracusanis, qui id esse omnino negabant, primùm monstrasse legimus libr. v. Tuscul. quæst.

Sed quo dilabor? in viam redeamus, initio facto à re minutissima. hoc est, à Sepulcri Etymologiâ: in qua se mirè torquet Terentii interpres Andria primore, ubi quærit, utrum dicatur *Sepulcrum* κατ' ἀντίφρασιν, *quod sine re pulcra sit? an quod ibi sine pulsu sint, id est, mortui? an quod illic animæ à vivis sepeliantur, id est, separentur?* Tandem autem à *sepeliendo* dici asseverat, quod est humare vel humo condere. Rectè hoc: omnino enim à supino *Sepultum*, fit Sepulcrum, mutata TinC, & inserta R, quemadmodum ab Ambulatum fit Ambulacrum: à Fultum, Fulcrum: ab involutum, Involucrum: à Lavatum, Lavacrum: à Simulatum, Simulacrum. Ex quo patet,

tet, cur sine aspiratione vox hæc scribenda sit, reclamantibus nonnullis Lapidibus & ipso Agellio libr. II. Noct. Attic. cap. III. Disertè etiam Servius in III. Georg. *Tria*, inquit, *veteres habebant nomina, in quibus C. literam sequeretur adspiratio, Sepulchrum, Orchus, Pulcher: è quibus Pulcher tantùm hodie recipit adspirationem.* Unde tamen dissentit Carisius lib. I. *Pulchrum*, inquiens, *Varro adspirari debere negat: ne duabus consonantibus media intercedat adspiratio: quod minimè rectum antiquis videbatur. unde & Sepulchrum hodieq; manet, quod sit seorsum à pulchro propter recordationem doloris.* Verùm de his minutiis & quisquiliis ἀκαιρολόγοι viderint: Nos alias sepulcrorum appellationes persequemur.

Ac generaliter quidem *Monumenta* vel *Memoriæ*, Græcis μνημεῖα & μνήματα dicuntur. De Monumentis Festus: *Monumentum est, quod mortui causa ædificatum est: & quicquid ob memoriam alicujus factum est, ut fana, porticus, scripta & carmina.* Magis signatè Florentinus Jurisconsultus lib. VII. Instit. *Monumentum generaliter*, ait, *res est memoriæ causa in posterum prodita, in qua si cor-*

pus vel reliquiæ inferãtur, fiet Sepulcrum, &c. Cicer. Epist. ad Cæsar. *Sed ego, quæ monumenti ratio sit, nomine ipso admoneor: ad memoriam magis spectare debet posteritatis, quàm ad præsentis temporis gratiam.* A memoria igitur vel à monendo Monumentum dicitur: velut D. Hadrianus sensit, à muniendo, quod muniendi causa fiat, de quo etymo paulò post.

Dixi Memoriæ quoque nomen sepulcris inditum. Nam etsi quidem Cicero ait libr. II. de Invent. *Memoria est, per quam repetit animus ea, quæ fuerunt:* tamen etiam externa illa adminicula, quæ hanc juvant & excitant, figuratâ locutione interdum Memoriæ dictæ. Vetus Inscriptio: Servilius. Troilus. Se. Vivo. Comparavit. Memoriam. Sibi. Et. Suis. Item. Comparaverunt. Sibi. Memorias. Duas. Unde est in Passione Afræ & sociarum: *Et venit nocte cum sacerdotibus Dei & tulit corpus ejus, & posuit secundo milliario de civitate Augusta in memoriam, quam sibi suisq; construxerat.* De utraque voce eleganter Augustinus de cura pro mortuis cap. IV. *Non ob aliud*

vel

vel Memoriæ vel Monumenta dicun'tur, ea quæ insignita fiunt Sepulcra mortuorum, nisi quia eos, qui viventium oculis morte subtracti sunt, ne oblivione etiam cordibus subtrahantur, in memoriam revocant & admonendo faciunt cogitari: Nam & Memoriæ nomen id apertissimè ostendit, & Monumentum eo quòd moneat mentem, id est, admoneat, nuncupatur. Propter quod & Græci μνημεῖον *vocant, quod nos monumentum seu memoriam appellamus, quoniam lingua eorum, memoria ipsa, quâ meminimus,* μνήμη *dicitur.* His adde, si placet, Isidorum lib. XV. Orig. cap. XI.

Appellantur & *Conditiva* vel *Conditoria*. Seneca Epist. LX. *Qui verò latitant & torpent, sic in domo sunt, quasi in conditivo.* Plinius lib. VII. cap. XVI. de proceritissimæ staturæ hominibus sub Augusto, *quorum corpora ejus miraculi causa in conditorio Salustianorum asservabantur hortorum.* Petronius de Matrona Ephesina loquens: *In conditorium etiam prosequuta est defunctum.* Eadem ferè phrasi & Tertull. de Resurr. carnis cap, XLIV. cor nostrum *divini thesauri conditorium* vocat.

Invenio & *Requietorium* dici in veteri

Inscriptione: P. Scantius. Philetus. Fecit. Sibi. Et. Scantiæ. Nice. Lib. Requietorium. Et in alia: Requietorium. Amici. Bene. Facere. Semper. Studiosus. Fui. Cui voci respondet illud Lycophronis ἐυναστήριον. Nam in sepulcris quiescere corpora existimantur: unde Cicero ex veteri quodam Poëta libr. I. Tuscul. quæst.

Neq; sepulcrum, quod recipiat, habeat portum corporis:
Vbi remissâ vitâ corpus requiescat à malis.

Hinc Cassiodorus libr. VI. Epist. IIX. *Defunctorum sacram quietem* dicit.

Aliter etiam *Sedes* vocantur. Virg. VI. Æneid.

—— *quàm sedibus ossa quierunt.*

Am. Marcellinus lib. XXII. *Id metuens ne collectis supremis sedes illis extruerentur, ut reliquis.* Vetus inscriptio: Hanc. Sedem. Sibi. Vivi. Posuerunt. Sic *Apostolorum sedem* invenies L. penult. c. de Sepul. viol. Utitur & Sidonius lib. II. Epist. IIX. & Lex. XL. D. De Relig. & sumpt.

Eadem significatione & *Domus* appellantur. Tibullus lib. III. Eleg. II.

At á, in marmoreâ ponere sicca domo.

Hinc *Domus æterna* in aliquot Inscriptonibus.

Eadem

Eadem metaphora Tertullianus *stabula cadaverum* dixit de Resurrect. carnis cap. XXXVII. *Nemo jam poterit aliud mortuos interpretari, qui sunt in monumentis, nisi corpora & carnem, quia nec ipsa monumenta aliud, quàm cadaverum stabula.*

Et eleganter Nævius Poëta *Thesaurum orcivum* vocat apud Agell. lib. I. cap. XXIV. ad quem locum vide Scaligeri Notas ad Fest. in voce *Favissas.*

Mitto jam *Tumuli* vocem vel pueris septuennibus notam in hoc significatu. Cicero lib. III. Tusc. quæst. ex Homero:

Quo magis est æquum tumulo mandare peremptos.

Valer. Maximus de Mausoleo ab Artemisia extructo libr. IV. cap. VI. *Quid de illo inclito tumulo loquare.* Et alia sexcenta.

Non inconcinnè quoq; *Sarcophagi* appellationem huc traduxit antiquitas. Juvenal. Satyr. X. *Sarcophago contentus erit.* Epigramma Antiq. urbis:

Me nunc torquet amor, tibi tristis cura recessit,
Lethaoq; jaces condita sarcophago.

Et in Epistola Liberti ad Ælium Severum: *Rogo Domine permittas mihi in eodem loco in mormoreo Sarcophago ea corpora colligere.*

Item L. Libertis. D. De Alimentis legat. Et passim alibi.

Originem autem & causam hujus translationis ex Plinio discimus, qui lib. xxxvi. c. xvii. *In Asso Troadis*, ait, *sarcophagus lapis fissili vena scinditur. Corpora defunctorum condita ab eo absumi constat intra* x l. *diem, exemptis dentibus.* A quo habet Isidorus libr. xvi. Orig. cap. iv.

Atq; his potissimum nominibus veteres Sepulcra denotasse, memoria mihi jam suggerit: plura fortean inveniet, qui veterum scripta diligenter versat. Unum addo, quod & doctissimum Joan. Meursium annotasse video, Sepulcri vel πῶμ τάφε vocem pro ore vel ventre interdum à bonis autoribus usurpari. Artemidorus lib. i. cap. lxxxii. Τὸ μὲν αἰδοῖον πυγὴν ἔοικε, πολλὲ σῶμα τάφῳ. ὅσα γὰρ ἂν λάβοι σῶμα ἀμφθείρει, καὶ ἡ φυλακή. Regius vates Psalm. v. Τάφος ἀνεῳγμένος ὁ λάρυγξ αὐτῶν. Ad quem locum alludsum ab Optato Afro libr. ii. adverss. Parmen. *Unde furori vestro tanta fames innata est, ut guttura vestra sepulcra patentia feceritis? Unicuiq; sepulcro sufficit unum funus & clauditur. Gutturi vestro honorum fune-*

funera minimè sufficiunt, & adhuc patet, dum aliquos quæritis devorare. Sed etiam pro Ventre accipitur tam bestiarum quàm hominum. Lycophron in Cassandra: v. 413.

Πολλῶν γὰρ ἐν σπλάγχνοισι τυμβευτήσεται
Βροθεὶς πολυστίχοισι καμπέων γνάθοις
Νήριθμος ἑσμὸς. h. e. interp. Scaligero:
Nam plurimarum ventre funerabitur
Serratidentum fauce camparum abditum
Examen ingens.

Idem vers. 1202.

Τύμβος γεγὼς κένταυρος ὠμώφρων σπορᾶς.

Ovidius libr. VI. Metamorph. de Tereo, qui Ityn filium comederat, huc allusit:

Flet modò seq; vocat bustum miserabile nati.

Valer. Maxim. libr. IV. cap. VI. de Artemisia: *Quid enim aut eos colligas, aut de illo inclyto tumulo loquare, cum ipsa Mausoli vivum ac spirans sepulcrum fieri concupierit, eorum testimonio, qui eam extincti ossa potione aspersa bibisse tradunt.* Quintilianus Declam. VII. *Æstuant adhuc intra pectus sepulcra ventribus nostris cognata viscera.* Mar. Anton. l. IV. τῶν εἰς ἑαυτὴν: χρὴ δὲ, inquit, μὴ μόνον ἐνθυμεῖσθαι τὸ πλῆθος τῶν θαπτομένων οὕτωσι σωμάτων, ἀλλὰ καὶ τῆς ἑκάστης ἡμέρας ἐσθιομένων ζώων, ὑφ' ἡμῶν τε καὶ τῶν ἄλλων ζώων. ὅσος γὰρ ἀριθμὸς καταναλίσκεται καὶ

οὕτωσί πως θάπτεται ἐν τοῖς τῶν τρεφομένων σώμασι.
Apulejus libr. v. Metamorph. *At hic jam tua existimatio, utrum sororibus pro tua curâ sollicitis assentiri velis & declinata morte nobiscum secura periculi vivere, an sævissimæ bestiæ sepeliri visceribus.* Huc pertinet & illud, quod Vultures τάφοι ἔμψυχοι dicti sunt. Unde Hermogenes libro περὶ ἰδέων. cap. περὶ σεμνότητος: πρᾶ δὲ τοῖς ὑποξύλοις τουτοισὶ σοφισταῖς, inquit, πάμπολλα εὕροις ἄ: τάφους τε γὰρ ἐμψύχους τοὺς γῦπας λέγουσιν, ὥνπερ εἰσὶ μάλιστα ἄξιοι. Ennius de Metio Suffetio quadrigis distracto:

Vulturis in sylvis miserum mandebat homonem:
Heu quàm crudeli condebat membra sepulcro.

Cassiodorus lib. II. Epist. XIX. *Fiat ergo pastus pij vulturis, qui necem potuit crudeliter desiderare pastoris. Tali potius sepulchro recipiatur, qui dominum reddidit insepultum.* Quemadmodum igitur Venter & Os Sepulcrum appellantur: ita reciprocè Saturnus devorasse filios dictus est, quos extulerat, sepelieratq;. Lactantius lib. I. cap. XIII. *Sed fictum sanè putemus Saturnum filios devorasse, modò cum aliqua ratione. num idcirco, quod ait vulgus comedisse filios suos eum, qui extulerit sepulturæq; mandaverit?*

CAP.

CAPUT XI.

Sepulcra quique sibi ipse solebat extruere: vel etiam Heredes ultrò. Formula Inscriptionum, Vivus fecit. Se vivo fecit. De suo. De sua pecunia. *Sepulcrum D. Hadriani, hodie* Castellum S. Angeli.

SEd hæc ὡς ἐν παρόδῳ dicta sunt: jam *Quæ Sepulcra* extruxerint videamus. Solebant autem ea Vivi plerumque ipsimet sibi facere, partim ut haberent certum hospitium, ubi corpus requiesceret, cum primùm mortualis hora adveniisset: partim, ut eo ipso nominis sui memoriam ab oblivione vindicarent. Xiphilinus in vita Trajani: Καὶ ἔστησεν ἐν τῇ ἀγορᾷ κίονα μέγιστον, ἅμα μὲν εἰς ταφὴν ἑαυτῷ, ἅμα δὲ εἰς ἐπίδειξιν τῶν κατὰ τὴν ἀγορὰν ἔργων. *In foro suo columnam maximam collocavit partim sepeliendi sui causa, partim ut opus, quod ipse fecerat, circa forum, posteris ostenderet.* Seneca de brevitate vitæ circa finem: *Quidam verò disponunt etiam illa, quæ ultra vitam sunt, moles magnas sepulcrorum & operum publicorum dedicationes.* Tertullianus de testimonio animæ cap. IV. *Quis non hodie memoriæ post mortem frequentandæ ita studet, ut vel literaturæ operibus vel simplici laude*

laude morum, vel ipsorum sepulcrorum ambitione nomen suum servet? Sic Augustus Cæsar vivus sibi Mausoleum condidit, de quo Suetonius in ejus vitâ, cap. c. *Id opus inter Flaminiam viam ripamq; Tiberis sexto suo consulatu extruxerat.* De Hadriano, qui juxta Tiberim sibi monumentum fieri curaverat, iterum Xiphilinus in ejus vitâ: Ἐτάφη δὲ πρὸς αὐτῷ τῷ ποταμῷ πρὸς τῇ γεφύρᾳ τῇ Αἰλίᾳ. ἐνταῦθα γὰρ τὸ μνῆμα κατεσκευάσατο. τὸ γὰρ Αὐγούστου ἐπεπλήρωτο, καὶ οὐκέτι οὐδεὶς ἐν αὐτῷ ἐτέθη. *Sepultus est ad flumen juxta pontem Ælium, ubi monumentum fecerat. Nam Augusti Mausoleum plenum erat, in quo nemo amplius sepultus est.* Vide & Spartianum in vita Hadriani & Procopium de bello Gothico: qui id extra portam Aureliam ad lapidis jactum à mœnibus abfuisse tradit: hodie mœnibus ineluſum à militibus commodè habitatur, & præsidium est summorum Pontificum, qui in illud per porticus ac meatus ex palatio Vaticano commeare tutò possunt, & vulgò *Castellum S. Angeli* appellatur. Pertinet huc elegans Inscriptio, quæ extat in Epigr. antiq. urbis in Regione Arenulæ:

L. VA-

L. VALERIVS. ZABDÆ. MERCATORI. VENALITIARIO.

SEV. STVPOR. HVIC. STVDIO. SIVE. EST.
INSANIA. NOMEN.
OMNIS. AB. HAC. CVRA. CVRA.
LEVATA. MEA. EST.
MONVMENTVM. APSOLVI. HOC. IMPENSA. MEA.
AMICA. TELLVS. VT. DET. HOSPITIVM.
OSSIBVS.
QVOD. OMNES. ROGANT. SED. FELICES. IMPETRANT.
NAM. QVID. EGREGIVM. QVIDVE.
CVPIENDVM. EST. MAGIS.
QVAM. VBI. LVCEM. LIBERTATIS.
ACCEPERIS.
LAPSVM. SENECTÆ. SPIRITVM. IBI.
DEPONERE?
QVOD. INNOCENTIÆ. SIGNVM. EST.
MAXIMVM.

His simile est Epigramma, quod extat lib. III. Anthol. tit. VI.

Τλὼ σορὸν, ἰὼ ἐσορᾷς ζῶν Μάξιμος αὐτὸς ἑαυτῷ
Θῆκεν, ὅπως ναίῃ παυσάμενος βιότου.

Hinc illa in antiquis Inscriptionib. crebra verba: V. F. id est, *Vivus fecit.* vel V. F. C. id est, *Vivus faciundum curavit.* vel V. H. S. F. M.

S. F. M. id est, *Vivus hoc sibi fecit monumentum.* Et illa apud Val. Probum: V. S. P. & V. S. L. M. Quæ sic interpretatur: *Vivus sibi locum monumenti.* In quibusdam invenitur, Se Vivo Fecit. Quod genus loquendi etiam apud Apuleium invenire est lib. xi. Metamorph. *Ad instar Solis me exornato errabam*, pro, *Ego exornatus.* Exemplis res fiet clarior.

Romæ in ædib. Atilij Delphinij:

D. M.
L. Aius. Anicetus.
Fecit. Sibi. Et. Iuliæ.
Primigeniæ. Con-
iugi. Carissimæ.
Hic. Cum. Esset. Annorum
Lxv. Hoc. Sepulcrum. Vivos. Comparavit.

Nuceriæ:

Allia. Quieta.
Viva. Fec. Sibi. Et
L. Averelio. Fortunato
Coniugi.

Reate

Reate in ædib. Petri Silverii

C. IULIO. C.F. LONGINO
DOMO. BOLDINIA
PHILIPPUS. MACEDONIA
VETERANUS. LEG. VIII. AUG.
DEDUCTUS. AB. DIVO. AUGUSTO
VESPASIANO. QUIRIN. REATE
SE. VIVO. FECIT. SIBI
ET IULIÆ. C. L. ELPIDII. CONIUGI SUÆ &c.

Cum igitur adhuc in vivis essent, ipsimet sibi solebant monumenta extruere & ita præsumere officia heredum, quos negligentiùs interdum circa hanc rem versari videbant. Unde etiam queritur Plinius libr. VI. Epist. x. Virginii Rufi sepulcrum, post decimum à morte ejus annum necdum absolutum esse: *Libuit etiam monumentum ejus videre & vidisse pœnituit. Est enim adhuc imperfectum nec difficultas operis in causa modici ac potius exigui; sed inertiâ ejus cui cura mandata est. Subit indignatio cum miseratione, post decimum mortis annum, reliquias neglectumque cinerem, sine titulo, sine nomine jacere, cujus memoria orbem terrarum gloria pervagaretur.* Et statim:

Tam

Tam rara in amicitia fides, tam parata oblivio mortuorum, ut ipsi nobis debeamus et jam conditoria extruere, omnia heredum officia præsumere. Quæ verba mihi in memoriam revocant Inscriptionem Novam, quam & Neostadii in Austria & Uratislaviæ me legere memini in Epitaphio duorum Episcoporum:

Certa. Dies Nulli. Mors. Certa. Incerta. Sequentvm. Cvra. Locet. Tvmvlvm Qvi Sapit Ipse Sibi.

Quod si morte præventi sepulcrum absolvere non potuissent, heredes perficere solebant; Sueton. in August. xvii. de Antonio & Cleopatra. *Ambobus communem sepulturæ honorem tribuit ac tumulum ab ipsis inchoatum perfici jussit.* Et patet ex Inscriptione, quæ est in via Ostiensi quarto ab urbe lapide:

D. M.

M. Antonii. Anti. Lvpi. Pr. Patricii. Avgvris. Qvæst. Sodal. Titii. Trib. Mil.

Mil. Leg. II. Adiutr. Piæ. Fidel. XVIR. Stl. Iud. Præf. Fer. Lat. Cuius. Memoria. Per. Vim. Oppressa. In. Integrum. Secundum. Amplissimi. Ordinis. Consultum. Restituta. Est. Sepulcrum. Ab. Eo. Coeptum. Claudiæ. Regillæ. Uxori. Et Antiæ. Marcellinæ. Fil. Pietatis. Suæ. Erga. Eum. Testificandæ. Gratia. Et. Nominis. Eius. In. Perpetuum. Celebrandi. Perfecerunt. Atfines.

M. Valerius. Bradua. Mauricus. Pontif. Et Antonia. Vitellia.

Q. Fabius. Honoratus. T. Annæus. Placidus.

Nec verò inchoata solùm sepulcra heredes vel Liberti perficiebant: sed & interdum nova è solo defunctis suo sumptu propter illorum erga se merita ædificabant. Unde hæ in saxis antiquis formulæ: De. Suo. vel De. Sua. Pecunia. B. M. F. quarum pleni sunt omnes literati Lapides.

Romæ ad D. Agnetis;

D. M.

Agriae
Agathe
Postiensis. Thallus
Tutor. Sevir. Aug. Et
Agria. Thrynos. Heredes
De. Suo. Fecerunt
B. Et. Sibi. M.

Romæ in hortis Fabiani:

L. Cestius. Hilarus. Vixit. A. xxxv.
Appaiena. Amabilis. Et
Q. Minucius. Faustus
Posuerunt. De. Suo.

Romæ in domo Porciarum.

Venuleia. P. P. L. Philematium
Sibi. Et. Viro. Suo.
M. Porcio. M. L. Pollioni
Scr. Libr. Aed. Cur. Lict. Cur
De. Sua. Pecunia. Fecit.

Romæ trans Tiberim in Ædib. Aurelij Matthæi;

DIs. Manib.
M. Popilli
Apolloni

C. Lu-

C. LUCILIUS
SUCCESSUS
AMICUS. DE. SUO.

Cæsennæ in Burgo.

T. MANILIO. C.F. HOR. RUFO
SEXTILIAE. P.L. DATÆ. VXORI
SEXTILIAE. P.L. PRIMOGENIÆ.
ANNORUM. XIII.
DELICIUM EORUM
DATA
D.S.P.F.C.

CAPUT XII.

De Sepulcris ex Testamento factis. Heredes scripti sub conditione, ut Monumentum facerent. Item Legata relicta sub conditione eadem. Sumptus in Monum. testamento definiti: itemq; Modus. Vtrumq; tamen interdum alterius arbitrio permissum. Lex Antoninorum de sepulcris apud Iul. Capitolinum explicata.

EX dictis patet, interdum ultrò Heredes defunctis monumenta extruisse. Verùm idipsum etiam non raro testamentis facere jubebantur. unde Lex v. Cod. De Relig. & sumpt. funer. *Militis*, inquit, *voluntatem, quam circa monumentum sibi faciundum, testamentum expressit, & pater & mater ejus heredes negligere non debent.*

Et lege LXXXVI. D. De Acquir. vel amit. tend. hæredit. Papinianus refert, Filium, morientem codicillis ab herede suo petiisse, *ut sibi parentibusq; suis in possessione matris monumentum extrueret.* Vlpianus Leg. XVIII. De famil. erciſc. *Sed & cum monumentum jussit Testator fieri, familiæ erciſcundæ agent, ut fiat.* Et in vetuſtis Lapidibus hæc verba crebrò legimus: *Testamento. Fieri. Iussit. Heredes. Faciundum. Curaverunt.* quæ ſingularibus hiſce literis ſcribi ſolita, *T.F.I. H.F.C.* Val. Probus & Aldus Manucius monuerunt. Interdum tamen ita ſcribebant: *H.E.T.F.* hoc eſt, *Heredes. Ex. Testamento. Fecervnt.* vel breviùs: *Ex Testamento.* uti ex his Inſcriptionibus videre eſt.

Sæpini:

C. Centio. L. L. Firmo. Et
Centiæ. SP. F. Paulæ. Et
Centiæ. L. L. Quartæ
Hoc. Monumentum. Ex. Testamento Sibi. Fieri. Iussit.

Nepete

Nepete in Cathedrali Ecclesia:

HERENNIÆ. C. F. IUSTÆ.
M. APISTIUS. M. F. SABINUS. DUUMUIR
VEIOS. IV. VIR. NEPETE
UXORI. SANCTISSIMÆ
ET PIENTISSIMÆ. ET
DE. SE. OPTIME. MERITÆ
TESTAMENTO. FIERI
JUSSIT.

In Lapide Hispanensi:

Q. FULVIO. Q. F. OPPIA. AED. Q. F.
OPPIOLA TEST. PONI. IUS. C. APPIUS. SUPERSTES. CANINIUS. MONIANUS. H. P. C. hoc est. *Testamento poni jussit. C. Appius superstes heres ponendum curavit.*

Romæ propè ædes Card. Gambaræ:

D. M.
C. VALERIO. C. F.
CLA. CUPITO
CELETE. MIL. COH.
VI. PR. VII. AURELI
MIL. ANN. VI. VIX.
ANN. XXIV.

C. Quartius. Secun-
dus. Mil. Leg. XIII.
Gem. Fratri. B. M.
Et. Numisia. Sabi
Coniugi. B. M.
T. P. I. Hered. F. C.

Romæ in ædib. Matthæi Porcarij ad
D. Io. de Pineæ.

C. Livius. C. F.
Iustus
Novaria. Mil
cho. Iv. Pr.
C. Licini. Milit
Ann. XIX.
Vix. Ann. XXXVII.
H. S. E. T. F. I.

Veronæ

M. Tenatius. C. F. Niger
Sibi. Et
C. Tenatio. P. F. Patri
Domitiæ. C. F. Secundæ. Matri
C. Tenatio. C. F. Probo. Fratri
T. F. I.

Quid?

Quid? quod heredes quandoque scribebantur hac condicione, *ut monumentum facerent*. Alfenus L. 44. D. De hered. instit. *Paterfamilias*, inquit, *duos heredes instituerat: eos monumentum facere jusserat in diebus certis*. Ulpianus L. VI. D. De Condition. instit. *Si quis ita institutus sit: si monumentum post mortem testatoris in triduo proximo mortis ejus feciſſet*.

Interdum verò Legata relinquebantur iis, qui monumentum feciſſent: cujusmodi Legatum refert Javolenus Leg. XL. D. De condic. & demonst. *Deinde ita legaverat: Luciis, Publiis, Corneliis ad monumentum ædificandum mille heres meus dato*. Sic Ulpianus Leg. X. D. De rebus dubiis: *Si fuerit Legatum relictum ei, qui monumentum fecerit, & plures fecerint*. Vide etiam L. CXII. D. De condic. & demonstr. Ideo in antiquis Lapidib. ſcriptum: *Ex. CAVSA. LEGATI*. Romæ in Ædib. Caſp. Scapucii:

D. M.

M. LIBIO
MUCRONI

C. CAE-

C. Caecinna
Quintilianus
Amico
Bene. Merenti
Ex Causa Legati
Fecit.

Solebant etiam Testatores interdum sumptus, quos in monumentum suum fieri vellent, nominatim definire: cujus rei frequens mentio apud Jureconsultos. Paulus libro singulari ad L. Falcidiam. D. Lib. xxxv. leg. ii. *Marcellus*, inquit, *an funeris monumentiq; impensa, quantam testator fieri jussit, in ære alieno deduci debeat, respondit,* &c. Papinianus Leg. xxxi. D. De rebus gestis: *Libertos certam pecuniam accipere testator ad sumptum monumenti voluit.* Idem Leg. i. D. De hered. petit. *Si defuncto monumentum, condicionis implendæ gratia, bonæ fidei possessor fecerit: dici potest, quia voluntas defuncti vel in hoc servanda est, utique si probabilem modum faciendi monumenti sumptus vel quantum testator jusserit, non excedat,* &c. Sed clarius id ostendit Alfenus leg. ccii. D. De verb. signif. *Cum in testa-*

testamento scriptum esset, ut heres in funere aut in monumento duntaxat aureos centum consumeret: non licet minus consumere: si amplius vellet, licet: neque ob eam rem contra testamentum facere videtur. Et Scævola leg. xxii. D. De Legat. & Fideicom. iii. *Titius de monumẽto, quod sibi extrui volebat, ita cavit: Corpus meum uxori meæ volo tradi sepeliendum in fundo illo, & monumentum extrui ad quadringentos aureos.* Loquuntur idipsum etiam Inscriptiones.

Romæ in ædib. Atilii Delphinii:

Minucia. M. L. Hedone
Sacrorum
Vixit. Annis. xcvii.
Testamento. Fieri
Jussit. Ex. HS. IↃↃ. ↀ. CC.

Romæ ad D. Cæsarii prope Pontem Sixtum:

L. Tarquitio. L. F.
Ethrusco
Sulpitiano

Scribæ. Quæstorio.
Ex. Testamento
De. HS. XX.

Reate:

L. Casienus. A. F. Cla. Ex. Testamento. HS. (clɔ.) (clɔ.) Arbitratu. Pollæ. Runtiæ. L. F. Uxoris. L. Casieni. L. L. Erotis. L. Casieni. L. L. Hilarii.

Et alius Lapis:

C. Valerius. C. F. Quæ. Broccius. Sibi. C. Valerio. Ouf. Patri. Testamento. Fieri. Jussit. HS. (cIɔ.) Arbitratu. Valeriæ. C. F. Sororis. Et. M. Marci.

Ad hanc igitur summam, cuicuimodi illa fuerit, quam Testator præfinierat, Monumentum ab hæredibus erat exstruendum, ut patet ex Leg. ccii. De verb. signif.

Quod si tamen sumptus ille Testatoris facultates excederet, tum voluntatem ejus sequi heredes non fuisse coactos, monet

net Ulpianus L. XIV. De Religiosis, cujus verba supra adduximus. vide & L. V. Dig. De hered. petit. Et Leg. XXXVII. D. De Relig. & sumpt. funer.

Sæpe tamen factum, ut heredes pro suo erga defunctum amore & benevolentia, impensis à Testatore præscriptis DE SUO aliquid adjicerent; quod ex innumeris ferè Inscriptionibus videre est.

Romæ in ædib. Maffæjorum:

DIS MANIBUS.
Q. LOLLI. FELICIS. VIX. ANN. LIIX.
MENSES. III. DIES. XIIX.
LOLLIA. JONIS. FILIA. NATURALIS.
IDEM. LIBERTA. PATRI. OPTIM. ET
Q. LOLLIUS. FELIX. PATRONO
BENE. MERENTI
EX. TESTAMENTO. EIUS. HS. III. M. N.
ET. EX. SUO. AMPLIUS. ADIECTIS
HS. III. CCCC. M. N. FECERUNT. ET. SIBI
ET. SUIS. LIBERTIS. LIBERTABUSQUE
POSTERISQUE. EORUM

Romæ in hortis D. Petri ad vincula.

L. MARCIO. L.L. THEODORO. ET
FRATRI. EIUS. ET

MAR-

Martiæ. L. L. Philuminæ. Uxori
Ex. Testamento. HS. (CIↃ.) (CIↃ.)
Arbitrat.
Marcia. L. L. Philumenæ. Uxoris
Reliq. Pecuniam
De. Suo. Adiecit
Have. Tibi. Vale.

Non autem impensas solùm: sed & modum, ad quem sibi monumentum fieri cupiebant, Testatores in ultimis suis voluntatibus expressisse legimus. Alphenus D. De condic. & Demonstr. L. XXVII. *In testamento quidam scripserat, ut sibi monumẽtum ad exemplum ejus, quod in via Salaria esset Pub. Septimii Demetrii, fieret: nisi factum esset, heredes magna pecunia mulctare.*

Sæpissimè tamen & sumptus & modum heredis vel alterius arbitrio permittebant. unde Pomponius L. VI. D. De condic. & demostr. *Qui alicujus arbitratu monumentum facere jussus sit, si is cujus arbitrium est, non vivat, vel adesse non possit aut rei arbitrari nolit,* &c. Javolenus L. XL. D. eodem *Thermus minor, quorum arbitratu monumentum sibi fieri vellet, testamento scripserat.* Julianus L. XI. D. De condict. causa dicta:

dicta: *Si heres arbitratu liberti certa summa monumentum jussus facere, dederit Liberto pecuniam.* Inscriptio Romana in ædibus Norciarum:

DIS. MANIB. SACRUM
OFILLIA. PYTHUSÆ. TESTAMENTO. FIERI. JUSSIT. ARBITRATU. C. TALASI. APTI.

Et alia Inscriptio.

L. CALPURNI. RESTITUTI
EX. TESTAMENTO. FACTUM
ARBITR. HEREDUM
CALPURNIA. RESTITUTA.

Romæ ad Theatrum Marcelli:

L. APISIUS. C. F. SCAPTIA. CAPITOLINUS. EX. TESTAMENTO. FIERI. JUSSIT. MONUMEN. ARBITRATU. HEREDUM. SUORUM.
ET. SIBI. ET. SUIS.

Hinc Horatius lib. II. Satyr. V.

—— *sepulcrum*
Permissum arbitrio sine sordibus extrue.

Non autem Sepulcra solùm, sed & quicquid post mortem suam fieri volebant, arbitrio alterius permittere erant soli-

soliti, uti Epulum & hujusmodi quid; idem Horatius lib. II. Sat. III.

—— *atq; epulum arbitrio Arri.*

Vide Turneb. lib. XXIIX. Adverſ. cap. III.

Non prætereunda hîc Antoninorum Impp. Lex, quam ab aliis non rectè intellectam, nos hoc loco explicaturos ſupra promiſimus. Facit eius mentionem Capit. in vita Antonini his verbis: *Tanta peſtilentia fuit, ut vehiculis cadavera ſint exportata ſarraciſq;. Tunc autem Antonini leges ſepeliendi ſepulcrorumq; acerrimas ſanxerunt; quandoquidem caverunt, ut ſi quis vellet, fabricaret ſepulcrum: quod hodieq; ſervatur.* Ut eſt in libris vulgatis. Quàm lectionem videtur amplexus Claudius Guichardus, exiſtimans Antoninos voluiſſe, ne poſtillà heredes ad ſepulcrum faciendum ullis legibus cogerentur, neve fraudi ipſis eſſet neglecta in re teſtatoris voluntas. Id quod probat Reſcripto Alexandri Imp. quem diſertè caviſſe, *ne ob neglectam defuncti voluntatem circa faciendum monumentum bona fiſco deferantur*, teſtatur Lex v. Cod. De Relig. & ſumpt. funer. cum quâ planè conſentit Lex v. Cod. De his quib. ut indignis. Sed

ubi

ubi hîc severitas illa vel acrimonia qua leges Antoninorum præditas fuisse Capitolinus affirmat? Imò verò nihil iis esset humanius, nihil mitius, si hanc interpretationem admiserimus. In aliis editionibus reperi: *Ne uti quis vellet, fabricaret sepulcrum*, quasi hac lege immodici heredum sumptus circa sepulcra coërcerentur, quæ ad certum impensarum modum Antonini redegerint. Cetera cùm ea tempestate leges hæ latæ sint, quâ catervatim homines moriebantur, incuriam potius heredum castigare voluisse Imperatores, quàm luxum coërcere, verosimile est. Rectè igitur & meo quidem judicio, planè ἀσύχως locum hunc unius vocis adjectione integrandum censuit eruditissimus Casaubonus: *quandoquidem caverunt, ut si quis succedere vellet, fabricaret sepulcrum.* quemadmodum & in ejus nuperrimè editis ad Historiæ Augustæ scriptores Notis doctis Jupiter! & ingeniosis legimus: & ante biennium vir humanissimus ipsemet incorâm mihi significavit, cum Lutetiæ Parisiorum sententiam ejus super hoc difficili & obscuro Capitolini loco exquirerem. Unde jam

clarum

clarum est, quàm toto cœlo errent, qui abrogatum hac lege cremandi morem existimarunt: cujusmodi sensum hinc nullis fidiculis extorqueri posse, mecum fatebuntur omnes, qui rationem in capite, non in calcaneis gerunt.

Cap. XIII.

Sepulchra quibus extructa, & eorum discrimen. Sepulcra duùm generum: Singularia & Communia. Hæc iterum duplicia: Alia Hereditaria, quæ & Patria, Avita, Gentilia vel Gentilitia dicuntur: alia Familiaria. In monumentorum Inscriptionibus disertè cautum de personis, quæ vel inferri eò deberent, vel excludi.

SED *Quibus* sepulcra fieri solita, & quod illorum discrimen nunc dicam. Non enim omnia unus generis fuêre, nec unicuique in quodlibet inferendi jus. Hæc dum accuratius mecum considero, reperi duo fuisse antiquitus Sepulcrorum genera: Unum, quod quis sibi duntaxat vel etiam conjugi suæ fecerat; Alterum, quod sibi, familiæ posterisq; suis.

Primi generis Sepulcra nulli omnino heredum vel libertorum patebant. Ideoq; pœna plerunque vel etiam exsecratio districtè solita apponi, si quis eo inferretur.

ut vi-

ut videre est ex hac Inscriptione Hispaniensi:

L. SILO. SABINUS. BELLO. CONT. VIRIATUM. CONFOSS. MULTITUD. TELOR. AD. L. PLAUT. PRÆT. DELATUS. HUMERIS. MIL. HOC. SEPULCHR. E. PECUNIA. MEA. MIHI. FECI. IN. QUO. NEMINEM. VELIM. MECUM. NEC. SERVUM. NEC. LIBERUM. INFERRI. SI. SECUS. FIET. VELIM. OSSA. QUORUMCUNQ. SEPULCHR. MOVERI. SI. PATRIA. LIBERA. ERIT.

Item ex alia:

IN. H. S. LIBERT. SIVE. LIBER. INFERATUR. NEMO. SECUS. QUI. FECERIT. MITEM. ISIDEM. IRATAM. SENTIAT. ET. SUORUM. OSSA. ERUTA. ATQUE. DISPERSA. VIDEAT.

Quo nomine autem hujusmodi Sepulcra propriè appellata sint, velim doctiores investigent: me quidem id nescire, libens fateor. Requietoria, Loca, & Ossuaria, ac Cineraria huc non pertinent; *Singularia* fortean vel *Priva* non malè dixerim.

Alterius verò generis Sepulcra, *Communia* vocabantur, de quibus Cicero I. Officior. *Magnum est eadem habere monumenta majorum, ijsdem uti sacris, sepulcra habere communia.* Justinianus Imp. lib. II. Institut. tit. De rer. divisione: *In communem locum purum invito socio inferre non licet: in commune verò sepulcrum etiam invitis ceteris licet inferre.* Ausonius Epitaph. XXXVII.

Me sibi & uxori & gnatis commune sepulcrum
Constituit seras Carus ad exequias.

Inscriptio Hispanienſis:

VOS. FILII. IN. VIVENTEM. PARENTEM. PIENTISSIMI. IN. MORTUUM. PII. MAGIS. PATERNOS. CINERES. EX. HISPANIA. EXPORTATE. COMMUNIQUE. SEPULCRO. CONDITE. QUO. AVITIS. CINERIBUS. IMMIXTI. SACRO. GAUDEANT. ANNIVERSARIO. PARENTARI.

Erant autem Communia hæc sepulcra rursum duplicia: alia *Hereditaria*, alia *Familiaria*. sic enim à Jurisconsultis dispertita legimus.

HEREDITARIA, auctoribus Cajo & Ulpia-

Ulpiano, definimus, *quæ quis sibi heredibusque suis constituit, vel quæ paterfamilias jure hereditario acquisivit.* D. De Rel. & sumpt. funer. Alio nomine *Sepulcra majorum* vocantur. Quinctil. declamat. XI. *Miser ego nec ad cadaver accessi, non in sepulcra majorum meis manibus intuli, nec licuit super ipsa corpora proclamare: Non feci.* Eodem sensu etiam *Patria* dicuntur. Terentius in prolog. Eunuch.

Vnde in patrium monumentum pervenerit.

Virgil. libr. x. Æneid.

Istic nunc metuende jaces, non te optima mater
Condet humi, patrioq; onerabit membra sepulcro.

Item *Avita.* Ovidius lib. XIII. Metamorph.

Ac puto funeribus dotabere regia virgo,
Condeturq; tuum monumentis nomen avitis.

Ac lib. IV. Trist. Eleg. III.

Et cinis in tumulo positus jacuisset avito,
Tactaq; nascenti corpus haberet humus.

Item *Gentilia* vel *Gentilitia.* Vell. Paterculus lib. II. de Vari clade: *Caput ejus abscissum latumq; ad Maroboduum, & ab eo missum ad Cæsarem: gentilitij tamen tumuli sepultura honoratum est.* Sic Neronem *gentili Domitiorum monumento* conditum refert Suetonius in ejus vitâ cap. I. Hæc intellexit

Valerius Max. libr. IX. cap. De crudelitate. *Quàm porrò crudeliter se in Mario praetore gessit? quem per ora vulgi ad sepulcrum Lutatiæ gentis pertractum, non priùs vitâ privavit, quàm oculos infelicis erueret.* Et Solinus cap. v. *Quorum reliquiæ in conditorio Salustianorum videntur.* In hæc igitur Sepulcra Heredes inferendi jus habebant. Ulpianus dicto loco: *Sed in utroq;* (intellige tam eo, quod sibi heredibusq; suis quis constituit, quàm quod hereditario jure acquisit, uti rectissimè meo judicio interpretatus est, B. Brissonius lib. II. Select. Antiq. cap. XI v.) *heredibus quidem ceteris q; successoribus, qualescunq; essent, sepeliri licebat, & mortuum inferri, etiamsi ex minima parte heredes ex testamento vel ab intestato essent.* Nec heredes modò: sed & bonorum possessores, & ij, quibus libertatis conservandæ causa bona addicta fuerint. unde Ulpianus L. IV. D. De fidei comm. libert. *Is autem cui bona addicta sunt, bonorum possessori adsimulari debet: secundum hoc & jura sepulchrorum poterit habere.* Imò hoc amplius, ut Paulus ait L. XII. ad Senatumconsultum Trebellianum, etiam *restituta heredi-*

reditate jura sepulcrorum apud heredem remanent. Quin imò & apud eum, cui tanquam indigno hereditas ablata est: Ulpianus id docet L. xxxiii. D. De Relig. *Si quis fuit heres: deinde hereditas ablata sit ei quasi indigno, magis est ut penes eum jura sepulcrorum remaneant.* Liberis verò utriusque sexus idem jus erat, etiamsi hereditate sese abstinerent. Ulpianus dicto loco: *Liberis autem cujuscunq; sexus vel gradus, tam filijsfamilias, quàm emancipatis idem jus concessum erat, sive heredes existerent, sive sese abstinerent:* Excludebantur autem ab Hereditariis sepulcris Liberti. Idem Ulpianus: *Liberti verò nec sepeliri nec alios inferre poterant, nisi heredes extitissent patrono.* Hæc de Hereditariis:

FAMILIARIA verò Sepulcra erant, *quæ quis sibi familiæq; suæ constituit*, ut ait Cajus D. De Relig. In hæc cognatis, qui heredes non instituti, nullum inferendi jus fuit, ut videre est ex L. ii x. C. de Relig. *Jus Familiarium sepulcrorum ad affines, seu proximos cognatos non heredes constitutos minimè pertinet.* Illi verò qui in familia erant, licet heredes non essent, jus infe-

ferendi tamen habebant, quemadmodum & heredes extranei: Utrumq; patet ex L. XIII. C. de Relig. *Jus sepulcri tam Hereditarij quàm Familiaris ad extraneos etiam heredes: Familiaris autem ad familiam, etiamsi nullus ex ea heres sit, non etiam ad alium quenquam, qui heres non est, pertinere potest.* Videatur & L. IV. C. eod.

Ex his igitur facilè colligere possumus, Liberos etiam in Familiaria sepulcra jure inferri potuisse, etiamsi heredes non fuerint. Libertos enim in Patroni familiâ semper numeratos fuisse constat. Etsi autem, ut ex his apparet, manifesti ferè juris fuit, quibusnam in quælibet sepulcra inferendi jus fuerit: nihilominus tamen veteres controversiarum, quæ inde oriri possent, tollendarum causa, expressè solebant cavere de personis, quas vel inferri in suum monumentum, vel ab eo excludi malebant, ut patet ex duabus hisce inscriptio. antiq. clausulis:

Sibi. Et. Coniugi. Et. Liberis. Et. Libertis. Libertabusq. Posteris q. Eorum. Fecit.

Et

Et ex illâ alterâ:

Hoc. Monumentum. Heredes. Non Sequitur.

Vel aliter: Hoc. Monum. Heredes. Extraneos. Non. Sequitur.

Sæpissimè enim hæ duæ clausulæ conjunguntur, & rarò unam sine alterâ in antiquis Lapidibus invenias. Romæ in Hortis Carpens:

DIs. Manibus
M. Ulpius. Aug. Lib. Symphorus. Flaturarius. Auri. Et. Argenti. Monetar. Sibi. Et. Ulpiæ. Helpidi. Quæ. Et. Claudia. Lib. Et. Uxori. Suæ. Ulpiæ. Arsinoe. Filiæ. Et. Claudio.
Anthiociano. Filio.
Helpidis. Lib. Suæ. Fecit. Et. Libertis. Libertabusque. Uiriusque. Sexus. Qui. Ex. Familia. Mei. Erunt. Reliquiarum. Suarum. Condendarum. Causa. Et. Posterisque. Eorum. Qui. In. Nomine. Meo.
Permanserint
Ea. Condicione. Ne. Fiducient. Neve. Vendant. Neve. Alio. Quo. Gene-

Id. Sepulcrum. Sive. Monumentum. Est. Alienare. Vlli. Potestas. Sit.

H. M. H. N. S.

Et in via Flaminia, quæ ducit ad Pontem Mulvium:

DIs. Manib.
Sacr. Q. Cornelius. Herma. Et. Cassia. Lais. Fecerunt.
Sibi. Et. Suis. Lib. Libertabus. Posterisque. Eorum.
Hoc. Monumentum.
Exterum. Heredem. Non. Sequitur.

Interdum verò etiam ὀνομαστὶ κλήδων in Sepulcrorum cippis denotabant eos, & quibus inferendi jus largirentur, & quibus idipsum denegarent.

Primi generis testimonium est in veteri Inscriptione, quę est Capuæ ad D. Vincétii:

M. Pompeius. Apollonius. Sibi. Et
Pontiæ. Hilaræ. Uxori.
M. Pompeio. Felici. Lib. Q. Masurio Attico.

M. Pom-

M. POMPEIO. CELERI. LIB. Q. MASURIO FELICI
M. POMPEIO AUCTO LIB. PACTUMEIÆ CAMPANÆ
INFERRI. HOC. NON. LICET. NISI. QUORUM. NOMINA SCRIPTA SUNT ET. QUIBUS. CAVERO
M. POMPEIO. ITHACO. POMPEIÆ. URBANÆ. ITHACI. LIBERT.

Et Romæ infra Capitolium ad D. Mariæ in ara cœli:

C. TERENTIO. C. L. PAMPHILO SACRARIO. POST. ÆDEM. CASTORIS
CALPURNIÆ. D. L. SALVIÆ MARIAE. L. F. RUFÆ
C. TERENTIO. C. L. RUFIONI
TERENTIÆ. C. L. POLINI
C. TERENTIUS. C. L. EROS.
IEIS. OMNIBUS. QUI. SUPRA. SCRIPTI SUNT. ET SIBI FACIUNDUM CURAVIT.

Et alia Inscriptio:

M. VARINIUS. M. F. PHILIPPICUS. OR. DEC. Q. ANN. T. PETRONIÆ. RUFINÆ. ET. VARINIÆ. PHILIPPICÆ FILIÆ. SUÆ. SI. QUIS. IN. EA. ARCA. ALIUM. POSUERIT. Q. Q. SS. DABIT. COLONIÆ. NOSTRAE. POENAE. NOMINE.

Alterius verò generis testimonium habemus apud Suet. in Augusto c. CI. *Iulias filiam neptemq́, si quid his accidisset, vetuit sepulcro suo inferri.* Quod ipsum & Dio libro IV. his verbis: τὴν θυγατέρα καὶ θάψαι ἐν τῷ αὐτῷ μνημείῳ ἀπηγόρευσε. Huc pertinet Lex *vel quod* D. De Relig. *Exheredatis autem, nisi specialiter testator justo odio commotus eos vetuerit, humanitatis gratia tantum sepeliri licet.* Et in Romana Inscriptione hæc verba legimus: CONSECRAVNT. SIBI. ET. C. CÆCILIO. RVFINO. ET. C. CÆCILIO. MATERNO. ET. LIBERTIS. LIBERTABVSQVE. POSTERISQVE. EORVM. EXCEPTA. SECVNDINA. LIBERTA. IMPIA. ADVERSVS. CÆCILIVM. FELICEM. PATRONVM. SVVM. Et in Lege *Prætor ait*, D. De sepulc. viol. *Si quis in hereditarium sepulcrum inferat, quamvis heres, tamen potest sepulcri violati teneri, si fortè contra voluntatem Testatoris intulit. Licet enim cavere Testatori, Ne quis eo inferatur.*

Nec verò mortuos solùm à sepulcro suo arcebant; sed etiam vivos, si quos oderant,

rant, ut constat ex Isæi oratione de hereditate Astyphili: ὅτε ἀπεθνησκεν Εὐφυκράτης ὁ πατὴρ Ἀστυφίλου, ἐπέσκηψε τοῖς οἰκείοις μηδένα ποτὲ ἐᾶσειν ἐλθεῖν ἐπὶ Θουδίππου ἐπὶ τὸ μνῆμα τὸ ἑαυτοῦ. Et ex fragmento vetustæ Inscript. LIBERTIS. LIBERTABUSQ. POSTERISQ. EORUM. EXCEPTO. HERMETE. LIBERTO. QUEM. VETO. PROPTER. DELICTA. SUA. ADITUM. AMBITUM. VEL. ULLUM. ACCESSUM. HABEAT. IN. HOC. MONUMENTO.

CAP. XIV.

Sepulcra in certas quasdam partes dispertita. Area sepulcrorum communes. Ius inferendi impetratum ab aliis. πολυάνδριον. Amantes, itemq; Gemelli uno & eodem sepulcro conditi.

DE Communibus, hoc est, Hereditariis & Familiaribus sepulcris præcedenti capite satis multa diximus: quib. corollarii loco subnectimus, fuisse etiam quædam communia sepulcra, in quæ quidem pluribus inferri jus erat, sed non nisi in certam & peculiarem suam partem. Solebant enim veteres interdum monumenta in duas, tresve aut plures partes dispertire, & cuilibet domino suam assignare, ut videre est

est ex plurimis Inscriptionibus, quarum aliquas tantùm hic adponemus. Romæ trans Tyberim ad D. Servatoris.

Marcia. C. L.
Fecit. Sibi. Et. M
Marcio. Philox.
Patrono. Idem. Conjugi
Et. Marcio. Aristoni. Pil.
Posterisq;. Eorum. Hoc
Monument. In. Front. P. xv.
In. Agro. Pedes. xv. cujus
pars. Sinisterior. Introitus.

Curtia Filia
Fecit. Sibi. et
Calpurnio. Secundo.
Conjugi suo. Karis.
Calpurniæ. Anthidi
Vernæ. Karis. & Libertis
Libertab. Q. nost. Posterisq.
Eorum. Hoc. Monu. in. Front. P. x.
In. Agr. P. xv. cujus Pars dimid.
Dexter. Introit.

Alia Romæ ad D. Pauli:
D. M.
Q. Sosius. Felix. fecit

In.

In. hoc. Monimento.
partis. Dimidiæ
Quæ. sui. juris. est
Sibi. & Sosio. Zosimo
Liberto. suo. benemerito
Et. Marciæ. Tertiæ
Conjugi. suæ. &
Libertis. Libertabusq;
Posterisq; eorum.
H. M. H. Non. sequitur.

Romæ in ædibus Atilij Delphinij:

CVRTIA. C. L. PRIAPIS
Cui. pars. dimidia. hujus
Moniment. concessa. est. ab
C. Mæcenate. Helio. Sibi. &
P. Curtio. Sp. F. Col.
Maximo. Filio. &
T. Julio. Aug. L. Glyconj
Et suis POSTERISQVE eorum.

Ibidem in iisdem Ædibus:

CVRTIA. MV. L.
Europa

Ex testamento. HS. (CIↃ).
M. Popillius. M. L. Sotericus
Sibi. et. Libert. Libertab. Posterisq. ejus
Huius.

Hujus. Monumenti. sive. sepulcrum
est. pars. tertia. est.

D. Fidvstivs
D. L. Heraclida
Libertis libertabusq.
Suis. posterisq. eorum.
Hujus. Monumenti. sive sepulcrum.
est
Pars tertia. D. Fiduſti Heraclidæ.

Cominius. L. L. Diogenes. si-
bi. & Libert. Libertabus. Po- In F. P. XIX.
sterisq. Ejus. Hujus. Monu- In A. P. XVI.
menti. sive. Sepulcrum. est.
Pars. tertia. est.

Interdum verò etiam Areas ante monumentum communes habebant, etsi monumentum commune non esset.

Romæ in Hortis Carpens.

M. Cælius. Abascantius
Empto. loco. fecit. sibi. &
suis. posterisq. eorum
In. Fr. P. XII. In. Ag. P. XII.
Et. Aream. Ante. Monumentum
Communem. cum. Popilio. Euphenio
IIV. P. XII. In. Ag. P. XII.

Nec

Nec omittendum, quosdam si proprium sepulcrum non haberent, inferendi jus ab aliis petiisse: quod etiam à non planè sordidis & iniquis patronis facilè impetrabant. Cujus rei locupletissimum testimonium nobis suppeditat Epistola Ælii Cæsaris Romæ apud Card. Astellanum inventa, & in lapide incisa, quæ sic habet:

ÆLIVS. CAES.
Duobus. Lib. Sannarj.
Quintiliani salutem.
Cum. petieritis. à me
Ut. si. cuj. quid. vestrum
Humanitus. acciderit.
Is. in. locum. qui est. in
Fundo. Æschiniano. meo
Intrantibus. à via. parte
Leva. à. monumento. tes
taceo. per. longitudine
pedum. C. LXXV. Latitudin.
à maceria. introrsus
pedum. xxv. inferatur
Id. jus. concedere. me
hac. epistola. notum
Vobis. facio. Bene. valere
vos cupio.

Dare

Data xiii. K. Julias in Hortis
Statiliæ. Maximæ
Cejonio. Commodo. &
Civica Pompejano Coss.

Porrò etiam aliud Sepulcrorum Communium genus fuisse videtur, qualia vel peregrinis vel in bello cæsis struebantur: Eaque *Polyandria* dicta, vox ipsa indicat. Suidas: πολυάνδριον. μνῆμα. τάφος. τὸ θρυλλούμενον ᾠδὴ πολλοῖς ξενοτάφιον. Incertus Auctor apud ipsum: ὁδε χαιανὰς ἐξεχώρει τῆς πόλεως, καταλιπὼν τὸν πολυάνδριον καὶ πολυτελῆ τάφον, ἔπω πεθαμμένων τῶν ἐναγωνίστων. Ælianus: Θάψαντες ἢ σὺν νεκρὰς, εἰργάσαντο κοινὸν πολυάνδριον. Vetus Inscriptio:

Fortiss. Mil. V. Et. XIX.
Leg.
Quorum. Opera. Fortiter
Vetera. Castra. Defensa.
Sunt. Poliandrion.

Extat & apud Arnob. lib. vi. adversus gentes: *Infinitum est & immensum, quibus quiq; in fanis toto sint orbe describere, nec exactam desiderat curam, polyandria illa Varronis quibus templis contegantur, quasq; in se habeant superlati ponderis moles.*

Pene

Penè hîc prætereram non vulgarem veterum consuetudinem, qua diligenter cavebant, ut conjuges, amicos, & amasios, quos fide & amore inter se mutuô insigni fuisse constabat, post mortem uno eodemque sepulcro conderent. Apulejus libr. VIII. *Tunc properè familiares miseræ Charites acturatissimè corpus ablutum, unitâ sepulturâ ibidem marito perpetuam conjugem dedère.* Val. Maximus lib. IV. cap. VI. de M. Plautio, qui uxore Orestillâ funeratâ in gladium incubuit: *Quem amici, sicut erat, togatum & calceatum corpori conjugis junxerunt: ac deinde subjectis facibus, utrumque unâ cremarunt. Quorum ibi factum sepulcrum Tarenti etiamnum conspicitur, quod vocatur* ΤΩΝ ΦΙΛΟΥΝΤΩΝ. Ovidius lib. IV. fab. de Thisbe & Priamo:

His tamen amborum verbis estote rogati
O multum miseri, meus illiusq; parentes,
Vt quos certus amor, quos hora novissima junxit,
Componi tumulo non invideatis eodem.

Et mox:

Quodq; rogis superest, unâ requiescit in urnâ.

Jason apud Valerium Flaccum lib. V.

Quod tamen externis unum solamen in oris
Restat, ait, caræ humus hæc non dividet umbræ,

Ossaq; nec tumulo, nec separare conteget urnâ,
Sed simul ut junctis venistis in æquora fatis.

De Cratete ac Polemone Laertius in vita Cratetis: Καὶ οὕτως ἀλλήλω ὠφελείτην, ὥστε καὶ ζῶντα οὐ μόνον τῶν αὐτῶν ἥστην ἐπιτηδευμάτων, ἀλλὰ καὶ μέχρι σχεδὸν ἀναπνοῆς ἐξωμοιούσθην ἀλλήλοιν, καὶ θανόντε τῆς αὐτῆς ταφῆς ἐκοινώνειτην. hoc est. *Ita verò se mutuò juverunt, ut non modò viventes eadem studia sint secuti, verùm etiam ad ultimam ferè respirationem similes inter sese fuerint, & mortui eodem sepulcro sint conditi.* Sic Paris & Oenone idem sepulcrum habuerunt. Strabo libr. XIII. Τάφον τε γὰρ Αλεξάνδρου δείκυσθαί φησιν αὐτόθι καὶ Οἰνώνης, ἣν ἱστοροῦσι γυναῖκα γεγονέναι τοῦ Αλεξάνδρου, πρὶν Ελένην ἁρπάσαι. Et Gemellis hoc factum simul mortuis. Agathias in Epigram.

Εἷς δὺ ἀδελφοὺς ᾠδ' ἐπέχει τάφος. ἐν γὰρ ἐπέσχον ἦμαρ καὶ γενεὴς οἱ δύο καὶ θανάτου.

CAP. XV.

Sepulcra Cujusmodi fuerint. Mortui nonnulli in cavernis sepulti, vel fossis, quæ interdum lapidibus sternebantur. Alii in subterraneis ædificiis concameratis. Horum descriptio ex Marliano & Fabricio. Ianuæ sepulcrorum itemq; Janitores. *Mortui loculis conditi in sepulcra subterranea collocabantur.* Loculi, Capuli, Arca, Solium.

SED jam ordo mihi aurem vellit & admonet, ut *Cujusmodi* fuerint vererum

Sepul-

Sepulcra rudi Minerva delineemus. Quantum igitur ex veterum scriptis observare mihi licuit, reperio antiquissimis temporibus Singularia vel Priva sepulcra nihil aliud fuisse quàm scrobes in terrâ cavatos, quibus infodiebantur potiùs quàm sepeliebantur. Etymologici autor in voce Ἡρίαι: Τὸ παλαιὸν ἐν τοῖς κοιλώμασι τῆς γῆς ἔθαπτον μήτε σιδήρῳ μήτε χαλκῷ κεχορημένοι Posid. ῥωγάδα καὶ πέτρον appellat Epig. quodam in Phyromachum, apud Athenæum libr. x. δειπνοσοφ. Talia videntur fuisse Garamantum sepulcra de quib. Sil. Italicus lib. XIII.

Et qui reclusâ nudos Garamantes arenâ
Infodiunt. ——

Alii autem fossas hasce vel cavernas lapidibus sternebant: quale sepulcrum Nero mortem instare videns, fieri sibi jubebat, ut est apud Sueton. in ejus vita cap. XLIX. *Ut quàm primùm se impendentibus contumeliis eriperet, scrobem coràm sibi fieri imperavit, dimensus ad corporis sui modulum: componique simul, si qua inveniri rentur, frustra marmoris & aquam simul ac ligna conferri curando mox cadaveri.* Hieronymus in Epist. quadam ad Innocent:

parte 3. tractat. 7. Ep. 74. *Clerici, quibus id officij est, cruentum linteo cadaver obvolvunt, & fossam humum lapidib. construentes ex more tumulum parant.*

At verò communia Sepulcra erant plerunque Subterranea ædificia, arcuato opere extructa, pavimentis strata ac parietibus circumsepta, in quæ tanquam in cellas quasdam per gradus aliquot descendebatur, foribus conditorii clausis vel apertis, prout usus requirebat. Quæ ne sine autoritate dixisse videar, singula quibusdam testimoniis comprobabo. Ac primò quidem, Sepulcra fuisse ædificia subterranea, in quæ per gradus erat descendendum, clarissimè Petronius indicat de Matrona Ephesina: *In conditorium etiam prosequuta est defunctum, positumq; in hypogæo, Græco more, corpus custodire ac flere totis noctibus diebusque cœpit.* Et mox: *Descendit igitur in conditorium.* Phlegon Trallianus περὶ θαυμ. καὶ μακροβ. Ἀνοιχθείσης δὲ ὑφ' ἡμῶν τῆς καμάρας, εἰς ἣν πάντες οἱ οἰκεῖοι μεταλλάσσοντες ἐτίθεντο, ἐπὶ μὲν τῶν ἄλλων κλινῶν ἐφώνη τὰ σώματα κείμενα, &c. De concameratione & parietib. loquitur inscriptio Romana, qui visitur

in vi-

in vinea quadam ad viam Portuensem. C. CÆCILIUS. FELIX. ET. CÆCILIUS. VRBICUS. LOCUM. ITA. VTI. EST. CONCAMERATUM. PARIETIBUS. ET. PILIS. COMPREHENSIS. LONGUM. P. VI. LATUM. P. VIIS. CONSECRARUNT. SIBI. ET. C. CÆCILIO. RUFO &c.

Januas verò quod attinet, earum meminit idem Petronius in Satyrico, ubi dicit militem istum, qui cruciarios custodiebat, nuptias feciſſe cum matrona Epheſina, *præcluſis conditorij foribus: ut quisq; ex notis ignotisq; ad monumentum veniſſet, putaſſet expiraſſe ſuper corpus viri pudiciſſimam uxorem.* Fl. Vopiſcus in Tacito Imp. *Mortis omina hæc fuerunt. Patris ſepulcrum disruptis januis ſe aperuit.* Albinov. in Epiced.

Vix poſito Agrippa, tumuli bene janua clauſa eſt,
Perficit officium funeris ecce ſoror.

Am. Marcellinus libro XIV. *Et bibliothecis ſepulcrorum ritu in perpetuum clauſis.* Dio de monumento Cleopatræ libro LI. αἱ μὲν γὰρ θῆκαι αὐτῆς συγκλειθεῖσαι ἅπαξ ἐκέτ' ἀνοιχθῆναι ἐκ μηχανήματός τινος ἐδύναντο. *janua ejus ita erat parata, ut aperiri ſemel clauſa nequiret.* Xi-

philinus in Severo: Καὶ τὸ Ἀλεξάνδρου μνημεῖον συνέκλεισεν, ἵνα μηδεὶς ἔτι μήτε τὸ σῶμα τοῦτο ἴδῃ, μήτε τὰ ἐν ἐκείνοις γεγραμμένα ἀναλέξηται. *Clausit monumentum Alexandri, ne quisquam corpus ejus videret in posterum. neve ea, quæ in ipso scripta, legeret.* D. Matthæus in Euangelio cap. XXVII. Καὶ ἔθηκεν αὐτὸ (σῶμα Ἰησοῦ) ἐν τῷ καινῷ αὐτοῦ μνημείῳ, ὃ ἐλατόμησεν ἐν τῇ πέτρᾳ· καὶ προσκυλίσας λίθον μέγαν τῇ θύρᾳ τοῦ μνημείου, ἀπῆλθεν. Et cap. sequenti de Angelo, qui ἀπεκύλισε τὸν λίθον ἀπὸ τῆς θύρας.

Videtur autem apud Romanos peculiare genus hominum in familia Libitinariorum fuisse claudendis & aperiendis sepulcris destinatorum, qui *Ianitores sepulcrorum* dicti. Jul. Firmicus: lib. III. cap. II. *In tertio loco Mercurius cum Saturno ab horoscopo partiliter constitutus, pollinctores faciet ac funerarios mortuorum cadaverum custodes aut Sepulcrorum janitores.*

Sed non abs re fuerit, illorum quoque testimonia adducere, qui nostro seculo veterum istorum sepulcrorum quantumvis lacerorum αὐτόπται fuerunt. Marlianus libr. IV. Topograph. Urbis Romæ cap. XIX. de iis sic loquitur: In eodem Campo, Exquili-

quilinum intellige, plurima variaque sepulcra effodi vidimus variis exornata marmoribus. Quædam erant concamerata unica testudine, alia duplici concamerationе, ut ex superiori in inferius sepulcrum descensus esset. Erant & pavimenta tessellata vermiculataq; : in parietibus per ambitum loculi, in singulis urnis binæ : extra cameram sepulcri longitudinis latitudinisque inscriptio. Quædam verò sepulcra ex plurib. constabant parietibus parùm invicem distantibus : in quib. urnæ similiter binæ ferè contiguæ modicoq; intervallo : aliæ binæ & super his totidem : ita ut ex ordine decedentium urnæ additæ novo includerentur muro. Hæc pauperum, illa divitum sepulcra fuisse opinamur. Hactenus Marlianus. Quibus addenda, quæ Germaniæ lumen & ornamentum Georg. Fabricius scribit in sua Roma cap. XXI. Nos, ait, in agro viæ Appiæ in profundum sub terra fornicem descendimus plenum loculorum inter se dispositorum : ex ruina autem parietum verè cognosci ordo loculorum non potuit. Inter Puteolos & Atellam ad utraque viæ silicibus stratæ latera,

plurima sepulcrorum lustravimus monumenta: quorum ædificia partim quadrata sunt, partim rotunda. Inter cetera pulcherrimum est, quod Arcum cellæ nominant. Parietes ejus tetragoni cum laqueari vermiculato, in cujus medio Centauri imago puerum vehentis. Loculi ultra sexaginta, medii ampli, fortasse patronorum: laterales contracti, libertorum libertarumque. In loculis urnæ singulæ plurèsve dispositæ fuerunt, clausæ exteriùs tabellis marmoreis, in quibus nomina depositorum de more fuerunt adscripta. Et ut probet Græcorum ac Romanorum rationem condendarum urnarum non admodum diversam fuisse, ita statim subjungit: Testatur Cyriacus Anconitanus, cujus scriptas quasdam chartas evolvi, se Patris in Achaja ad ædem S. Andreæ antrum subterraneum ex integro solidoque lapide vidisse miro artificio fabricatum, in quod per gradus sedecim descensus fuerit, quodque sub una testudine ad tetragonos parietes habuerit loculos XIV. in quibus singulis binæ aut ternæ urnæ funerales fuerint locatæ. Hæc Fabricius.

Atque

Atque hujusmodi fuerunt sepulcra, in quibus nobilissimi illi Romuli nepotes, tanquam in domiciliis quibusdam habitabant: Sed ut ex dictis liquet, *Loculis* quibusdam vel *capulis* conditi. Sic enim generatim appellabant capsulas illas vel receptacula, quibus vel integra corpora, vel reliquiæ asservabantur.

De *Loculo* Plinius lib. VII. cap. II. ubi de Pyrrhi pollice in dextro pede loquitur, *quem cremari cum reliquo corpore non potuisse tradunt, conditumq; loculo in templo.* Idem lib. VII. cap. XVI. *Et ipsi vidimus in loculis asservatos.* Paulus Diaconus in Narsete: *Cujus corpus positum in locello plumbeo, cum omnibus ejusdem divitiis Constantinopolim est perlatum.*

Eodem significatu *Capulum* etiam accipit Nonius: *Capulum dicitur, quicquid aliquam rem intra se capit.* Apul. lib. IV. Metamorph. *Monumentum quoddam conspicamur procul à via remoto & abdito loco positum. Ibi capulos carie & vetustate semirectos, quis inhabitabant pulverei & jam cineroſi mortui.* Idem lib. X. *Ecce pater suus ipse manibus cooperculo capuli remoto commodùm*

discusso mortifero sopore surgentem postliminio mortis deprehendit filium. Alluſit huc Tertullianus De Resurrect. carnis cap. VII. *Deus verò animæ suæ umbram, spiritus sui auram, oris sui operam viliſsimo alicui commiserit capulo & indignè collocando utique damnaret.*

Speciatim verò ubi corpus integrum condebatur *Arca* dicta fuit. Petronius Satyrico: *Secundum hanc orationem jubet ex arca corpus mariti sui tolli, atque illi, quæ vacabat, cruci adfigi.* Vide Marcianum L. XXXIX. De Relig. & sumpt. ac Cajum L. VII. D. eodem: quorum hic disertè quidem sepulcrum ab arca distinguit; ille verò mobiles fuisse arcas istas non obscurè significat.

Sed & *Solium* hac significatione reperies apud Plinium lib. XXXV. cap. XII. *Quin & defunctos sese multi fictilibus soliis condi maluerunt.* Utitur & Florus lib. IV. de morte Cleopatræ. Vide Læv. Torrentium ad cap. L. Suetonii in Nerone.

Cap. XVI.

Sepulcrorum amplitudo Athenis prohibita: Romæ non item, ubi modo altiora modò humiliora pro conditione defun-

defuncti χῶμα χώννυσθαι. *Statuæ in sepulcris excitatæ, ac Columnæ: itemq; domunculæ* Pagæ *quid:*

SUbterranea igitur fuisse veterum sepulcra, ex dictis jam constat. Neque hoc satis. Nam interdum quoq; ita erant comparata, ut modò altiùs, modò humiliùs supra solum extarent.

Silentio enim hic præteriri non debet, amplitudinem & magnificentiam ædificandorum sepulcrorum Athenis quidem certis legibus fuisse inhibitam; Romæ verò non item. De Atheniensium lege Cicero II. Leg. *Sed pòst aliquantò propter has amplitudines sepulcrorum, quas in Ceramico videmus, lege sanctum est, ne quis sepulcrum faceret operosius, quàm quod decem homines effecerint triduo: neque id opere tectorio exornari, nec Hermas hos, quos vocant, licebat imponi, &c.* Quod neque Plato in sua Repub. neglexit, cujus de hac re lib. XII. νόμων talis lex est χῶμα δὲ μὴ χωννύναι ἢ ὑψηλότερον πέντε ἀνδρῶν ἔργον ἐν πενθ' ἡμέραις ἀποτελούμενον. Λίθινα δὲ ἐπιστήματα μὴ μείζω ποιεῖν, ἢ ὅσα δέχεσθαι τὰ τοῦ τετελευτηκότος ἐγκώμια βίου, μὴ πλείω τεττάρων ἡρωϊκῶν στίχων. hoc est, interprete Cicerone libr. II. Leg. *Extrui autem vetat sepulcrum altius,*

altius, quàm quod quinq; homines quinque diebus absolverint, nec è lapide excitari plus, nec imponi, quàm quod capiat laudem mortui incisam, ne plus quatuor herois versib. quos Logos appellat Ennius. Quo loci Cicero *Sepulcrum extruere* interpretatur illud Platonis χῶμα χώννυσθαι: qua Phrasi etiam Antipater usus lib. III. Antholog. tit. εἰς ἥρωας:

Ηρωος πριάμου βαιός τάφος, οὐχ ὅτι τοίου
Αξιος, ἀλλ' ἐχθρῶν χερσὶν ἐχωννύμεθα.

Parthenius. Erot. XXVI. Επεὶ δὲ ἔγνω παῖδα Τελαμῶνος ὄντα, πολλὰ κατοδυρόμενος ἐπὶ τῆς ἠιόνος μέγα χῶμα ἔχωσε. Eodem sensu Τάφον ὑψώσασθαι usurpat Alcæus lib. III. Antholog. εἰς ποιητὰς:

Λοκρίδος ἐν νέμεϊ σκιερῷ νέκυν Ησιόδοιο
Νύμφαι κρηνϊάδων λοῦσαν ἀπὸ σφετέρων
Καὶ τάφον ὑψώσαντο.

At verò apud Romanos nihil hujusmodi sancitum reperio: unde Javolenus Leg. IV. Dig. Lib. 8. tit 4. *Caveri, ut ad certam altitudinem monumentum ædificetur, non potest; quia id quod humani iuris esse desiit, servitutem non recipit: sicut nec illa quidem servitus consistere potest, ut certus numerus hominum in uno loco humetur.*

Hinc igitur pro cujusque arbitrio vel facul-

facultatib. vel pro affectu erga defunctum sepulcra modò altiora, modò humiliora statuebantur. Vopiscus in Probo: *Pugnavit & singulari certamine contra quendam Aradionem in Africa eundemq; prostravit: & quia fortissimum ac pertinacissimum virum viderat, sepulcro ingenti honoravit: quod adhuc extat tumulo usque ad ducentos pedes terræ lato per milites, quos otiosos esse nunquam est passus.* De Othonis Imp. sepulcro Tacitus lib. 2. hist. *Othoni sepulcrum exstructum est modicum & mansurum.* Plutarchus de eodé in ejus vita: Κρύψαντες δὲ τῇ γῇ τὰ λείψανα τοῦ Οθωνος, οὔτε μεγέθει σήματος, οὔτ' ἐπιγραφῆς ὀγκῷ τὸν τάφον ἐποίησαν ἐπίφθονον. εἶδον δὲ ἐν Βριξιλάῳ γενομένος καὶ μνῆμα μέτριον καὶ τὴν ἐπιγραφὴν οὕτω ἔχουσαν, εἰ μεταφρασθείη, δηλωσει: ΜΑΡΚΟΥ ΟΘΩΝΟΣ. Quam sepulcri tenuitatem Vitellius Imp. irrisisse scribitur: Nam, ut ait Suetonius cap. decimo. *Lapidem memoriæ Othonis inscriptum intuens, dignum eo Mausoleo ait:*

Porrò tyrannis humilia fuisse sepulcra statuta, legimus apud Trebell. Pollionem in Triginta Tyrannis, ubi de Victorino Juniore Sexto ait: *Extant deniq; sepulcra*

cra circa Agrippinam brevi marmore impressa, humilia. Et in Aureolo Decimo: *Hunc eundem Aureolum Claudius interfecto jam Gallieno conflictu habito apud eum pontem interemit, qui nunc pons Aureoli nuncupatur, atq; illic ut tyrannum sepulcro humiliore donavit.* Tacitus lib. 1. histor. de cæde Galbæ: *Galbæ corpus diu neglectum & licentia tenebrarum plurimis ludibriis vexatum, dispensator Argius, è prioribus servis, humili sepultura in privatis ejus hortis contexit.*

Ut autem operosiora essent sepulcra, etiam Statuas & ingentes columnas in iis excitatas legimus.

De Statuis testatur Vetus Inscriptio; LOCVM. SEPVLTVRÆ. ET. STATVAM. DECREVIT. ÆMILIA. LUCIA. MATER. Itemque alia: HIC. SEPULCRVM. CUM. STATVA. POSUIT. SECUNDO. A. CIVITATE. STADIO. Atque hic mos videri potest à Græcis manasse. Lycophron:

Ἀγάλματα πήλας τῶν Ἀμυκλαίων τέφων.

Pindarus od. x. Nemeonic. ἄγαλμα εἰδωλα appellat: erant enim hæ statuæ Diis Manibus

nibus sacræ, quorum summus Pluto. Itaque sepulcra, quæ statuas hujusmodi non habebant, *Pagæ* vocabantur teste Isidoro: *Pagæ, memoriæ sine Idolis.*

Columnas verò quod attinet, clarum ex Eutropii lib. IIX. de monumento Trojani: *Solus omnium Impp. intra urbem sepultus est, ossa ejus collocata in urnâ aureâ in foro, quod ædificavit sibi columna ibi posita, cujus altitudo CXL. pedes habet.* Ab Ægyptiis autem ortus mihi hic mos videtur, de quorum sepulcris Lucanus lib. 8.

Cum tibi sacrato Macedo servetur in antro,
Et regum cineres extructo monte quiescant,
Cum Ptolemæorum Manes, seriemq; pudendam
Pyramides claudant, indignaq; Mausolea.

Servius nescio ad quas gentes refert lib. XI. Æneid. *Apud majores*, inquit, *nobiles aut sub montib. altis, aut in ipsis montibus sepeliebantur. unde natum est, ut super cadavera aut Pyramides fierent, aut ingentes collocarentur columnæ.* Ad quem ritum respexit Virgilius dicto loco:

—— *fuit ingens monte sub alto*
Regis Dercenni terreno ex aggere bustum
Antiqui Laurentis, opacaq; ilice tectum.

Quin imò domunculas & ædificia monumen-

numétis ſuperponi ſolita diſertim indicat Lapis vetus: M. Aurelius. Romanus. Et. Antistia. Chresime. Uxor. Eius. Fecerunt. Sibi. Libertis. Suis. Posterisque. Eorum. Monumentum. Cum. Ædificio. Superposito. &c. Petronius in Satyrico: *Cum interim Imperator provinciæ latrones juſſit crucibus affigi ſecundum illam eandem caſulam, in qua recens cadaver matrona deflebat.*

Cap. XVII.

Sepulcra ſepiri ſolita. Sepimenta illa fuiſſe ex humili aliqua materia, vel ex ſilice, vel ex marmore, vel ex ferro. Monumenta ipſa alia Lapidea, alia Teſtacea, alia Marmorea. Νέκροκορίνθια.

SEd neq; hoc omittendum, Veteres plerunque monumenta ſua ſepire & circumvallare ſolitos: cujuſmodi ſepimentum Pauſanias libr. II. Eliacor. περιοικομιδὴν vocat & alibi τὴν κρηπῖδα. quemadmodum & Dio libr. LI. τὴν κρηπῖδα τοῦ Ἰουλιείου ἡρώου dixit. ubi malè *baſin* verti obſervat doctiſs. Caſaubonus: cum melius fuerit Græcanicam vocem retineri, ut apud Juvenalem & Marcellinum *Crepido pontis*. Nam κρηπὶς & βάσις

ſunt

sunt δὶς διὰ πασῶν. Intelligit has κρηπῖδας Macer Jurisconsultus L. XXXVII. D. De Relig. *monumentum sepulcri* definiens his verbis: *Monumentum autem sepulcri id esse D. Adrianus rescripsit, quod monumenti, id est, causa muniendi ejus loci factum sit, in quo corpus impositum sit.*

Fiebant autem septa hæc partim ex maceria aut humili aliqua materia: Unde Ulpianus L. *æde sacra* D. De contrahend. empt. *Intra maceriam sepulcrorum loca pura hortis vel cæteris culturis servata, si nihil nominatim venditor exceperit, ad emptorem pertinent.* Suetonius in Nerone cap. XXXIII. de morte Britannici: *Deniq; bustum consepiri nisi humili leviq; materia neglexit.*

Inscriptio vetus, quæ Paduæ:

INFERENDI. IN. AREA. HUMANDI SEPELIENDIQUE JUS POTESTASQUE ESTO. UT. HUIC. AREÆ. QUAM. EGO. DEFINII. ET. A. FRONTE. MACERIAM. DUXI. ET. TITULUM. POSUI. ULTRA. EAM. AREAM. ET. MACERIAM. IN. FRONTE. IN. AGRO. VERSUS. LATE. P. X. RETRO. USQUE.

QUE. AD. CANABETUM. HUIC. AREÆ. CEDET. IN. QUA. PEDATURA. NEQUE. HUMARI. NEQUE. TUMULUM. FIERI. VOLO. UT. HABEAT. EA. AREA. ET. A. TERGO. ET. A. LATERE. ACCESSUM. SUUM.

Partim verò ex silice vel saxo aut è marmore. Suetonius de sepulcro Neronis cap. L. *In eo monumento solium Porphyretici marmoris, superstante Lunensi ará, circumseptum est lapide Thasio.* Vetus Epigramma in Caninium:

Quoad vixsi. vixsere. omnes. inter. meos.
Eundem mi. amorem. præstet. puerilem. senexs.
Monumentum. indicio. est. saxo. septum. & marmore.

Statius in Tumulo Priscillæ:

—— tantas venerabile marmor
Sepit opes.

Virgilius in Culice:

—— tumulus formatum crevit in orbem,
Quem circum lapidum levi de marmore formas
Conserit assiduæ curæ memor.

Partim etiam ex ferro munimenta hęc fuisse, discimus ex Strabone lib. v. de Mausoleo Augusti: Ἐν μέσῳ δὲ τῷ πεδίῳ ὁ τῆς καύστρας αὐτοῦ περίβολος, καὶ οὗτος λίθου λευκοῦ, κύκλῳ μὲν περικείμενον ἔχων σιδηροῦν περίφραγμα, ἐντὸς δ' αἰγείροις κατάφυτον. *In medio autem campo*

bust

busti ejus ambitus ex albo saxo in orbem cinctus ferrea sepe, intus alnis consitus.

Nec verò in Sepimentis duntaxat & loricis sepulcrorum hanc materiarum diversitatem observare licet: sed & in monumentis ipsis, quorum alia lapidea, alia testacea, alia marmorea fuisse reperimus.

De *Lapideo* vetus Inscriptio in agro Vaticano:

PALÆMON. L. L. L. D. F.
GRAMMA. VEICIT. ATQUE RHET.
SIBI. ET. TUBERONIÆ. CONTUBERNALI.
FEMINÆ. OBSEQUENTISSIMÆ.
ATQ. BENEMERENTI
LAPIDEUM. STRUXIT. TUMULUM.
IN. EO. QUIDEM. CADAVERI.
QUIES. ESTO.
ALIO. AUTEM. REVERTITO. ANIMUS.

Cajus Jurisconsultus L. VII. D. De Religios. *Adversus eum, qui in alterius arcam lapideam, in qua adhuc mortuus non erit conditus, mortuum intulerit.* Sic nostrum Σωτῆρα etiam sepultum ἐν μνημείῳ, ὃ ἦν λελατομημένον ἐκ πέτρας, testatur præter alios Evangelistas D. Marcus cap. XV.

Fictilium sepulcrorum meminit Plinius

nius lib. XXXV. cap. XII. *Quin & defunctos sese multi fictilibus soliis condi maluêre.* Et in Epistola Liberti ad Ælium Severum: *CUM. CORPORA. EORUM. FICTILI. SARCOPHAGO. COMMENDAVERIM.*

Monumenti testacei meminit Ælius Imp. in Epist. ad Libert. Ovid. libro II. Fastor.

Tegula porrectis satis est velata coronis,
Et sparsæ fruges parvaq; mica salis.
Inq; mero mollita Ceres, violæq; solutæ
Hæc habeat mediá testa relicta viâ.

Epigramma Crinagori libr. III. Antholog. tit. VI.

Σὸς δὲ νεκὺς ψαφαρῇ κείσετ' ἐν ὀστρακίνῃ.

Hujus generis erant Corinthiorum monumenta, de quibus Strabo libr. VIII. Πολὺν δὲ χρόνον ἐρήμη μείνασα ἡ Κόρινθος ἀνελήφθη πάλιν ὑπὸ Καίσαρος τοῦ θεοῦ διὰ τὴν εὐφυίαν, ἐποίκους πέμψαντος τοῦ ἀνελευθερικοῦ γένους πλείστους. οἱ τὰ ἐρείπια κινοῦντες καὶ σὺν τάφους συνανασκάπτοντες, εὕρισκον ὀστρακίνων τορεύματα πλήθη, πολλὰ δὲ καὶ χαλκώματα, θαυμάζοντες δὲ τὴν κατασκευὴν, οὐδένα τάφον ἀσκευώρητον εἴασαν, ὥστε εὐπορήσαντες τῶν τοιούτων, καὶ διατιθέμενοι πολλοῦ, Νεκροκορινθίων ἐπλήρωσαν τὴν Ῥώμην. οὕτω γὰρ ἐκάλουν τὰ ἐκ τῶν

τάφων

πάφων ἀνῳκίσθη, καὶ μάλιστα τὰ ὀστράκινα. hoc est: *Corinthus cum diu deserta jacuisset, instaurata est à D. Cæsare propter loci opportunitatem, missis eò in coloniam libertinis plurimis. Hi cum rudera cœpissent moliri, simul atque sepulcra effodissent, testacea opera plurima atq; etiam ærea multa invenerunt, quorum admirati artificium nullum sepulcrum non effoderunt, magnaq; id genus rerum copia potiti, ijsq; magno divenditis, Romam implerunt Necrocorinthijs. sic enim appellabant, quæ è sepulcris erant eruta opera maximè testacea.*

Marmorea verò ditiorum erant plerunque & honoratiorum. Servius Sulpit. ad Cicer. Ep. Famil. libr. IV. *Posteaq; curavimus, ut iidem Athenienses in eodem loco monumentum ei marmoreum faciendum locarent.* Tibullus lib. III. Eleg. II.

Atq; in marmorea ponere sicca domo.

Varro in Licinium tonsorem Augusti:

Marmoreo tumulo Licinus jacet: at Cato parvo:
Pompeius nullo: Credimus esse Deos?

In Epistola Liberti ad Æl. Severum: ROGO. DOMINE. PERMITTAS. MIHI. IN. EODEM, LOCO. IN. MARMOREO. SARCOPHAGO. QUEM. MIHI. MODO.

do. Comparavi. Ea. Corpora. Colligere.

Romæ in ædibus Jo. Coritii:

Rapta sinu matris jacet hic miserabilis infans
Ante novem plenos Lunæ quàm viveret orbes:
Hanc Pater & mater mœsti flevere jacentem,
Parvaq; marmoreo clausêrunt membra sepulcro.

Et in Testamento militari, quod inscriptum saxo visitur in agro Lusitano: *Vt. Ab. Vrbe. Roma. Huc. Veniant. Et. Ossa. Mea. Intra. Quinquennium. Exportent. E. Lusitania. Et. Via. Latina. Condant. Sepulcro. Marm.* Vide Ulp. L. xiv. §iv. D. De Religios. Et Sueton. in Nerone cap. l.

Cap. XVIII.

De variis Simulacris, quibus Sepulcra solebant exornari. Apud Græcos quoq; Emblemata sepulcris insculpta, quæ studia defuncti denotarent. Arma aliaq; instrumenta sepulcris affixa. Gothorum Strava.

Quid jam de variis illis simulacris dicam, quibus Sepulcra exornari antiquitus solita, non tam ex veterum scriptis, quàm ex ipsis priscorum monumentorum ruderibus colligere est. Qua de re non piget me hîc iterum Geor. Fabricii testimonium

nium advocare, qui in Roma sua c. XXI. sic loquitur: In sepulcris, quæ hinc inde per urbem in multis locis occurrunt, varia rerum simulacra sunt exsculpta. *Ludorum curuliorum*, quale est ante SS. Cosmam & Damianum in foro Romano; & in S. Joan. Laterano, in quo etiam nocentes objiciuntur bestiis, ut in alio quodam ante S. Mariam in via lata. *Equestrium certaminum*, ut in S. Maria in arâ cœli, montis Capitolini. *Pugnarum*, ut in S. Gregor. montis Cælii. *Venationum*, ut in S. Laurent. in Lucinâ campi Martii. *Triumphorum*, ut ante S. Laurentium in Panisperna montis Viminalis; & Triumphi Venerei, in S. Joanne Laterano. *Sacrificiorum*, ut in S. Maria de Strada, inter Octavii porticum & Capitolium, & in S. Laurentio extra Exquilinam. *Deorum ludentium*, ut Apollinis canentis & Narcisci jaculantis discum, in domo Augustini Maphæi. *Satyrorum* puellæ dormienti insultantium in horto S. Marci. *Amorum* equitantium in domo Columniensium. *Deorum marinorum* in piscium caudas desinentium & vehentium in iis Nymphas tribus in locis, in S. Joanne Paulo in

Cælio, in hortis S. Sabinæ montis Aventini, ante S. Thomam in regione Harenulæ. *Plutonis* Proserpinam rapientis, in S. Sylvestro prope arcum Domitiani, & ante S. Mariam in Cosmodim prope Velabrum. *Ventorum* quatuor simulacra in sepulcro domus Cæsiæ. *Laborum Herculis* in domo Sabellorum supra Marcelli theatrum. *Servilium suppliciorum*, in quibus alii pede utroq; suspenduntur, aliis cultro secatur collum, aliis brachium saxo impositum alio saxo frangitur, in S. Muria de Ara cœli & ante ædem D. Stephani de Cacabo, in regione Pineę. In quibusdam sepulcris exsculpta sunt ædificia partim januis apertis, quibus dicunt animæ æternitatem significari, cujusmodi est in palatio Capitolino Triúvirûm: partim clausis, quibus interitus ejus unà cum corpore notatur: tale in domo civis cujusdã regionis Tránstyberinæ cernitur è regione pontis Fabricij. Hæc è multis retulisse satis sit, quæ non ita accipi volo quasi unius tantùm rei effigies expressa sit; sed alia multa, quæ oratione depingi in hac brevitate nequeunt, spectaculi gratia sunt addita. quod ut intelligatur, duobus exem-

plis

plis declarabo. In sepulcro Sacrificantium in S. Maria de Strada, Mulier in bigis, quæ à Rhinocerotib. trahuntur, vehitur: ipsis animalibus duo juvenes insident & animalia à Faunis naso ducuntur. Præcedit Thuscus fidicen & viri nudi ac mulierculæ, donec ad aram perveniatur, cui fidicen canens adstat, & inter cætera ludicra Faunus cornibus cum hirco concurrit. Item in altero apud Sanct. Sylvestrum, Pluto quadrigis vectus, raptam Proserpinam amplexu tenet exanimi similem: supra quam volitat alatus Cupido, currum præcedit Mercurius alato pileo & caduceo. In altera parte Ceres bigis invehitur, tractis à serpentibus pineâ tædâ, quam sinistra gestat, investigans amissam filiam. Inter hæc ab utraque parte comites Proserpinæ flores collectos gestant, veste ultra pubem sublatâ. A lateribus Hercules est, Leonis exuvio indutus, dextrâ tenens clavam, sinistrâ anum quandam invadens, cui verbera minitatur.

Possem hîc plura addere, quæ partim ipse in Galliis & Italia vidi, partim ab aliis sunt jam pridem observata, nisi festina-

rem. Si quis tamen harum rerum desiderio capitur, adeat Antiquitates Broissardi, qui hujusmodi simulacra ære incisa eleganter ob oculos ponit.

Neque fortean absurdum fuerit existimare, etiam hunc ritum originem suam traxisse à Græcis. Nam hos quoque exornare solitos monumenta sua diversis Emblematibus & signis, quæ plerunque τὰ ἐπὶ τοῦ σώματος & vitam defuncti denotarent, passim apud scriptores legimus. In Archimedis Mathematici sepulcro positam fuisse Sphæram cum cylindro, auctor est Cicero v. Tusculan. *Ego autem cum omnia collustrarem oculis, animadverti columellam non multum è dumis eminentem: in qua inerat Sphæræ figura & cylindri.* In Diogenis Cynici Canem tradit Laërtius libro VI. ἐπέγραψάν τε αὐτῷ κίονα, καὶ ἐπ' αὐτῷ λίθου Πάριου κύνα. Metellum Nepotem Philagri præceptoris sui sepulcro lapideum apposuisse corvum, Plutarchus testatur; quod videns Cicero, in ejus tenuitatem jocatus: Hoc inquit, sapienter à te factum, πτηνὸν γάρ σε μᾶλλον ἢ λέγειν ἐδίδαξε. Hoc est, *volare magis te docuit, quàm dicere*. in vitâ Ciceron.

ceron. De Ariete, qui fuit in sepulcro Isocratis, vide Plutarchum in X. Rhetor. Alludum huc à Smicrine, qui à quodam interrogatus, quidnam Archippa rerum ageret, festivè respondit, eam, ut noctuæ solent, assidere tumulo. Verba Athenæi lib. XIII. δειπνοσοφ. hæc sunt: Σμικρίνης ἐρωτώμενός ποτε, τί πράττει Ἀρχίππη, χαριέντως ἔφη: ὥσπερ αἱ γλαῦκες, ἐπὶ τάφου κάθηται. Qui quidem locus Noctuas crebro tumulis impositas non obscurè innuit. Interdum verò etiam arma & instrumenta, quibus quis in vita usus fuerat, sepulcris affixa, Homerus annotavit, apud quem Elpenor rogat Ulyssem, ut sibi sepulcrum faciat, & illud remo ornet, quem vivus usurpare solitus fuerat:

Ταῦτά τε μοι πέλεσον πῆξαί τ' ἐπὶ τύμβῳ ἐρετμὸν
Τῷ περ ζωὸς ἔρεσσον, ἐὼν μετ' ἐμοῖς ἑτάροισι.

Et Virgilius in funere Miseni libr. VI. Æneid.

At pius Æneas ingenti mole sepulcrum
Imponit, suaq; arma viro, remumq; tubamq;.

Eundem ritum tangit Seneca lib. IV. Controvers. IV. *Bellum cum esset in civitate, vir fortis in acie amissis armis de sepulcro viri fortis arma sustulit. Fortiter pugnavit*

vit & reposuit. Præmio accepto, accusatur sepulcri violati.

De Exuviis verò hostium, quibus non Romani solùm, sed & Gothi sepulcra sua ornabant, Plac. Lactantius ad libr. XII. Thebaid. Statii: *Exuviis enim hostium extruebatur regibus mortuis pyra, quem ritum Sepulturæ hodie quoque barbari servare dicuntur, quem Strabas dicunt linguâ suâ.* Jornandes de Rebus Gothicis hinc lucem capit: *Postquam talibus lamentis est defletus, Stravam super tumulum ejus, quam appellant ipsi, ingenti commessatione celebrant.*

Cap. XIX.

De monumentorum Inscriptionibus. Ἐπιγραφή. Titulus. *Concipiuntur illæ vel prosa oratione vel versu. Solemnia Inscriptionum verba:* Dis. Manib. Sacr. *Itemq;* Memoriæ. *Nomen defuncti, parentes, patria monumentis inscripta.* Hic situs est, Hic jacet.

SED quondo eò jam ventum est, ut de ornamentis Sepulcrorum egerimus: non possum mihi temperare, quin statim etiam de Inscriptionibus subnectam, quæ adeo Sepulcrorum propriæ, ut vix sine iis Monimenti nomen vel Memoriæ tueri possint. Unde Servius: *Locus Vstrina dici solet,*

solet, operis constructio, sepulcrum: Inscriptum nomen, Memoria atq; Monumentum. Et rectè Cato apud Ciceronem de Senectute testatur, se legendis sepulcris in memoriam redire mortuorum. *Nec sepulcra legens*, inquit, *vereor, quod ajunt, ne memoriam perdam. his enim ipsis legendis redeo in memoriam mortuorum.* Græci ἐπιγραφὴν vocant. Artemidorus lib. v. cap. LXXV. ἐπιγραφῆς ἀκήλεθόν ἐστι τὸν ἀποθανόντα τυγχάνειν. Latinis *Titulus* dicitur. Ovidius in Epist. Hypermnestræ ad Lyncum:

Sculptaq; sunt tituli nostra sepulcra brevi.

Martialis Epigr. LXXI. lib. X.

Quisquis læta tuis & sera parentibus optas
Fata, brevem titulum marmoris hujus ama.

Trebellius Pollio in Valerianis: *Mittendum in literas censui, hunc Valerianum circa Mediolanum sepultum, addito titulo, Claudij jussu, Valerianus Imperator.* Et plura sunt hujus generis exempla, quam ut in numerum facilè cadant. Nam ita crebræ & frequentes erant apud Roman. hæ monumentorum Inscriptiones, ut etiam puerorum & servorum viliumq; capitum sepulcra titulis exornarentur, quod ex innumeris lapidibus videre est. Parcius iis usi Lacedæmonii,

monii, qui ex Lycurgi instituto non nisi illorum tumulis, qui fortiter in bello occubuissent, titulum inscribere solebant. Plutarchus in Lycurgo: ἐπιγράψαι δὲ τοὔνομα θάψαντας οὐκ ἐξῆν τοῦ νεκροῦ. πλὴν ἀνδρὸς ἐν πολέμῳ καὶ γυναικὸς τῶν ἱερῶς ἀποθανόντων.

Hujusmodi verò tituli interdum prosa oratione concipiebantur: interdum autem versibus. Illud probatione non indiget: nam pleni talium omnes lapides. Hoc ex Suetonio constat in vita Claudii cap. 1. *Nec contentus elogium tumulo ejus versibus à se compositis insculpsisse.* Propertius de suo tumulo lib. 1. Eleg. x.

Et duo sint versus: qui nunc jacet horrida pulvis,
Vnius quondam servus amoris erat.

Virgil. Ecloga v.

Et tumulum facite, & tumulo supperaddite carmen.

Ovid. lib. xiv. Metam.

Vrnâq; AEneia nutrix
Condita marmoreo tumulo breve carmen habebat.

Cicero pro Archia: *Decimus quidem Brutus summus vir & Imperator, Accii amicissimi sui carminibus templorum ac monumentorum aditus exornavit suorum.* Quanquam ut hoc obiter moneam, etiam Carmina dicebantur Inscriptiones oratione metris soluta con-

conceptæ, ut apud Cicer. in Catone Majore, cum elogium Attilii Calatini recitasset, statim subjungit. *Notum est totum ejus carmen incisum sepulcro.*

Solebant autem minio plerumq; tituli hi signari, ut clariores essent, & à viatoribus tantò facilius legi possent. Nam *Minium in voluminum scriptura usurpatum, clariores que literas vel in auro vel in marmore etiam in sepulcris fecisse* diserte scribit Plinius lib. XXXIII. cap. VII.

Nolo hic enormem Inscriptionum manum advocare, ne vel lectori tædium pariam, vel mihi ipsi laborem, exscribendo ea, quæ & in promptu sunt omnibus & non unum atq; alterum capitellum, sed justum volumen desiderant. Pauca tamen hic attingam, & quidem ea, quæ sepulcris inscribi solita ex veterum præcipuè scriptis demonstrari possunt, auctorem secutus clarissimum Brissonium, cui maximam horum partem acceptam referimus.

Ac ut rem à capite & ὥσπερ ἀφ' ἑστίας arcessamus, hisce plerunque verbis solebant Inscriptionum titulos auspicari: D. M. vel D. M. S. vel disertim *DIS. MANIBVS. SACR.*

Sacr. sive jam *sacrum* velis legere, sivè *sacris*: utrumque enim reperire est. Prudentius in Symmachum:

Ecce Deos Manes cur inficiaris haberi?
Ipsa patrum monumenta probant. DIS MANIBUS *illic*
Marmora secta lego.

Agellius lib. x. cap. XVIII. *Id monumentum Artemisia cum* DIS MANIBVS SACRIS *Mausoli dicaret.* Interdum verò unâ literâ auctius erat hoc exordium, D. I. M. ut patet ex Inscriptione, quæ est ad Lyci in Danubium fluentis ostia:

D. I. M.
IVL. IVSTV.
S. V. A. XXVI.
AMABILI
S. MATER.
F. C.

Manes enim *Dii superi atq; inferi dicebantur*, ut ait Festus. Nonnunquam tamen & MEMORIÆ solebat præfigi: quam ipsam etiam vocem innumeris marmoribus inscriptam videre est, nec opus huc exempla coacervare.

Tandem sequebatur Nomen defuncti, quod sepulcralibus hisce cippis signari solitum, clarè indicat Propertius lib. II. Eleg. I.

Quando-

Quandocunq; igitur vitam mea fata reposcent,
Et breve in exiguo marmore nomen ero.

Et Virgilius lib. VII. Æneid:

——ossaq; nomen
Hesperia in magna, si qua est ea gloria, signat.

Ovidius lib. VIII. Metamorph. fab. IV. de sororib. Meleagri:

Affusaq; jacent tumulo: signataq; saxo
Nomina complexæ, lacrimas in nomina fundunt.

Seneca Epist. LX. *Qui latitant & torpent, sic in domo sunt, quomodo in conditivo. Horum licet in limine ipso nomen marmori inscribas, mortem suam antecesserunt.* Hinc argutè Laberius apud Macrob. libro II. Saturn. cap. VII.

Vt hedera serpens vires arboreas necat:
Ita me vetustas amplexu annorum enecat,
Sepulcri similis nil nisi nomen retineo.

Non autem Nomen tantummodò; sed & parentes, patria, & familia solebat interdum adscribi. Callimachus Epigram. XX.

Τιμονόη τίς δ' ἐστὶ, μὰ δαίμονας, ἢ σ' ἀν ἐπέγνων
Εἰ μὴ Τιμοθέυ πατρὸς ἐπιλῶ ὄνομα
Σπίλη; καὶ Μήθυμνα πὴ πόλις. ——

Hieronymus in vita Paulæ:

Scipio quam genuit, Paula fudêre parentes
Gracchorum soboles, Agamemnonis inclita proles,
Hoc jacet in tumulo, Paulam dixêre priores.

Eustochii genetrix, Romani prima Senatus.
Pauperiem Christi & Bethlemitica rura secutus.

Laërtius in Solone: Ἀλλὰ καὶ αὐτοῦ τοῦ τάφους (ἔδειξε) πρὸς ἕω βλέποντας, καὶ ἀπὸ τῶν δήμων τοῦ χρηματισμοὺς ἐγκεχαραγμένους. Theophrastus inter characteres τῆς περιεργίας refert, γυναικὸς τελευτησάσης, ἐπιγράψαι ἐπὶ τὸ μνῆμα, τοῦτο ἀνδρὸς αὐτῆς καὶ τοῦ πατρὸς καὶ τῆς μητρὸς καὶ αὐτῆς τῆς γυναικὸς τοὔνομα, καὶ ποταπή ἐστι. καὶ προσιπεγράψαι: ὅτι οὗτοι πάντες χρηστοὶ ἦσαν. hoc est, *Si uxor obierit, monumento ejus & mariti & patris & matris nomina inscribere, itemq; cujas ipsa sit. tum hoc elogium insuper adjicere,* SINGULARI OMNES PROBITATE ERANT. Atque huic stultæ veterum ambitioni circa titulos cipporum ut Plato obviam iret, in sua Repub. legem hanc inter ceteras ferebat, Ne cui liceret tumulo cujusquam longiorem quatuor versibus heroicis titulum inscribere. libr. XII. de Leg. Et Cicer. II. de leg.

Porro solemnia in hujusmodi titulis verba, quibus sepultum ibi aliquem volebant denotare, hæc erant: HIC SITUS EST. vel. HIC. JACET. Prior formula legitur apud Lucill.

Servus

Servus neq; infidus Domino, neq; inutilis cuiquam Lucilii Columella, hic situs est.

Et apud Ovidium lib. II. Metamorph.

Corpora dant tumulo, signant quoq; carmine saxum, Hic situs est Phaëton currus auriga paterni.

Utitur & Autor libri De viris illustrib. cap. XLII. *Positus est apud Lybyssam in arca lapidea, in qua hodieq; inscriptum est, Annibal hic situs est.* Vide sis & Vopiscum in Probo. Plinium lib. VI. Epistol. X. Agellium lib. I. Noct. Attic. cap. XXIV. Posteriorem formulam reperire est in Tibullo lib. I. Eleg. III.

Quod si fatales jam nunc explevimus annos, Fac lapis inscriptus stet super ossa notis: Hic jacet immiti consumptus morte Tibullus Messalam terrâ dum sequiturq; mari.

Et in Martiale lib. VI. Epig. LII.

Hoc jacet in tumulo raptus puerilibus annis, Pantagathus Domini cura dolorq; sui.

Sic Phocas Grammaticus in Versib. de Virgilio.

Hic Ballista jacet, certo pede perge Viator.

Et in oratione Leonis Imp. moribundi, quam adducit CL. V. Bonav. Vulcanius Notis ad librum Constantini Porphyrogennetæ *De Thematibus*, inter alios versus Politicos, etiam hi reperiuntur:

Τῷ τάφῳ ἐπηρέψατε, Λέων ἐνθάδε κεῖται, &c.

Sexcenta hujus generis possem addere, si esset tanti. Sed ne caput hoc nimium excrescat, placet hæc talia Inscriptionum solemnia partiri, & reliqua sequenti capiti illinere.

Cap. XX.

Elogia & Res gestæ monumentis inscriptæ. Spatium vitæ, Conjugii. Facere *pro Vivere.* Sine querela, offensâ *& similes formulæ, Causa item mortis & alia hujus generis.*

JAm igitur ordinem nostrum continuare pergamus. Restat enim ut moneamus, etiam Elogia plerunque & res gestas, quibus præclarum sibi nomen pepererant; tumulis inscribi sueviſſe. Cicero II. de Finib. *Non elogia monumentorum id significant? veluti ad portam, Vno. Ore. Cvi. Plvrimæ. Consentivnt. Gentes. Popvli. Primarivm. Fvisse. Virvm. Idne consensisse de Calatino plurimas gentes arbitramur.* Quod ipsum Elogium totidem verbis repetit in Catone Majore. Allusit huc Virgilius in Culice:

His tumulus super inseritur. tum fronte locatur
Eulogium.

Sic Augustum Cæsarem res suas gestas columnis æneis ad sepulcrum suum collocatis

catis insculpi jussisse, autor est Dio lib. LV. Εγέγραπτο δὲ ἐν τῷ δευτέρῳ βιβλίῳ τὰ ἔργα ἃ ἔπραξε πάντα, ἃ καὶ εἰ χαλκᾶς στήλας πρὸς τῷ ἡρώῳ αὐτοῦ σταθήσας ἀναγραφῆναι ἐκέλευσε. Plutarchus in Sylla: Τὸ μὲν οὖν μνημεῖον ἐν τῷ πεδίῳ τοῦ Ἀρεὼς ἐστι, τὸ δὲ ἐπίγραμμα, φασὶν αὐτὸν ὑπογραψάμενον καταλιπεῖν, οὗ κεφάλαιον ἐστιν, ὡς οὔτε τῶν φίλων τις αὐτὸν εὖ ποιῶν, οὔτε τῶν ἐχθρῶν κακῶς, ὑπερεβάλετο. hoc est: *Monumentum Syllæ in campo Martio est. inscriptionem ab ipso ferunt conceptam & relictam, cujus hoc caput est, se neq; ab ullo amicorum beneficiis, neque ab ullo inimico maleficiis superatum fuisse.* Tale fuit Epitaphium Virginii Rufi, qui sepulcro suo incidi jussit hoc carmen, teste Plinio libro VI. Epist. X.

Hic situs est Rufus, pulso, qui Vindice quondam
Imperium asseruit non sibi, sed patriæ.

Quæ verba Xiphilinus in Nerva sic extulit: ὅτι νικήσας Βίνδικα, τὸ κράτος οὐχ ἑαυτῷ περιεποιήσατο, ἀλλὰ τῇ πατρίδι.

De Censorini monumento ita Trebell. Pollio in Triginta Tyrannis: *Extat ejus sepulcrum, in quo grandibus literis circa Bononiam incisi sunt omnes ejus honores, ultimo tamen versu adscripto,* FELIX. AD. OMNIA. INFELICISSIMVS. IM-

peratores. De Pallantis Plinius lib. VII. Ep. XX. *Est via Tiburtina intra primum lapidem (proximè adnotavi) monumentum Pallantis ita inscriptum: Huic. Senatus. Ob. Fidem. Pietatemque. Erga. Patronos. Ornamenta. Prætoria. Decrevit. Et. Sestertium. Centies. Quinquagies. Cuius. Honore. Contentus. Fuit.* Julius Capitolinus de Gordiani sepulcro sic loquitur in ejus vita: *Gordiano sepulcrum milites apud Circeum castrum fecerunt, in finibus Persidis, titulum hujusmodi addentes & Græcis & Latinis & Persicis, & Iudaicis & Ægyptiacis literis, ut ab omnibus legeretur: Divo. Gordiano. Victori. Persarum. Victori. Gothorum. Victori. Sarmatarum. Depulsori. Romanarum. Seditionum. Victori. Germanorum. Sed. Non. Victori. Philipporum.* Pertinet huc insigne Elogium Claudiæ fœminæ, quod Epitaphio ejus inscriptum Romæ ad pontem Cestium extat, his versibus:

Hospes. quod. deico. paullum est. asta. ac. pellege.

Heic.

Heic. est. sepulcrum. haut. pulcrum. pulcrai. fœminæ.
Nomen. parentes. nominarunt. Claudiam.
Suom. mareitum. corde. dilexit. suo.
Gnatos. duos. creavit. horunc. alterum.
In terra. linquit. alium: sub. terra. locat.
Sermone. lepido. tum. autem. incessu. commodo
Domum. servavit. Lanam fecit. Dixi. Abei.

Solemne quoq; erat spatium vitæ eorum, qui tumulis condebantur, exiliter ad calculos revocare, & quot annos, menses, & eò ampliùs quot dies ac horas vixissent, sepulcro inscribere, ut ex innumeris monumentorum Inscriptionibus, quæ in omnium passim manibus versantur, intelligimus. Annorum quidem meminit Seneca Epist. LXXVIII. *Nulla vita est non brevis. Nam si ad naturam respexeris, etiam Nestoris & Statiliæ brevis est, quæ inscribi monumento suo jussit,* ANNIS. SE. NONAGINTA. NOVEM. VIXISSE. Et Xiphilinus in Adriano de Simili præfecto prætorio, qui vacatione impetrata privatus septem annos egit: Μόλις τε ἀφεθεὶς ἐν ἀγρῷ ἡσυχῇ ἐπὶ ἑπτὰ ἔτη τὰ λοιπὰ τοῦ βίου διήγαγε· καὶ θανὼν τὸ μνῆμα αὐτοῦ τοῦτο ἐπέγραψεν, ὅτι ΣΙΜΙΑΙΣ. MENENTĀ-

ΕΝΤΑΤΘΑ. ΚΕΙΤΑΙ. ΒΙΟΤΣ. ΜΕΝ. ΕΤΗ. ΤΟΣΑ. ΖΗΣΑΣ ΔΕ ΕΤΗ ΕΠΤΑ. h. e. *Hic situs est Similis, qui vixit annos tot, bene autem vixit annos* VII.

Præter annos autem Mensium adhuc fiebat mentio, ut in hac Inscriptione urnæ argenteæ, in qua Æmilii Pauli Papiniani Jurisprudentis præclarissimi cineres conditos fuisse multi dicunt. Ea est apud Hier. Magium lib. 2. Miscell. cap. 11.

Æmillo. Paulo. Papiniano. Præfecto. Prætorio. Iurisconsulto. Qui. Vixit. An. XXXVI. *Dies.* X. *Men.* III. *Papinianus. Hostilius. Eugenia. Gracilii. Turbato. Ordine. In. Senio. Heu. Parentes. Fecerunt.*

Imò & Dierum. ut in Inscriptione Neapolitana.

Iustus. Cæsaris
Fecit. Sibi. Et
Luciliæ. Priscæ
Coniugi. Karissim
Quæ. Vix. An. XX. M. VII. D. XV. *&c.*

Tale est illud Martialis lib. v. Epigr. de Herotione.

Impletura fuit sexta modo frigora bruma
Vixisset totidem ni minus illa dies.

Vult

Vult enim dicere Poëta, ipsam vixisse annos v. menses xi. & dies xxv.

Sed & Horas etiam supputatas reperio, ut in hac Inscript:

VALERIA. TROPHIMA. FILIO. DULCISSIMO. ET. PIENTISSIMO. ET. FRUGALISSIMO. VIXIT. ANNIS. XXIX. MENS. VIIII. DIEB. XVI. HORIS. VII.

Addebant etiam interdum Matrimonii tempus, ut testatur hæc inscriptio, quæ Mutinæ legitur:

MEMORIÆ. CLA. FEM.
L. PEDUCÆ. JULIANÆ
MORIB. NATAL. AC. PUD. PRISCIS.
INLUSTRIBUSQUE. FEMI. COMPARANDA
QUÆ. VIXIT. ANNOS. XIII. D. XLVII.
CUM. MARITO. FECIT. ME. V. D. XX.
L. NONIUS. VER.

Et Romæ in veteri tabella marmorea ad Aquam Virginem in horto familiæ Bubalorum: VEIANIUS. SUETENIANUS. LICINIÆ. DEMETRIANÆ. CONIUGI. KARISSIMÆ. CUM. QUA. FECIT. ANNOS. IX. M. VI. DIES. XXV.

Ubi nota verbum *Facere* interdum pro *vivere* usurpari: quo sensu utitur Alfenus D. De statuliberis. L. XIV. *Is servus fugerat, & annum in fuga fecerat.* Epitaphium Petronii Antigenidis:

Bis. quinos. annos. menses q; duos, duo soles
In superis feci, tenerè nutritus, amatus.

Seneca Ep. LXVII. *Quamvis autem paucissimos unà fecerimus dies: tamen multi nobis sermones fuerunt.* Scholiastes Eurip. Hippolyto: ἦθος τοῖς ἐφ' ἡμέρᾳ φεύγουσιν ἐνιαυτὸν ἀπιέναι ἐκτὸς τῆς πατρίδος.

Quod si matrimonium fuisset placidum & tranquillum, neque id silentio præteribant: quo pertinent crebræ istæ clausulæ: *sine querela, sine controversia, sine offensa, sine jurgio, sine discordia, sine macula,* & similes, quarum pleniſſimæ sunt omnes Inscriptiones. Plinius huc alludit lib. VIII. Epist. v. *Grave vulnus Macrinus noster accepit. Amisit uxorem singularis exempli etiam si olim fuisset. Vixit cum hac XXXIX. annis, sine jurgio, sine offensâ.*

Romæ ad montem Jordanum.

pag. 664.

D. M.

D. M.

D. Junio. Primogenio.
Qui. Vix. Ann. XXXV.
Junia. Pallas. Fecit.
Coniugi. Karissimo
Et. Pientissimo
De. Se. Benemerenti
Cum. Quo. Vixit. Annos
XV. Menses. VI.
Dulciter. Sine. Querela

Veronæ ad D. Clementis.

D. M.

Atiliæ. Maximianæ
Animæ. Innocentissimæ
Caonius. Vitalis
Uxori. Incomparabili.
Quæ. Vixit. Mecum
Sine. Ulla. Controversia
Ann. XVIII. M. II. D. VIIII.
Quæ. Tulit. Secum. Ann. XXXXVI.
Quæ. Duxit. Secum.
Gloriam. Et. Hono. Æternum.
Meum. Vale. Solatium.

Nec verò Univiræ castitatis ac pudicitiæ

citiæ ſuæ argumentum ſilebant. Unde Propertius lib. IV. Eleg. ult.

Iungor Paule tuo ſit diſceſſura cubili,
In lapide hoc VNI NVPTA fuiſſe legar.

Martialis Epigr. XXXVI. libr. X. in Epitaphio nobilis matronæ:

Quinq́ dedit pueros, totidem mihi luno puellas
Clauſerunt omnes lumina noſtra manus.
Contigit & thalami mihi gloria rara, fuitq́
Vna pudicitiæ mentula nota meæ.

Quo alludens Juvenalis Sat. VI. ait:

Sic creſcit numerus, ſic fiunt octo mariti
Quinq́ per autumnos- titulo res digna mariti.

Huc pertinet elegans & digna lectu Inſcriptio vetus inter Bajas & Anverſam de L. Aſcanii Elpicani conjuge; Liviæ Rufinæ nomen illi fuit. pars inſcriptionis ſaltem adhibenda cauſa brevitatis:

Quæ adfecta cineribus conjugis adeo fuit. ut ad ſecundum nullo unquam tempore tranſire voluerit. quamvis diu ſuperviveret. & ætas poſceret. & valida natura. virilem quem ſemper ſervavit animum. fidemq́ pudicitiæ quaſi mutare compelleret. Et ne brevem domeſticam pugnam credas poſt maritum Vix. ann. L. M. IX. &c.

Nec omittendum, quod mortis etiam cauſa interdum monumentis adſcribebatur. Unde Tibullus lib. III. Eleg. II.

Sic

Sed triſtem mortis demonſtret littera cauſam,
Atq; hac in celebri carmina fronte notet:
Lygdamus hic ſitus eſt. dolor huic & cura Neæra
Coniugis erepta cauſa perire fuit.

Ovidius lib. IX. Metamorph.

Neve merere meo, ſubſcribi cauſa, ſepulcro.

Idem in Epiſt. Phyllidis ad Demophoontē:

Inſcribēre meo cauſa invidioſa ſepulcro.

Et lib. III. Faſtor tumulo Didûs carmen inciſum fingens:

—— tumuliq; in marmore carmen
Hoc breve quod moriens ipſa reliquit, erat.
Prabuit AEneas & cauſam mortis & enſem:
Ipſa ſua Dido concidit uſa manu.

Idem Ovidius de ſeipſo tale Epitaphium monumento ſuo inſcribi mandat libr. III. Triſt. Eleg. III.

Quos q; legat verſus oculo properante viator
Grandibus in tumuli marmore cade notis,
Hic ego qui jaceo tenerorum luſor amorum,
Ingenio pereo Naſo poëta meo.

Sic Nurſini etiam *Mutinenſi acie interemptorum civium tumulo publicè exſtructo adſcripſerant*, PRO LIBERTATE EOS PUBLICE OCCUBUISSE, ut ait Suetonius in Auguſto. Quod Dio lib. XLVIII. ſic extulit: ὅτι ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας ἀγωνιζόμενοι ἐτελεύτησαν. Pertinet huc *illa infelicis Monumenti inſcriptio*, TURBA. SE. MEDICORUM.

PERIS-

Perisse, quæ extat apud Plinium libr. xxix. Natur hist. cap. 1. Cui geminum est δημῶδες illud, quod Adrianus Imp. moriens exclamasse dicitur: Πολλοὶ ἰατροὶ βασιλέα ἀπώλεσαν, teste Xiphilino in ejus vita.

Mitto quòd integra interdum Testamenta sepulcris suis inscribi voluerunt, ut in illo militari Galli Favonii, cujus suprà meminimus: Item Legata sub Conditionibus, de quibus alibi.

Unum adhuc addo de Staberio quodam homine avariſſimo, quem Horatius lib. II. Satyr. III. memorat tantoperè delectatum esse magnitudine pecuniæ, ut monumento suo heredes inscribere jusserit, *Quantum quisq; ex testamento suo cepisset*, eosque si in aliquo mentiti essent, centum paria gladiatorum populo exhibere, epulum etiam populo ad arbitrium Arii voraciſſimi hominis parare, & frumentum infinitum dare damnaverit. Hoc enim secundum vetusti commentatoris interpretationem Horatius significat his versibus:

Heredes Staberi summam incidere sepulcro.
Ni sic feciſſent, gladiatorum dare centum
Damnati populo, patria, atq; epulum arbitrio Arrÿ,
Frumentum quantum metit Africa.

Et

Et mox:

—— *Quid ergo*
Sensit, cum summam patrimoni insculpere saxo
Heredes voluit :

Sed hic Inscriptionum pausa esto, neque enim mihi manus ferrea est, quæ sit omnibus hisce lapidibus describendis : & hæc sufficiunt, credo, iis, qui non habent cor plumbeum.

CAP. XXI.

De Sepulcrorum religione. Quo sensu Sepulcra sancta & sacra dicta fuerint. Religiosi loci requisita. Spatium sepulcri definitum. In Fronte pedes tot : in agr. ped. tot. *Sepulcri religio incipiebat à glebæ injectione. Ritus ter terram injiciendi fortuitò oblatis cadaveribus, apud Roman. & Græcos usurpatus.*

RElegio Sepulcrorum me jam vocat : de qua nunc dicam paucis, non neglecturus etiam τὰς παραφυάδας, quæ mihi hinc tanquam ex arbuscula quadam nascentur.

Locum sepulcri vel potius Sepulcra ipsa esse Religiosa Jurisconsulti tradidêre, differentiis inter sacrum, sanctum & religiosum accuratè constitutis : de quibus videndus, ut alios mittam, Aldus Manutius in De Quæsitis per Epistolam. Veteribus tamen interdum & Sancta & Sacra

Sepul-

Sepulcra dicta esse reperio. Sanctitatem illis assignat Cicero libr. IV. de Rep. apud Nonium: *Sic Pontificio jure sanctitudo sepulturæ.* Et Philip. IX. *Sepulcrorum sanctitas in ipso solo est, quod nulla vi moveri neq; deleri potest. atq; ut cetera extinguuntur, sic sepulcra fiunt sanctiora vetustate.* Sacra verò appellat Catullus:

Et Batti veteris sacrum sepulcrum.

Quintilianus declam. X. de re eadem loquens: *Sacratos morte lapides, etiam cineres & ossa religiosè quiescentia fractâ sparsisset urnâ.* De his igitur quid censendum? An ignoratam harum vocum tantis viris differentiam? an verò subtilitatis plus habere hoc discrimen, quàm veritatis. Neutrum horum... omnem nobis scrupulum eximet Festus, qui cum ex sententia Ælii Galli non esse eadem sacrum, sanctum, & religiosum dixisset, statim subjungit hæc verba: *Sed ita portione quadam & temporib. eadem videri posse. si quidam, quod sacrum est, idem lege aut instituto majorũ sanctum ẽsse putat, ut violari id sine pœna non possit: idem religiosum quoq; esse; quoniam sit aliquid, quod ibi homini facere non liceat; quod si faciat, adversũ*

Deo-

Deorum voluntatem videatur facere: similiter de muro & sepulcro deberi observari, ut eadem & sacra & sancta & religiosa fiant, sed quomodo, quod supra expositum est, cum de sacro diximus. Hanc igitur ob causam Sepulcra & sacra & sancta interdum veteribus esse appellata censendum est, non quod revera sint, sed quod esse videantur, similitudine quadam religionis; sicuti homines quoq; similitudine quadam sancti appellantur, non quia revera sint. Sed propriè loquendo Sepulcra Religiosa dicebantur. Festus ex eodem Gallo: *Religiosum sepulcrum ubi mortuus sepultus aut humatus sit.* Rectè: nam antequam corpus esset illatum, locus religiosus non erat: sed illatione tandem fiebat, eâq; legitimâ. Nam, ut est in L. 11, C. De Relig. & sumpt. *Invito vel ignorante te ab alio illatum corpus in puram possessionem tuam vel lapidem, locum religiosum facere non potest. Sin autem voluntate tuâ mortuum aliquis in locum tuum intulerit, religiosus iste efficitur.* Atq; hoc primò notandum in Sepulcrorum religione.

Secundò, si diversis in locis membra sepulta sint, quod fieri interdum hodieque

solet, non statim omnia illa fiebant religiosa, sed is tantum, *ubi quod est principale, conditum est, id est, caput, cujus imago sit, inde cognoscimur.* ut loquitur Paulus L. XLIV. D. De Relig. & sumpt. ad quam legem vide Cujac. lib. XXI. Observat. cap. IV.

Tertiò, ut locus fieret religiosus, corpus perpetuæ sepulturæ oportuit esse traditum. *Si quis enim eo animo corpus intulerit, quod cogitet inde alio postea transferre, magis ad temporis gratia deponere, quàm quod ibi sepeliret mortuum, & quasi aterna sede dare destinaverit, manebit locus profanus,* ut ait Paulus L. XIV. D. eodem.

Deniqúe non tamen totus ille locus, qui sepulturæ destinatus erat, religione tenebatur, *sed quatenus corpus humatum est,* teste Celso in L. 2. D. eod. Atq; ideo ne religio occuparet, totum solum, in quo monumentum erat ædificatum, definiri plerunq; solebat modus spatiumque loci religiosi, ut sciretur, quid puri loci relinqueretur. Ejus rei ergo scribebant: In. Fronte. Pedes. Tot. In. Agrum. Pedes. Tot. Quâ formulâ nulla est in vetustis Inscriptionibus frequentior. Eam expressit

pressit Horatius Satyr. VIII. lib. I, Sermonis his versibus:

Pantolabo scurræ Nomentanoq; nepoti
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat.

Ubi vetus interpres, IN FRONTE explicat, *in latitudine*: IN AGRUM, *in longitudinem*.

Cæterùm illa Sepulcrorum vel Religio vel Sanctitas incipiebat statim à glebæ injectione. Cicero libr. II. Leg. *Nam priusquam in os injecta gleba est, locus ille, ubi crematum est corpus nihil habet religionis, injectâ glebâ mulis & humatum est & gleba vocatur, actum deniq; multa religiosa jura complectitur.* Vide Varronem lib. IV. de Ling. Latin. qui: *Humilior*, inquit, *mortuus vocabatur & familiæ ante jactam glebam, aut os ad lustrandam familiam exceptum.* Post glebæ igitur injectionem tandem *Humatus* dicebatur, actum demum sepulcrum fiebat religiosum. Qui ritus nescio an fluxerit ab illo altero terram ter plena manu injiciendi fortuitò oblatis cadaveribus, si quando ea legitimè sepelire non liceret. Græcis pariter ac Romanis eum usitatum

reperio. Ælianus libr. v. Var. cap. XIIX. Νόμος καὶ οὗτος Ἀττικὸς, ὃς ἂν ἀτάφῳ περιτύχῃ σώματι ἀνθρώπου, πάντως ἐπιβάλλειν αὐτῷ γῆν. Acron in lib. I. Horat. od. XXIIX. *In sacris hoc genus sepulturæ tradebatur, ut etsi non obrueretur, manu plenâ ter jacta terra cadaveri pro sepulturâ esset.* Quintil. declam. v. *Ignotis cadaveribus humum congerimus, & insepultum quodlibet corpus nulla festinatio tam rapida transcurrit, ut non quantulocunq; veneretur aggestu.* Et declamat. VI. *Nobis* (rerum natura) *adversus exanimes genuit non solùm miserationem, quæ cogitationi nostræ subit, sed etiam religionem. Inde ignotis quoq; corporibus transeuntium viatorum collatitia sepultura, inde injecta ab alienis humus.* Alludit fortè huc Valer. Max. lib. v. c. III. *Post obitum nullam Atticæ regionis, quæ ossibus ejus inijceretur, invenit glebam.* Quod autem Romani *glebam injicere*, id eleganter Phocylides γαῖαν, Moschion κόνιν ἐπιμοιρᾶσθαι dixerunt. Phocylidis versus hic est:

Γαῖαν ἐπιμοιρᾶσθαι ἀταρχεύτοις νεκύεσσι.

Moschionis verò Senarii in Physicis Stobæi hi:

—— γαῖα δὲ πρὶν ἄσπορος.
Ἤδη ζυγουλκοῖς βουσὶν ἠροτρεύετο.

Αὐτῇ

Αὐτῇ δ' ἐπυργώσαντο. καὶ περισκεπεῖς
Ἐτεύξαν οἴκους, καὶ τὴν ἠγρῖώμενον,
Εἰς ἥμεροι δίαιταν ἤγαγον βίου
Κἀκ τοῦ δὲ σοῦ θανόντας ὥρισεν νόμος,
Τύμβοις καλύπτειν καπιμοιρᾶσθαι κόνιν
Νεκροῖς ἀθάπτοις, μηδ' ἐν ὀφθαλμοῖς ἐᾶν
Τῆς πρόσθε θοίνης μνημόνευμα δυσσεβὲς.

Quos versus clarissimus & doctissimus Dan. Heynsius in Notis ad Silium Italic. togâ donavit hoc modo:

—— terra seminis prius
Ignara bubus asperum trahentibus
Jugum patebat, turris alta, tectaq́;
Hinc inde celsum prodidêre verticem
Asperq́; vitæ cultus in mores novos
Sese reduxit. Lex cadaverum strues
Terræ sacravit, pulveremq́; mortuo
Levem dedêre, luce non functos suo
Tumulo negarunt, nec remansit ulla de hinc
Voracitatis indicina pristinæ.

Atque hunc pulverem interdum ab amicis prætereuntibus levi manu officii ergò infundi sibi postulabant. Suavissimus Nonnus:

—— ἀλλὰ σὺ κούρη
Μοῦνον ἐμοὶ φθιμένῳ γλυκερὴν περίχευε κονίην

Χειρὶ τῇ πυμάτην ὀλίγην χάριν, ὄφρα τις εἴπῃ
Παρθένος ὡς ἐλέαιρε τὸν ἔκταγε.

Quod si quis hujusmodi cadaver aliquod insepultum in via sibi temerè fortuitoq́; , ut fit, objectum prætergrederetur, & de glebæ aut pulveris injectione & quidem ter repetitâ gratiam ipsi facere negligeret, fraudem plusquam capitalem , ne piaculum dicam, sibi capitiq́; suo accersere censebatur. Scholiastes Sophocl. in Antigona: ὁ γὰρ νεκρὸν ὁρῶντες ἄταφον, καὶ μὴ ἐναμησάμενοι κόνιν, ἐναγεῖς εἶναι ἐδόκουν. Non obscurè id indicat Horatius lib. I. Od. XXVIII.

At tu nauta vagæ ne parce malignus arenæ
Ossibus & capiti inhumato
Particulam dare. sic quodcunq́; minabitur Eurus
Fluctib. Hesperiis : Venusinæ
Plectantur silvæ te sospite : multaq́; merces,
Vnde potest, tibi defluat æquo
Ab Iove Neptunoq́; sacri custode Tarenti.
Negligis immeritis nocituram
Postmodo te natis fraudem committere? fors &
Debita jura vicesq́; superbæ
Te maneant ipsum. precibus non linquar inultis
Teq́; piacula nulla resolvent.
Quanquam festinas, non est mora longa. licebit
Injecto ter pulvere curras.

Sic etiam apud Dionys. Halicarnasseum, metu piaculi populus Horatiam, quam frater interemerat, nec pater sepulcris majorum

rum dignam censebat, terræ injectione sepelivit: libr. III. Ἀλλὰ οἱ παριόντες αὐτὸν ἐρριμμένον ἐν ᾧ διεχρήσθη χωρίῳ, λίθους ἐπιφορήσαντες καὶ γῆν, ἐκάλυψαν ὡς πρῶτα ἔρημον κηδομένων. Hoc est, *Sed qui præteribant eam jacentem in eo ipso loco, ubi cæsa fuerat, congestis lapidibus & terrâ, ut cadaver destitutum cura domesticorum, sepeliverunt.*

Verumenimverò ejusmodi piaculum *porcâ præcidaneâ* poterat expiari teste Festo: at qui sepulcrorum religionem violasset, in eum etiâ pœna gravis erat constituta; de quâ priusquam agamus, placet nonnulla de Sepulcro violato hic inserere, quamvis Jurisconsultorum propria illa materia, quos dicam statim mihi non scripturos confido, quod quædam interdum ex uberrimis illorum agris in nostra horrea converrero.

CAP. XXII.

Sepulcrorum religio violata Monumenti Demolitione, Habitatione dolosa, Illatione illegitima & Alienatione. Sepulcra hostium non sunt religiosa. Libertis legata relicta ut circa monumentum Domini morarentur. Sepulcra pro latibulis usurpata. Meretrices in sepulcris steterunt. De itinere ad Sepulcrum.

SEpulcrorum religio, quæ in magno antiquis honore habita, variis modis violabatur: quorum alii ad monumentum, alii verò ad corpus ipsum pertinebant.

Monumentum violabatur potissimùm demolitione, habitatione dolosa, illatione illegitimâ, & deniqúe alienatione.

Demolitionem appello, si quis *de sepulcro abstulerit vel saxa, vel marmora, vel columnas aliamve quamcúnq; materiam fabricandi gratiâ*, ut est in L. 1 v. Cod. De Sepul. viol. sive de sepulcro *lapidem moverit, terram everterit, cespitem evellerit, ornamenta quædam triclinijs aut porticibus intulerit*, ut ait L. v. Cod. eodem. sive *statuam è monumento evulserit*, ut loquitur Ulpianus Leg. 11. D. eodem. Eadem fuere in Legibus Solonis, quarum meminit Cicero libr. 11. de leg. *De Sepulcris autem nihil est apud Solonem amplius, quàm ne quis ea deleat, nevè alienum inferat, pœnaq; est, si quis bustum (nam id puto appellari τυμβον) aut monumentum, inquit, aut columnam violarit, dejecerit, fregerit.* Excipiuntur tamen hostium Sepulcra, de quibus Celsus L. 1 v. D. De sep. viol. *Sepulcra hostium religiosa nobis non sunt: ideoq;*

ideoq; lapides inde sublatos in quemlibet usum convertere possumus : nec violati actio competit. Nam aliàs, ut dictum, etiam ipsi lapides erant religiosi, In quam tamen superstitiosam veterum religionem lusisse mihi videtur Laterensis, qui Ciceronem dum Plancii in se merita verbis extolleret, *arcem facere ex cloaca lapidemq; è sepulcro venerari pro Deo* dixerat, ut est in oratione Plancianâ.

Habitatione autem violabatur Sepulcrum si quis in eo *dolo malo habitaverit, ædificiumve aliud quam de sepulcri causâ factum sit, habuerit*, ut est in Edicto Prætoris apud Ulpian. L. III. D. De sep. viol. Rectè autem addit Prætor: *Dolo malo.* Nam alioquin Testatores servis vel libertis interdum legata relinquebant eâ conditione, ne à monumento suo recederent. Unde L. LXXI. §. D. Decondic. & demonstr. *Titio centum relicta sunt ita, ut à monumento meo non recedat.* quam tamen conditionem non in ingenuis sed in libertis tantùm locum habere dicit. quod etiam patet ex L. XVIII. § IV. D. De Aliment. legat. *Cibaria per fidei commissum dederat & ita adjecerat, Quos liber-*

tos meos, ubi corpus meum positum fuerit, ibi eos morari jubeo, ut per absentiam filiarum mearum ad Sarcophagum meum, memoriam meam quotannis celebrent. Præterea etiam alios nonnunquam sepulcris pro latibulis, non autem dolo malo, usos legimus: Nam Democritum Philosophũ sæpe solitudinis causa sepulcra frequentasse, in iisq; noctes ac dies commoratum esse, pręter Laërtium in ejus vita testatur etiam Lucianus in Philopseude, his verbis: Νὴ Δί ἦν δ' ἐγὼ μάλα θαυμαστὸν ἄνδρα τὸν Ἀβδηρόθεν ἐκεῖνον Δημόκριτον, ὅς οὕτως ἄρα ἐπέπεισο μηδὲν οἷόν τε εἶναι συστῆναι τοιοῦτον, ὅς γε ἐπειδὴ καθείρξας ἑαυτὸν εἰς μνῆμα, ἔξω πυλῶν ἐνταῦθα διετέλει γραφὼν καὶ συντάττων καὶ νύκτωρ καὶ μεθ' ἡμέραν. Et de Julio Sabino memoriæ prodidit Xiphilinus in Vespasiano, ipsum aliquot præliis superatum, rus abiisse & ibi se in subterraneum sepulcrum, quod prius ipsemet incenderat, abdidisse: in quo ipsos annos novem delituerit cum uxore, ex eaque duos filios procreârit, omnibus illum jam interiisse opinantibus. Verba Græca hæc sunt: Ἡττηθεὶς μάχαις τισὶν ἔφυγεν εἰς ἀγρόν τινα, κἀνταῦθα εἰς μνημεῖον ὑπόγειον, προκαταπρήσας αὐτὸ, κατέδυ. καὶ οἱ μὲν ᾤοντο κἀκεῖνον ἀπολωλέναι, ὁ δὲ ἐκρύφθη τε ἐν αὐτῷ ἐννέα

ἔτη

ἔτη μετὰ τῆς γυναικὸς, καὶ παῖδας ἐξ αὐτῆς δύο ἀρρένας ἐκύησε. Sic Christianos interdum persecutionum temporibus in sepulcris delituisse, Chrysostomus Homil. XL. ad populum clarè indicat: *Hi quidem*, inquiens, *in monumentis & sepulcris, hi verò in desertis latitabant. Mulieres teneræ & delicatæ continuâ fame detinebantur. Itaque considera, siqua tunc pretiosi sumptus, si qua delitiarum erat delectatio. Subijtne concupiscentia unquam mulierem in sepulcro latentem & expectantem ancillulam, ut veniat prandium afferens, & ne fortè deprehensa sit trepidantem & in timore tanquam in fornace jacentem?* Atque hi quidem omnes absque dolo malo in sepulcris habitabant: ideoque Edictum Prætoris ad eos non pertinet; uti fortè nec ad scorta ac diobolares meretrices, quas frequenter in sepulcris stetisse, notat Martialis libro I. Epigramm. XXXV.

Abscondunt spurcas & monumenta lupas.

Et lib. III. Epigr. XCI. *bustuarias mœchas* vocat hujusmodi lupas inter busta ac monumenta penè in propatulo prostantes, uti rectè explicat Turnebus lib. XIII. Adverss. c. XIX.

Sed

Sed & *Illatione illegitimâ* sepulcrum poterat violari, videlicet, *si quis contra voluntatem testatoris in hereditarium sepulcrum, quamvis heres, inferat*, ut ex L. III. D. De sepul. viol. quam totam supra adduximus, videre est. Item *si quis in alienum sepulcrum mortuum suum alienumve intulerit*, ut est in sententiis Pauli, quas ex vetustiss. libro Vesontione ad se perlato refert Cujac. lib. XXI. obser. cap. XIII. Quare etiam si quis in fundo empto, in quo sepulcrum sit, eò mortuum inferret, sepulcri violati reus erat. Nam etsi quidem nominatim nihil esset exceptum, tamen sepulcrum emptorem fundi non sequebatur, *si modo in id publicum iter transeat*, ex L. LIV. D. De Action Emp. & Venditi. Sed sæpiùs fundi venditor controversiæ cavendæ solebat excipere locum sepulcri ad hoc *ut ipse posteriq; ejus illò inferrentur*, L. X. D. de Relig. & sumpt. Atque hic non possum, quin etjam itineris ad sepulcrum meminerim. Nam loco sepulcri excepto, censebatur etjam hoc exceptum inter ementem & vendentem, *ut ei per fundum sepulturæ causa ire liceret*, Leg eadem. Quanquam non

raro

rarò legib. quoque prædiorum vendendorum solitum caveri, Pomponius scribit, *ut ad sepulcra, quæ in fundis erant, jus eis, aditus, ambitus funeris faciundi causa esset.* L.v. D. De sepulcr. viol. Cujusmodi lex disertis verbis legitur in antiqua Inscript: *HVIC. MONVMENTO. ITVS. ADITVS. AMBITVS. DEBETVR. EX. SENTENTIA. EROTIS. AVG. L. IVDICIS. A. VIA. CAMPANA. PVBLICA. &c.* Fit etjam mentio itineris sepulcro debiti. l. iv. Iter. D. Quemad. servit. amit. & l. xiv. Servit. prædior. D. De Servitut. Hinc Cicero extremam egestatem, in quam filius Sex. Roscii inciderat, indicare volens, ait: *cui de tanto patrimonio prædo iste nefarius ne iter quidem ad sepulcrum patrium reliquisset.* in orat. pro Sex. Rosc. Quod si quis sepulcrum quidem habeat, iter autem ad sepulcrum non habeat & à vicino ire prohibeatur, Antonini Impp. rescripsere, *iter ad sepulcrum peti precario & concedi solere, ut quoties non debetur, impetretur ab eo, qui fundum adjunctum habeat*, teste Vlpian. l. xii. si quis sepulcr. D. De Relig. & sumpt. Et vide ibi plura. Quemadmodum autem itus, aditus, ambi-

ambitus qui sepulcro debetur, non utendo nequaquam amittitur, ut ex dicta l. iv. D. Quemadmod. servit. amitt. videre est: ita etiam *longa possessione jus sepulcri non tribui ei, cui jure non competit*, Vlpianus tradit L. iv. D. De mort. infer. Et hoc manavit ex XII. tab. quæ *forum, id est, vestibulum sepulcri bustumvé usu capi vetabant.* teste Tullio 11. leg. Quæ verba mihi jam quasi in manus dant quartam violati sepulcri speciem,

Alienationem. Nam ut Gordianus Imp. rescripsit, *res religioni destinatas, quin imò jam religionis effectas, scientes qui contigerint, & emere & distrahere non dubitaverint, tametsi jure venditio non subsistat, læsæ tamen religionis inciderunt in crimen.* Hinc venditionib. plerumque hæc lex addi solita: *Si quid sacri, vel religiosi, vel publici est, ejus nihil vænit*, ut docet leg. xxii. & lxxii. D. De Contrah. empt. Et Senatusconsulto cautum erat, ut ait Ulpian. l. xii. D. De Relig. & sumpt. *ne usus sepulcrorum permutationibus polluëretur*, hoc est. *ne monumentum væniret, neque obligaretur, distraherèturue à quoquam*, ut loquitur l. i.

C. De

C. De Sepul. viol. & L. II. & IX. C. De Relig. & sump. Itemque *ne legarentur*, ut l. XIV. C. De Legat. Quin imò interdum in ipsis monumentorum titulis Alienationem expressè prohibitam legimus. ut in particula hujus Lapidis: *HOC. AVTEM. MONVMENTVM. CVM. ÆDIFICIO. NEQVE. VENIET. NEQVE. DONABITVR. NEQVE. PIGNORI. OBLIGABITVR: SED. NEC. VLLO. MODO. ALIENABITVR. NE DE NOMINE. EXEAT. FAMILIÆ. SVÆ.*

CAP. XXIII.

Sepulcrorum religio violata corporis monumento jam illati Contrectatione, Mutilatione, Spoliatione & Translatione. De duobus primis modis hic actum. Incantores cadavera mortuorum amputare soliti. Τυμβάδες. Itemque animas defunctorum ab inferis evocare. Γοητία.

AC Sepulcri quidem ædificium violabatur his modis: qui licet ipsum etiam corpus sepulcro jam illatum attingunt; huic tamen injuria potissimum fiebat, Contrectatione, Mutilatione, Spoliatione, Translatione.

De *Contrectatione* loquitur L. IV. C. Sep. Viol. jubens X. pondo auri fisco inferre eos, *qui corpora sepulta aut reliquias contrectaverint*. Quare etiam in veteribus monumentis reficiendis diligens erat cautio adhibenda, ne corpora contingerentur. Marcianus diserte, L. VII. D. eod. *Corruptum & lapsum monumentum corporibus non contactis licet reficere*. Quod si nudâ cadaveris contrectatione sepulcrorum religio violabatur, quid jam de.

Mutilatione dicemus incantatoribus olim & Magis usitatâ? Nam inter reliqua Magicæ disciplinæ capita, etiam hoc erat, quod cadavera mortuorum amputare, & præsegminibus istis inimicos suos defigere solebant. Quintilianus declam. XV. *Facinus quod dicitur inquietare superos, sidera diris agitare carminibus, tumulos, busta scrutari & amputatis cadaveribus impias in scelus armare manus, fieri non potest, ut auctorem suum non statim primo prodat aspectu.* Apulejus. lib. II. Miles. *Sed oppidò formido cæcas & inevitabiles latebras Magicæ disciplinæ. Nam ne mortuorum quidem sepulcra tuta dicuntur: sed & bustis & rogis reliquiæ quædam &*

cada-

cadaverum præsegmina ad exitiabiles viventium fortunas petuntur. Et libr. III. in descriptione Magicæ officinæ: *Priusquam apparatu solito instruxit feralem officinam, omne genus aromatis, & ignorabiliter laminis literatis, & infelicium manium durantibus calvis: defletorum, sepultorum etiam cadaverum expositis multis admodum membris. hic nares & digiti, illic carnosi clavi pendentium: alibi trucidatorum servatus cruor & extorta dentibus ferarum trunca calvaria.* Eundem Magorum ritum tangit Statius libro IV. Thebaid.

Nostri Cura minor, si non attollere bustis
Corpora, nec plenas antiquis ossibus urnas
Egerere & mixtos calig Erebig sub unum
Funestare Deos libet, aut exanguia ferro
Ora sequi aut agras functorum carpere fibras.

Hinc repertæ in Germanici domo hujusmodi reliquiæ suspicionem plebi præbuêre illius è medio sublati per incantationes: ut annotat Tacitus libro II. Annal. *Reperiebantur solo ac parietibus erutæ humanorum corporum reliquiæ, carmina, & devotiones & nomen Germanici plumbeis tabulis insculptum, semiusti cineres, ac tabe oblita, aliaque maleficia, quis creditur animas*

numinibus infernis sacrari. Nec neglexit Dio: ὁστᾶ γὰρ ἀνθρώπων ἐν τῇ οἰκίᾳ ἐν ᾗ ᾤκει [illegible] ρωρυγμένα, καὶ ἐλασμοὶ μολίβδινοι ἀράς τινας [illegible] τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ ἔχοντες εὑρέθη. Ex hac causa Hesych. veneficas hujusmodi τυμβάδας hoc est, bustuarias vocari ait, quod in monumentis sæpe versarentur, & mortuorum cadavera mutilarent: Τυμβάδας ἔλεγον τὰς φαρμακίδας, ἀπὸ τοῦ περὶ σοῦ τύμβους διατρίβειν, καὶ σοῦ νεκροὺς ἀκρωτηριάζειν. Quæ postrema verba simul mihi in mentem revocant alium veterum ritum, quem homicidæ usurpabant, si quam cædem patrassent; nimirum vel aures, vel nasum, vel etiam corporis partem interfecto solebant abscindere, eamq; sub axilla ferre, existimantes, mortuum ita lacerum reddi omnino invalidum ad sese ulciscendum, ut est apud Hesychium & Scholiastem Sophocl. Electrâ, & alios: qui tamen inter se dissentiunt. Sed de hoc ritu copiosè doctissimus Meursius in commentario ad σκοτεινὸν Poëtam. Nos ad Magos revertamur: quos præsectis & amputatis cadaverum membris vivos incantasse diximus.

Sed & ipsas defunctorum animas, ut

qui

quidem vulgo putabant, magno sacrificiorum apparatu, ac certis quibusdam ceremoniis solebant ab inferis ciere, & futura ab iis exquirere: cujus rei insigne exemplum habemus apud Lucanum lib. VI. de Erichthone Thessala, insigni venefica, quæ rogatu Cn. Pompeji militem recens occisum in vitam revocavit, ut eventum belli Pharsalici ex eo cognosceret. Lactantius hac de re eleganter libro VII. de divino præm. cap. XIII. *Falsa est ergo Democriti & Epicuri & Dicæarchi de animæ dissolutione sententia: quæ profectò non auderent de interitu animarum Mago aliquo præsente disserere, qui sciret certis carminibus ciere ab inferis animas & adesse & præbere se humanis oculis videndas, & loqui & futura prædicere.* Prudentius libr. I. contra Symmachum, de Mercurio:

Murmure nam magico tenues excire figuras,
Aq; sepulcrales scitè incantare favillas,
Vitâ itidem spoliare alios, ars noxia novit.

Tibullus lib. I. Eleg. II.

Hæc cantu finditq; solum, Manesq; sepulcris
Elicit & tepido devocat ossa rogo.

Propertius lib. IV. Eleg. I.

Vmbra neq; hæc magicis mortua prodit aquis.

Sed omnium clarissimè disertissimeque Tertullianus libr. De Animâ: *Publica*, inquit, *jam literatura est, quæ animas etiam justâ ætate sopitas, etiam probâ morte disjunctas & promptâ humatione dispunctas, evocaturam se ab inferorum incolatu pollicetur.* Videtur autem sanctissimus Afer Necromantiam voluisse intelligere, vel Goeticam, quam sic dictam ab ejulatibus sive τῶν γόων, quos ad sepulcra exercent, quibus illa cordi, Cedrenus tradit: Γοητεία, inquiens, καλεῖται ἀπὸ τῶν γόων καὶ θρήνων τῶν περὶ τοὺς τάφους τοῖς τὰ τοιαῦτα ἐπιτηδεύουσι γινομένων. Ad Sepulcra igitur, [in quib. animas plerunq; oberrare vulgo credebatur, teste Lactantio libr. II. cap. II. ut sexcentos alios præteream] magica hæc sacrificia fiebant: Quæ etiam causa est, cur hoc hominum genus busta solitum frequentare: quod de Nasamonibus & Celtis memoriæ prodidit Tertullianus De Anima cap. LVII. *Nasamones*, ait, *propria oracula apud parentum sepulcra mansitando captare, Heraclides scribit. Celtas apud virorum fortium busta eadem de causâ abnoctare Nicander affirmat.* Et Erichthonis veneficæ domicilium in sepul-

sepulchralibus fuisse monumentis, auctor Lucanus lib. VI.

Illi namq; nefas urbis submittere tecto,
Aut Laribus ferale caput, defertaq; busta
Incolit & tumulos expulsis occupat umbris.

Ceterùm quàm gravis in hujusmodi magos sepulcrorum violatores pœna fuerit statuta, videre est ex titulo Cod. De Maleficis & Mathematicis. Quemadmodum etiam sub Constantio & Juliano Impp. *si qui per monumentum transisse vespere malevolorum argueretur indiciis, ut veneficus, sepulcrorumq; horrores & errantium ibidem animarum ludibria colligens vana, pronunciatus reus capitis interibat*, teste Am. Marcellino lib. 19.

CAPUT XIV.

De Spoliatione cadaveris. Pecunia aurumq; cum mortuis conditum: cujus effossores Τυμβωρύχοι *dicebantur. Quæstio*, An Thesauros è monumentis auferre licitum, *discussa*, *Cadaverum spoliatores*, Sacrilegi, *ac* Fures *vocati.*

SEquitur jam *Spoliatio cadaveris*, quæ erat, si quis res cum mortuo conditas è monumento clam auferret. Non enim vim suam obtinuit Lex XII. tab. quæ aurum addi mortuo vetabat. Extat illa apud

Ciceronem lib. II. Leg. *Qua in lege cum esset, Neive aurum addito : quàm humanè excipit altera lex : Aſt quoi auro dentes vincti sient, im cum ollo sepelire urereve se fraude esto.* Sensus est, non licere aurum cum quoquam mortalium condi, extra quam si quis dentes habeat auro vinctos, tum licere; puta, ne sit opus ut insitii isti dentes cadaveribus detrahantur eximanturvè. Mos enim erat antiquitus, ut edentuli eburneos sibi dentes insererent, eosque auro vincirent ne possent excidere: Unde Lucianus alicubi; πτέρυγες ἐπ λοιπὰ ὀδόντας ἔχουσης, χρυσίῳ καὶ τούτους ἐνδεδεμένους, hoc est, *quæ quatuor modò reliquos dentes haberet, eosq; auro vinctos.* Martialis libr. I. Epigr. LXXIII.

Sic dentata sibi videtur Ægle
Emptis ossibus Indicoq; cornu.

Et alibi sæpe ludit idem auctor in dentes hujusmodi exemptiles: ut lib. V. Epigram. XLIV. de Thaide & Lecania. libr. IX. Epigr. XXXVIII. in Gallam. libr. XIV. Epigram. LIV. lib. XII. Epigr. XXIII. in Læliam. Sed ut dixi, quemadmodum pleraque alia, ita etiam hoc legis Decemviralis caput exolevit,

levit, ac sepulcris illatæ sunt non vestes solùm aliaque ornamenta: sed & aurum pecuniaque pro cujuslibet ferè arbitrio ac voluntate. De vestibus quidem supra satis multa diximus:

Jam de pecuniis aureaq; suppellectile pauca: quam partim luxus, partim securitatis gratiâ in monumentis nonnunquam depositam & cum ipsis mortuis tantum non sepultam ex variis autorum locis constat. Terentius in prologo Eunuchi:

—— unde esset thesaurus sibi,
Aut unde in patrium monumentum pervenerit.

Ex quo ritu est jocus Plautinus in Pseud. Act. I. Sc. IV.

Ex hoc sepulcro vetere viginti minas
Effodiam ego hodie, quas dem herili filio.

Ac hujusmodi sepulcris inscribi solitum: I. M. I. ST. ABSC. hoc est, *in memoria ista sunt bona abscondita.* Item: IN. HC. MM. S.P. SN. F N. hoc est. *in hoc monumento sunt pecuniæ sine fine.* ut interpretatur Petrus Diaconus in Notis. Et post illum Manutius. Quanquam malim credere notis istis aliud fuisse significatum, non hoc quod illi affirmant. Neque enim vero simile est veteres tanto animi

stupore fuisse præditos, ut quas à furum injuria tutas opes studiosiùs condidissent, easdem indice titulo stolidè eorum cupiditati proderent. Non possum hic silentio præterire, quod Elias Vinetus in Epist. XI. Ausonii annotavit, anno à Christo nato CIↃ IↃ XLI. mense Januario Varsii, qui parvus vicus est ad octo millia passum supra Engulismam in Aquitania II. repertam esse in monumento quodam arcam plumbeam, in qua corpus humanum sepultum fuerit, tectum quidem tenui pelliculâ araneæ instar, sed cum lucem accepisset, ea continuò evanuit, solis restantibus ossibus. Cum verò ossa illa & quicquid pulveris in illa arca fuit, diligentius excuteretur, si quid fortè pretiosius lateret, repertum esse nihil, præterquam quâ parte pectoris humani cor locum habet, bracteam ex purissimo auro, quæ perquam tenuis, longior quàm latior & ab altera parte latior, semiducatum Gallicum pendens & non plus eo. Illa autem in teretem formam complicata erat. quæ ubi explicata fuit, in ea hæc impressa fuerunt, quæ scalpturam præ tenuitate ferre non potuerat:

AEHI-

A E H I O Υ Ω
Ω Υ O I H E A
E H I O Υ Ω A
Υ O I H E A Ω
H I O Υ Ω A E
O I H E A Ω Υ
I O Υ Ω A E H

Græcæ vocales sunt septem, totidem repetitæ versibus. In primo eundem ordinem servant, quem in suo Alphabeto retinent. In secundo inversus ordo est. In tertio secunda primi versus litera prima est, quam aliæ deinceps consequuntur. In quarto secundi secunda, prima. In quinto tertia primi versus prima est. In sexto tertia secundi versus prima est. In septimo deniqúe versu primum occupat locum ea litera, quæ in primo & secundo versu quarta invenitur. In hoc ergo quadrato alia notet arcana & divinet Pythagoræus quispiam. Quod me attinet, eum ego hominem jucundo & eleganti ingenio fuisse arbitror: qui eos riserit, qui magnos thesauros secum condi volunt, & memoriam sui nominis immortalem putant se efficere, si epitaphiis & inscriptionibus variis sepulcra exornent: atque ideo bracteolam so-

Iam istam reliquerit, quæ si reperiretur, posteros exerceret, dum quærerent, quid sibi vellent istæ solæ vocales & tot modis replicatæ.

Defossam igitur cum mortuis pecuniam vestesque & alia hujus generis hinc liquet, quarum rerum cupiditate illecti qui sepulcra effodere & eas inde clam tollere non verebantur, Τυμβωρύχοι dicti sunt. Hesychius: Τυμβωρύχος, λωποδύτης νεκρῶν. Synesius Epist. CXLIII. ἡγοῦμαι δ' ἀσεβέστερον ἐπιθανόντων λόγῳ κλέπτειν ἢ ζωμάλωτα, ὃ καλεῖται τυμβωρυχεῖν. Sextus Philosophus eum etiam in bonam partem accipi affirmat, lib. contra Mathematicos, cujus verba Latina adscribam, cum Græca non liceat: *Dicitur enim* τυμβωρύχος *& qui hoc facit ad spoliandos mortuos & qui mortuis fodit sepulcra. sed prior quidem punitur, ut qui hoc agat malâ affectione: secundus verò etiam mercedem accipit suæ operæ & ministerii propter causam, quæ alteri causæ adversatur.* Hoc autem qui facerent, Sepulcri religionem violabant. Phædrus fab. XXVII.

Humana effodiens ossa, thesaurum Canis
Invenit, & violavit quia manes Deos,

Inje-

Injecta est illi divitiarum cupiditas,
Pœnas ut sanctæ religioni penderet.

Et apud Quintil. declam. CCCLXIX. sepulcri violati reus, quod arma sustulisset, ita excipit: *Sed quid sustuli? aurum credo aut defossam pecuniam? arma &c.* Hinc etiam Theodoricus Rex apud Cassiodorum libr. IV. Variar. Epist. XLIX. Annæ Comiti inquisitionem committit contra presbyterum, qui auro perscrutando cineres mortuorum effoderat. *Dudum*, inquit, *ad nos multorum suggestione pervenit, Laurentium presbyterum effossis cineribus funestas divitias inter hominum cadavera perscrutatum: concussionemq; mortuis intulisse, quem oportet viventibus quietam prædicare. Non abstinuisse perhibetur tam crudeli contagio piis dicatas consecrationibus manus, auru execrabili quæsisse fertur affectu, quem suam decuisset egentibus dare substantiam, vel sub æquitate collectam. Quod te diligenti examinatione præcipimus indagare.* Et jure Pontificio cautum est, non licere sepulcra Judæorum invadere vel corrumpere vel obtentu pecuniæ corpora humata effodere, cap. IX. *sicut.* De Judæ. & Sarac. Celebris hoc crimine olim Gala-

Galatarum gens, de qua Plutarchus in Pyrrho: οἱ δὲ Γαλάται γένος ἀπληστότατον χρημάτων ὄντες, ἐπέθεντο τῶν βασιλέων αὐτόθι κεκηδευμένων τοῦ τάφους ὀρύττειν καὶ τὰ μὲν χρήματα διήρπασαν, τὰ δὲ ὀστᾶ πρὸς ὕβριν διέῤῥιψαν. De Carone Vticense etiam nescio quis falsò scripsit *cineres eum mortui Cæpionis cribrasse, aurum combustum quærentem.* teste eodem Plutarcho in vita Catonis.

Ceterùm si rem paulò diligentiùs ponderemus, patet pecunias in monumentis abstrusas erui ab iis quibus jus est, posse, nec sepulchri religionem ullo modo violari, modò ne qua cineribus injuria fiat, aut ossa extrahantur. Rectè enim Marcianus L. Julia IV. D. Ad leg. Jul. pecul. *Non sit locus religiosus, ubi thesaurus invenitur. nam etsi in monumento inventus fuerit, non quasi religiosus tollitur. Quod enim sepelire quis prohibetur, id religiosum facere non potest. At pecunia sepeliri non potest; ut & mandatis Principum cavetur.* Et quod hic de pecunia dicitur, etiam de vestibus intelligi debet, præeuntibus nobis eodem Marciano l. CXIII. Servo D. De Leg. I. *Ineptas voluntates defunctorum circa sepulturam,*

(ve-

(*veluti vestes aut si qua alia supervacua ut in funus impendantur*) *non valere, Papinianus libr. III. Responsorum scribit.* Et Vlpiano lib. XIV. D. De Relig. & sumpt. *Non autem oportet ornamenta cum corporibus condi nec quid aliud hujusmodi, quod homines simpliciores faciunt.* Et sic Hircanus è Davidis sepulcro tria millia talentorum abstulit: unde Egesippus libr. I. de Excid. urbis Hierosolym. cap. I. *Repulit Hircanus auro, quem ferro nequibat, reseratoq; ut Josephus autor est, Davidis sepulcro, tria millia auri talenta eruit.* Locus autem Josephi est lib. XIII. Antiq. Judaic. cap. XV. Sed audiamus causas à Theodorico Rege apud Cassiodorum libr. IV. Var. Ep. XXXIV. quâ Dudę Sajoni jus concedit investigandi thesauros, qui in sepulcris reperiri possent; locus est elegantissimus, & dignus ut hic exscribatur. *Prudentia mos est, in humanos usus terris abolita talenta revocare, commertiumq; viventium non dicere mortuorum: quia & nobis in fossa pereunt & illis in nulla parte profutura linquuntur. Metallorum quippe ambitus solatia sunt hominum. Nam divitis auri vena similis est reliquæ terræ, si jace-*

jaceat: usu crescit ad pretium: quando & apud vivos sepulta sunt, quæ tenaciùm manibus includuntur. Atq; ideo moderata jussione decernimus, ut ad illum locum, in quo latere plurima suggeruntur, sub publica testificatione convenias: & si aurum, ut dicitur, vel argentum fuerit tua indagatione detectum, compendio publico fideliter vindicabis: ita tamen ut abstineatis à cineribus mortuorum. Ædificia tegant cineres, columnæ vel marmora ornent sepulcra, talenta non teneant, qui vivendi commertia reliquerunt. Aurum enim sepulcris justè detrahitur, ubi dominus non habetur: imò culpæ genus est, inutiliter abditis relinquere mortuorum, unde se vita potest sustentare viventium. Non est enim cupiditas eripere, quæ nullus se dominus ingemiscat amisisse. Thesauros igitur in sepulcris abditos impunè posse erui, hinc videre est. Sed addidi, *ab iis, qui eruendi jus habebant.* Nam absque hoc qui pecuniam è monumento auferret, Sacrilegus audiebat. Vetus Poëta;

Plutoni sacrum munus ne attingite fures.

Et alibi: *Abite hinc pessimi fures.*

Et in Cod. Theod. lib. v. *Proximum sacrilegio*

gio crimen dicitur. Appellabantur etiam *Fures*, qui sepulcra spoliarent. In veteri Monument.

Res ea sacra, miser, noli mea tangere fata,
Sacrilegæ bustis abstinuêre manus.

CAP. XXV.

De Translatione mortuorum: quæ duplex, Licita & illicita. hâc Sepulcrorum religio violabatur, illâ verò minimè. De sepulcris cognoscebant Magistratus loci, Princeps, Collegium Pontificum, Tribunus pleb. Comes privatarum. In patria sepeliri velle, omnibus innatum. Corpora quæ transferuntur in urbem ferri nefas. Immunia etiam sunt à vectigalibus. Proverbium κᾶν ἀπὸ νεκρῶ φέρει.

REstat ut jam de *Translatione* mortuorum agamus: quâ ipsâ quoq; religionem sepulcrorum nonnunquam violari diximus. Græci ἀνακομιδὴν vocant. Scholiast. Æschyli in septem ad The. Ἀνακομιδή, inquit, ἡ ἐκ τάφου εἰς τάφον μετάθεσις. Erat duplex: Licita & illicita. Hæc, si corpus perpetuæ sepulturæ esset traditum: Illa, si ad tempus alicui loco commendatum.

Perpetuæ sepulturæ tradita vel corpora vel reliquiæ alio transferri non poterant sine sepulcri violatione. Marcianus L. 39. D. De Relig. *Divi fratres edicto admonuerunt,*

runt, ne justæ sepulturæ traditum, id est, terræ conditum corpus inquietetur. videtur autem terra conditum, & si in arcula conditum hoc animo sit, ut non alibi transferatur. Epitaph. An. Crestinæ: NE. QUIS. NOS. INQUIETET. EX. ARCA. NOSTRA. NEQUE. AB. ANTE. ALIAM. PONAT. AUT. COMMUTET. Hinc etiam nonnullis monumentis inscripta legimus hæc verba: PERPETUÆ SECURITATI, ut videre est in Inscriptionibus Augustanis, quas Amplis. Marcus Welserus, Germaniæ nostræ ornamentum, edidit. Paulus Jurisconsultus *æternam sedem* vocat hujusmodi sepulcra, L. IV. D. De Religios. Et in quibusdam vetustis lapidibus DOMUS ÆTERNA dicitur, ut annotavit Clarissimus Vir Radulphus Fornerius Gul. F. Antecessor Aurelianensis, amicus noster singularis, libr. III. Rer. Quotid. cap. VI. Hujusmodi sepulturæ igitur traditum corpus, ut dixi, transferre aliò non licebat, nisi si justa causa interveniret, ut erat *incursus fluminis*, vel *metus ruinæ*, L. I C. De Religios. & Paulus lib. I. sentent. apud Cujac. lib. XXI. Observat. cap. XIII. Et tum translatio sole-

solebat impetrari ab iis, quorum hac de re erat cognitio: puta A magistratu loci d. L. 1. C. De Rel. *existimatione rectoris provinciæ transferre eas in alium locum poteris.* vel A principe, L. 11. D. De cadav. punit. *Nec licet eum inde transferre alicubi & sepelire inconsulto principe.* Et L. XIV. C. De Religios. *Nemo humanum corpus ad alium locum sine Augusti affatibus transferat.* vel A Pontifice: Vetus Inscriptio: RELIQUIÆ. TRAIECTÆ. EIUS. III. NONAS. FEBR. EX. PERMISSU. COLLEGII. PONTIFICUM. FACTO. PIACULO. Plinius lib. x. Epistol. LXXIII. Et sanè aliàs, quæ ad sepulcrorum jura pertinebant, de iis Pontificum erat cognitio. unde Cicero II. Leg. *Sic decretum à Pontificum collegio, non esse jus in loco publico fieri sepulcrum.* videndus & Dio lib. XLIIX. de Oppii reliquiis. Postquam verò Augustus Cæsar pontificatum maximum Imperio junxit, ejusq; exemplum reliqui Imperatores secuti sunt, pontificalis hæc cognitio quoq; ad Principes, qui sub Imperatoris nomine rei Romanæ præfuerunt, simul transiit: unde non semel etiam à Jurisconsultis hæc duo con-

junguntur; ut lege VIII. ossa. D. De Relig. & Sumpt. ac L. V. Hereditas. D. De petit. heredit. Invenio tamen interdum in ea re Tribuni pleb. auctoritatem interpositã, ut testatur vetus hæc Inscriptio: EUSCHEMUS. CONSOBRINÆ. SAMARIÆ. ATETHUSA. IISDEM. CORPORIBUS. TRALATIS. PERM. TRIB. PLEB. Item alia: RELIQUIÆ. TRANSLAT. PERMISSU. TRIB. PL. Sed & Comitibus privatarum incubisse hanc curam, ne sepulcra violárentur, discimus ex Cassiodoro, qui lib. VI. Var. Epist. IIX. sic scribit: *Defunctorum quin etiam sacram quietem æquabilia jura tuæ conscientiæ commiserunt: ne quis vestita marmoribus sepulcra nudaret: ne quis columnarum decorem irreligiosa temeritate præsumeret: ne quis cineres alienos aut longinquitate temporis aut voraci flamma cõsumptos, scelerata perscrutatione detegeret: ne corpus quod semel reliquerat molestias mundanas, humanas iterum pateretur insidias. Nam etsi cadavera furta non sentiunt, ab omni pietate alienus esse dignoscitur, qui aliquid mortuis abrogasse monstratur. Vide quæ tibi commissa sũt, castitas viventium, & securitas mortuorũ.*

Quod

Quod verò corpora jam attinet ad tempus alicui loco commendata, ea liberè transferre erat licitum. Ulpianus ad edictum l. III. D. De sep. viol. *Non perpetuæ sepulturæ tradita corpora posse transferri, edicto Divi Severi continetur.* Dioclet. & Max. Impp. L. x C. de Relig. *Si nec dum perpetuæ sepulturæ corpus traditum est, translationem ejus facere non prohiberis.* Non tamen hoc sine permissu eorum, quibus permittendi jus erat, fieri licuisse, ut credam, pervincit me libellus, qui super hac re Severo principi oblatus est, his verbis: *Cum ante hos dies conjugem & filium amiserim, & pressus necessitate corpora eorum fictili sarcophago commendaverim, donicum is locus, quem emeram, ædificaretur, via Flaminia inter miliare secundum & tertium, euntibus ab urbe parte lævâ, custodia monumenti Flavij, tumulus ante solum Cælij Orcilij: rogo Domine, permittas mihi in eodem loco in marmoreo sarcophago, quem mihi modo comparavi, ea corpora colligere, ut quando & ego esse desiero, pariter cum his ponar.*

Decretum.

Sepulcrum fieri placet. Jubentius Celsus Promagister suscripsi III. Nonas Novembris

Antio Pollione & Opinio Coss. ordinariis Severo & Sabino Coss.

Ad hanc Licitam Translationem pertinet & illa, qua defunctus reliquiæve ejus ex peregrinâ terrâ, ubi extremum vitæ diē clauserat, in patrium monumentum vel locum quem vivus sibi destinaverat, solebant portari. Erat enim hoc, quod hodieq; est, plerisq; omnibus innatum, ut in gentis suæ sepulcro condi optarint. L. Alumnæ D. De Alimentis leg. *Ab heredibus petierat, ut si in provincia discessisset, sexaginta Lucio Titio darentur, ut is corpus ejus curaret in patriam reportari.* & quæ sequuntur. Et enim infelicitatis loco habitum, si cui externâ in regione mortuo patrii sepulcri carendum esset. unde Catullus:

Quem nunc tam longè non inter nota sepulcra,
Nec prope cognatos compositum cineres.
Sed Troia obscœna, Troja infelice sepultum
Detinet à nostro terra aliena solo.

Quin imò pœna fuit apud Abderitas, decoctores in patria non sepelire. Laërtius de Democrito lib. IX. Νόμος ἦν οὗτος τὰναλωσαντας τὴν πατρῴαν οὐσίαν μὴ ἀξιοῦσθαι ταφῆς ἐν τῇ πατρίδι. Dicti sunt autem à Græcis Ἀπόφθοι, quibus patrio sepulcro condi non potuit con-

contingere. Harpocration: Ἀπόταφος ἀντὶ τοῦ ἀπεστερημένος τῶν προγονικῶν τάφων. Ne quis autem hunc erga patriam, vel avita monumenta affectum miretur & tantùm non culpet in Ethnicis, etiam priscus ille Josephus ossa sua ex Ægypto in Syriam asportari jussit, ubi patrem antea sepeliverat, ut testatur historia sacra. Sed & cives propinquos suorum civium & propinquorum peregtè mortuorum ossa ac cineres magno desiderio repetisse legimus. Quod de Poëta Euripide Atheniense apud Macedones mortuo, factum legitur: quanquam nihil hic impetrare potuerunt Athenienses. Sic Æmilii Arborii Rhetoris Constantinopoli mortui corpus Imperator Burdegalam transferendum curavit: unde Ausonius:

Illic dives opum, doctoq; ibi Cæsare honorus
Occumbis, patribus Magne superstitibus.
In patriam sed te sedem ac monumenta tuorum,
Principis Augusti restituit pietas.

Et de Sedato Rhetore idem Ausonius:

Quamvis externa tamen à regione reducit
Te patria & civem morte obitâ repetit.

Ado Viennensis quoque autor est Lugdunenses pio amore sollicitos ossa Justi Episcopi sui usque Ægypto ad urbem suam repor-

reportasse, in Chronico sub Actis Anni CCCLXXIX.

Sed quia de reliquiis ex loco peregrino in patriam portatis supra etiam cap. VII. satis copiosè egimus: jam ceteras Translationis ceremonias exequemur. Impetrata igitur Translatione, si quidem antea transferre non licuerat, priusquam corpus loco moveretur, sacrificia solemnia reddenda fuisse, tradit Paul. Jurisconsultus I. sentent. apud Cujac. lib. XXI. Obser. c. XIII. Deinde etiam edicto D. Severi mandatum erat, *ne corpora detinerentur aut vexarentur aut prohiberentur per territoria oppidorum transferri*, L. III. D. de sep. viol. Per territoria dicit: non enim in urbes ferri licuisse ex Sozomeno discimus, qui Amelii reliquias, cum Antiochiam deportarentur, per totam viam jussu Principis intra mœnia civitatum receptas fuisse contra mores Roman. disertè scribit libr. VII. cap. X. Λέγεται ἡ Ἀμελίου πάσης τῆς λεωφόρου καὶ βασιλέως πρόσταγμα ἐντὸς τειχῶν εἰς τὰς πόλεις εἰσδεχθῆναι παρὰ τὸ νενομισμένον Ρωμαίοις. Quo loci quod ultima hæc verba *more Romano* interpretatur Onuphrius lib. de Cœmiteriis cap. XV. insignem

gnem esse magni viri oscitantiam, norunt qui Græcas literas norunt. Atq; hinc intelligimus, non vulgare genus honoris fuisse, qui delatus Augusto, cujus *corpus Decuriones municipiorum & coloniarum à Nola Bovillas usq; deportarunt noctibus propter anni tempus, cum interdiu in basilica cujusq; oppidi, vel in ædium sacrarum maximâ reponeretur.* teste Sueton. in ejus vita.

Quod si verò defuncti corpus in itinere per ipsos vicos vel oppida transvectum fuerit, *nullam tamen pœnam meruisse eos*, qui hoc fecerint, Divus Marc. Imp. rescripsit, *quamvis talia fieri sine permissu eorum, quibus permittendi jus est, non debeant.* ut ait L. III. D. de sep. viol.

Sed & à vectigalibus immunia erant corpora, quæ aliò transferebantur. ut patet ex Græca constitutione, quam Cujac. lib. XI. Obser. c. XXI. edidit ex lib. LIX. Βασιλικῶν his verbis: ἐν ὁλενὶ τόπῳ ὁλὲν τέλος παρ' ἑτέρου προσώπου ὑπὲρ τῶν ἀψυχομιζομένων σωμάτων παρέχεσθαι. *In nullo quopiam loco vectigal ab aliqua persona pro corporib. ex uno in alium locum translatis præstetur.* Fuisse tamen, qui à mortuis tributum exigerent, proverbium indicat,

κἂν ἀπὸ νεκρῶ φέρει, quod est apud Aristot. lib. II. Rhetor. Quanquam & de iis intelligi proverbium potest, qui mortuos venderent, quod Achillem fecisse notat Virgil. lib. I. Æneid.

Exanimumq; auro corpus vendebat Achilles.

Qui etiam hac de causa νεκροπέρνας à Lycophrone appellatur. h. e. *mortuorum venditor.* Allusit huc Lactantius lib. III. *Scilicet aurum pendere debet pro mortuo Hectore.* Vide Homer. Iliad. ω. ut alios mittam. Cicero quoque Verri hoc crimen objicit Actione VII. quòd, cum multos in Sicilia occidisset, cadavera non nisi accepto pretio, patribus & cognatis ad sepulturam redderet. Simile quid de Commodo Antonini F. narrat Lampridius: *Multi subeo & alienam pœnam & suam salutem pecunia redemerunt. Vendidit etiam suppliciorum diversitates & sepulturas & imminutiones malorum & alios pro aliis occidit.* Videndus de hoc proverbio Autor adagiorum, qui multis super eo declamat.

Cap. XXVI.

Pœna violati Sepulcri Mors, Exilium, Pecunia, Manus amputatio. Temperata ea juxta magnitudinem facti & ra-

& rationem Personarum. Sepulcrorum violatores divinitus puniti.

QUot modis potissimùm Sepulcra violarentur, ex dictis constat. jam pœnam quoque hujus delicti considerabimus. At de Actionibus quidem in Sepulcri violatores Jurisconsulti videantur: nobis scire sat est, agere licuisse in eos, qui violati Sepulcri crimen admisissent. Seneca libr. IV. Controv. IV. *Sepulcri violati sit actio.*

Inter genera verò pœnarum, quibus Sepulcri violatores coërciti, præcipua hæc erant: Mors, Relegatio, Damnatio ad metallum, Deportatio, Pecunia, Manus-amputatio. Sed ut in plerisq; omnibus animadversionibus, ita hic quoq; & facti & personarum habitam rationem reperio.

Nam ut à Clericis ordiar, hos perpetua deportatione punitos discimus ex Novella Valentiniani, quæ extat in Cod. Theodos. tit. V. De Sepulcris: *Clericos verò, quos tam diri operis constiterit autores, dignos credimus majore supplicio. Vehementius enim coercendus est, quem peccasse miseris scelus omne gravius facit claritudo personæ. Intolerandum, nimis execrabile, non ferendum, induere no-*

men & titulum sanctitatis & abundare criminibus. Quisquis igitur ex hoc numero sepulcrorum violator extiterit, illico Clerici nomen amittat, & sic stylo proscriptionis addictus, perpetua deportatione plectatur. Quanquam mitiùs cum illis agit Concilium Toletanum IV. Can. XLV. *Si quis clericus in demoliendis sepulcris fuerit deprehensus, quia facinus hoc pro sacrilegio legibus publicis sanguine vindicatur, oportet Canonibus in tali scelere proditum à clericatus ordine submoveri & pœnitentiæ triennio deputari.*

Servi autem & tenuioris fortunæ homines puniebantur relegatione vel damnatione ad metallum, si tantùm demoliti fuerint sepulcra, ex L. Constantii C. De sep. viol. *Si servus in demoliendis sepulcris fuerit deprehensus, si id sine domini scientia faciat, metallo addicatur: sin verò domini auctoritate vel jussione urgetur, relegatione plectatur.* Si verò etiam sepulcra effoderint & extraxerint ipsa corpora, afficiebantur morte. Paulus L. XI. D. de sep. viol. *Rei sepulcrorum violatorum, si corpora ipsa extraxerint vel ossa eruerint, humilioris quidem fortunæ summo supplicio afficiuntur.* Et Novella Valentiniani

in

in C. Theod. d. loco: *Quisquis igitur sepulcra profundæ violator quietis & lucis hostis effoderit, quisquis ex his qualibet aut marmora aut saxa sustulerit, pœnæ mox habeatur obnoxius. Servos colonosq; in hoc facinore deprehensos duci protinus ad tormenta convenit: si de sua tantum fuerint temeritate confessi, solvant commissa sanguine suo. si dominos inter supplicia nullo interrogante innexuerint, pariter puniantur. Ingenui quoq; quos similis præsumptio reos fecerit, si fortasse plebeij & nullarũ fuerint facultatum, pœnas morte persolvant.*

Honestiores jam quod attinet, etiam illi, ut puto, mulctabantur morte, si armatâ manu sepulcra spoliassent, latronum more, ex rescripto D. Severi; ut ait Ulpianus Leg. III. §. VII. D. eodem. Si absque armis, vel pœna metalli, ut est in Lege eadem: vel Exilio, ut Lege XI. D. eodem: vel Pecuniâ. Nam etsi quidem Macer Jurisconsultus generatim affirmat, *de sepulcro violato actionem quoque pecuniariam dari.* Leg. IX. D. eodem, ad ditiores tamen id restringendum est verosimile. In pecuniaria verò pœnâ mirè variatum. Ulpianus L. III. §. VIII. eam statuendam ait *ex injuria, quæ facta est: item*

item ex lucro ejus qui violavit: vel ex damno quod contigit; vel ex temeritate ejus qui fecit. h. e. ex eo quod æquum judici videbitur, dum tamen non minoris reum condemnet judex, quàm in aureos centum sepulcro violato, vel ducentos, sepulcro inhabitato aut inædificato: quæ pœna Edicto Prætoris fuit definita, dicta Leg. 111. Constantius autem Imp. sepulcri violatorem xx. *pondo auri fisco inferre* jubet, ut rectè ex Basilicis legendum putat Cujacius: quam ipsam etiam pœnam statuit in *locorum judices, si hoc vindicare neglexerint*, ut est in Leg. 11. & 1v. Cod. De sepulcr. viol. Idem Imperator etiam sancivit, *ut villa, sive domus aut ædificium quodcunq; esset, fisci juribus vindicaretur*, in qua domo aliquid reperiretur, quod de sepulcro esset detractum, ut est in Leg. 2. Cod. eodem.

Quid? quod etiam in titulis monumentorum non rarò certam pecuniæ summam pœnæ nomine jubebantur vel arcæ Pontificum vel ærario populi Rom. persolvere, qui quacunq; alienatione sepulcrum contra testatoris voluntatem alienassent, ut ex nonnullis Inscriptionibus videre est,

qua-

quarum una hæc est : AUR. MAXIMIANUS. AUR. OLYMPIADI FIL. DULCISSIMÆ. QUÆ. VIX. AN. XXII. M. X. D. XXVI. ET. PUBLICIÆ. CARPODORÆ. EIUS. ET. LIB. LIBERTABUSQUE. SUIS. POSTERISQUE. EORUM. F. SI. QUIS. HOC. SEPULCRUM VEL MONUMEN. CUM. ÆDIFICIO. UNIVERSO. POST. OBITUM MEUM. VENDERE. VEL. DONARE. VOLUERIT. VEL. CORPUS ALIENUM INVEHERE VELIT. DABIT. POENÆ. NOMINE. ARCÆ. PONTIFICUM. HS. C. ET. IS. CUI. DONATUM. VEL. VENDITUM FUERIT. EADEM. POENA. TENEBITUR. Item alia : CN. TREMELIUS. TROPHIMUS. FECIT. SIBI. ET. FLAVIÆ. PROBÆ. CONIUGI. CUM. QUA. VIXIT. ANNIS * LIBERTIS. LIBERTABUSQUE. POSTERISQUE. EORUM. SI. QUIS. AUTEM. HOC. VENDERE. VOLUERIT. ARKÆ. PONTIFICUM X. MILLIA. NUMUM. INFERET. VEL. SI. QUIS. ALIENUM. CORPUS. SIC. INTULERIT.

POE-

Poenam. Supra. Scriptamque. Item alia: Coniugi. Carissimæ. Et. Sibi. Et. C. Marcio. Victori. Et. Libertis. Libertabusque. Suis. Posterisque. Eorum. Ne. Nomine. Meo. Exeat. Quod. Si. Quis. Id. Monumentum. Partemve. Eius. Vendere. Vel. Donationis. Causa. Cui. Mancipare. Voluerit. Aliove. Quo. Nomine. Eius. Monumenti. Partem. Alienare. Temptaverit. Dare. Damnas. Esto. Ærario. Populi. Ro. HS. XV. M. N. Et. Collegio. Pontificum. HS. XV. MN. Et hoc amplius bona quoque eorum, qui alienassent, Reipubl. addici solita reperio, ut in hac Inscripr. Brundusina. M. Lollius. Arphocras. V. F. S. Et. Pælinæ. Vxori. V. Et. Lib. Libertab. Post. Q. Eorum. M. S. S. E. H. N. S. Neque. Vlli. Liquebit. Locationis. Causa. In. Annis. Centum. Quandoque. Transvendere. Quod. Si. Qui.

Qui. Adversus. Id. Fecerint. Eorum. Bona. Pertinere. Debebunt. Ad. Rempublicam. Brundisinorum.

Non opinor ἀπεσδιόνυσον fuerit huc adscribere vetustam illam formulam sententiæ Judiciariæ, qua Alfenus Senecio Subpræfectus classis primæ Misenatium ad tutelam inferi maris ab Augusto constitutæ, heredes Patulcii Diocletis, qui dirutis sepulcris locum religiosum Ætio Abascantio tanquam purum vendiderant, propter neglectam religionem multat pretio & usuris centesimis duplicibus cum anatocismo, ut ex ea pecunia pauperes milites classis primæ Misenatium non collato ære ægroti curentur: locum verò ipsum Rufino militi emptoris heredi aufert & publicum facit in usum sepeliendorum militum ejusdem classis. Sed placet sententiam ipsam integram proponere, ut est in tabella marmorea, quæ Neapoli visitur in ædibus Hadriani Gulielmi:

In. His. Ædificiis. Et Locis
Puris: Adjacentibus. Ædificis Sive. Is. Locus.
Ager. Est

Æli.

Æli. Rufini. Militis.

Cujus. Se. Possessorem. Esse. Ex. Causa. Emptionis. P. Æli. Abascanti. Patris. Sui Alfenio. Senecioni. Subpræf. Class. Pr. Mis. Probavit. Et. Meruit. Sententiam. Quam Iussu. Ejusdem. Senecionis. Subpræf. Huic. Titulo. Proscripsit.

Senecio C. C. C. dixit

Necessariam. Fuisse. Inspectionem. Ædificiorum. Et Loci. De. Quibus. Apud Me. Actum. Est. Reipsa. Manifestatur. Cum Igitur Ædificia. Solo. Puro. Posita. Deprehenderim. Neque ullo Sepulcro. Superposita. Vel. Conjuncta. Apparet. Venditionem. Eorum. Iure. Factam. Ideoq; Ad. Ælium Rufinum. Militem. Ex. Causa. Emptionis. Pertinere. Videtur. Loci. Vero. Sive Agri Quem Adiacentem Ædificiis Ælius Abascantus. Pater. Rufini. Ab. Heredibus. Patulci. Diocletis. Æque. Mercatus Est. Quum. Habeat. Plurima. Et Dispersis. Locis. Sepulchr. Ius. Per. Venditionem Transferri. Ad. Emptorem. Non. Potuisse. Et Cum. Pater. Rufini. Et Postea. Rufinus. Quamquam. Non. Iure. Facta. Emptione. Semper. In. Possessionem. Fuerint. Nullo. Iure. Eum. Locum. Vindicare. Sibi. Patulcij. Possint. Planè. Cum.

In.

*In. Re. Præsenti. Inspexerim. Obliturat*um.
*Adq. Erasum. Patulci Dioc. Nomen. Et Re*manere. *Inscripta Capita. Quædam Expri*mentia. *Hæc. Verba.* Actius Dioc. Patul.
Dioc.
F. cum. Fratribus. Qui Nunc. Hic Adsunt.
Vendunt. P. Ælio. Abascanto
Locum. Purum. In. Quo. Nulla. Sepulcra.
Jacta. Superposita. Neq; Conjuncta
Apparent. Lib. Nep. Pronep. Q. Et. Reliqua. *Ob contemptum Famen. Religionis*
Rufinus. P. Æli. Abas. F. Agro Privetur.
Fiet q; Pub. sepeliendorum Militum
Class. Pr. Mis. In. Usum. Heredes. Vero. Patul. Dioc. Mulctentur sorte
Una Cum Anatocismo. Binæ. Centesimæ. Usuræ. Propter. Neglectam
Religionem. Sepulcrorum. Clam. Dirutorum.
Pauperes q;. Milites
Class. Pr. Mis. Donati. Sint. Dum. Ægrescunt.
Et Moriuntur. Ne. Ære
Conlato. Curentur. Sepelianturq. Quam. Sententiam. Sanctam Esse
Omnes. Sciunto. Idque. Totum. Testatur.
Marmor.

Denique Valentinianus Imp. media

parte bonorum mulctavit eos, qui ex honestioribus sepulcrum violassent. dictâ Novellâ: *Splendidiores autem vel dignitatibus noti bonorum suorum medietate mulctati, perpetuâ notentur infamiâ.* Quod verò hîc de Infamia addit non mirum: Nam, ut Ulpianus testatur Leg. 1. De Sep. Viol. vel sola *Sepulchri violati actio infamiam irrogat.* Et habent eam conjunctam reliquæ pœnæ omnes.

De manuum verò amputatione, quâ hujusmodi violatores sepulcrorum punitos diximus, auctorem habemus Harmenopolum, qui lib. VI. tit. V. diserte scribit: οἱ σὺν νεκρὸς ἐν τοῖς τάφοις ἐκδύοντες, χειροκοπείσθωσαν. *Qui mortuos in sepulcris exuunt, illis manus amputentur.*

Porrò adeo flagitiosum hoc scelus habitum fuit, ut etiam olim inter causas relatum sit, cur uxor à marito divortere posset, si nimirum *sepulcrorum dissolutorem* esse probaverit, ut rescripsere Theodosius & Valentin. Impp. Cod. De repudiis. Leg. VIII.

Quin imò ita existimabant, ut ut quis humanam fortè pœnam effugeret, divinam

nam tamen minimè vitari posse. Vnde Phocylides:

Μὴ τύμβον φθιμένων ὀπερύξῃς, μηδ' ἀθέατον
Δείξῃς ἠελίῳ, καὶ δαιμόνιον χόλον ὄρσῃς.

Hinc iratam Isidem vel alios Deos solebant imprecari, qui sepulcrum suum violassent, ut in hac *Inscriptione*: SECVS. QVI. FECERIT. MITEM. ISIDEM. IRATAM. SENTIAT. ET. SVORVM. OSSA. ERVTA. ATQVE. DISPERSA. VIDEAT. Sic in sacra etiam historia legimus Regem Moabitarum divinitus punitum, quod non solùm τυμβωρύχος fuisset: sed ossa etiam Regis Idumæorum cremasset, ac è cineribus calcem fecisset ad incrustandum suum palatium. Amos. c. II. Et, ut tandem finem faciam, qui in patrios cineres minxissent, h.e. patrium monumentum violassent, eos non aliter quam parricidas furiarum ardentibus tædis perterreri atque agitari credebant. Unde Horatius de Arte Poëtic. in fine:

Nec satis apparet, cur versus faciliet: utram
Minxerit in patrios cineres, an triste bidental
Moverit incessus, certè furit.

quasi dicat, Non satis apparet, utrius facinoris admissi causa tam graviter sibi deos

habeat iratos, sepulcri ne violati, an sublati & loco moti bidentalis. Nam cum fas non esset mejere in loco religioso, tum multo habebatur sceleratissimum, filium in parentis tumulum immejere. Quare etiam interdum hoc ignominiæ genus solebant deprecari, ut ex hoc lapide Romano constat:

Hospes. Ad. Hunc. Tumulum. Ne. Meias. Ossa. Precantur Tecta. Hominis.

Quos enim ignominiâ affectum ibant, ad illorum statuas mejere vel urina solebant inquinare, ut constant ex Juvenali:

Cujus ad effigiem non tantùm meiere fas est.

Et Suetonio, qui de Nerone sic scribit cap. LVI. *Religionum usque quaque contemptor, præter unius Deæ Syriæ. Hanc mox ita sprevit, ut urinâ contaminaret.* Sed hæc delicatas aures fortean mordeant. quare pausa hic esto.

Cap. XXVII.

De Cenotaphiis. Extructa ea vel alibi sepultis, vel sepulturæ omnino expertibus. Inplov cenotaphii indicium apud Athenienses. Pertica Longobardorum in sepulcris. Pythagorei cenotaphia extruebant iis, qui à Philosophia defeciissent. Cenotaphia an religiosa?

Mo-

MOnumenta igitur, in quæ corpora mortuorum vel reliquiæ inferebantur, hoc est, Sepulcra vidimus: restant jam illa, quæ memoriæ causa fiebant, & Græcis Cenotaphia appellabantur Suidas: Κενοτάφια τινα ἦσαν ἑλισσόμενα, ὡς τύπος νεκροῦ, μὴ ἔχοντα νεκρὸν. Atq; à Græcis illa esse orta, nullum est dubium: quare eorum etiam testimoniis interdum hęc nostra illustrabimus.

Duûm autem generum fuisse observo. Nam vel etiam alibi sepultis extruebantur, vel sepulturæ planè expertibus.

Quæ alibi sepultis, ea honoris tantum vel memoriæ gratia fiebant; unde etiam *honorarium tumulum* vocat Suetonius, qualem Druso in æstivis castris supremum diem morbo obeunti à militibus prope Rhenum esse excitatũ, scribit in Claudio: quanquam corpus ejus ad urbem devectum sepultumq; in Campo Martio. Simile quid de Alexandro tradit Lampridius: *Cenotaphium in Gallia, Romæ sepulcrum amplissimũ meruit.* Quo pertinet illud Epigramma Agathiæ lib. III. Anthol. tit. εἰς γυναικας.

Ναὶ λίτομαι παροδῖτα, φίλῳ κατάλεξον ἀνκοίτῃ
Εὖτ' ἂν ἐμὴν λεύσης πατρίδα θεσσαλίην,

Κάτθανε σὴ παράκοιτις, ἔχει δὲ μιν ἐν χθονὶ τύμβος
Αἶ, αἶ, Βοσπορίης ἐγγύθεν ἠϊόνος,
Ἀλλὰ μοι αὐτόθι τεῦχε λενήριον ἐγγύθι σεῖο
Ὀφρ' ἀναμιμνήσκῃ τῆς ποτὲ κουριδίης.

Quæ verò insepultis excitabantur Cenotaphia, religionis causa fiebant. quod existimarent, animas non posse prius quiescere, quam sepulcro essent conditæ. ob quam causam ψυχαγωγία & Κενοτάφια sunt instituta, ut quorum corpora reperiri nusquam possent, iis inanis tumulus extrueretur, ad quem animas mortuorum vocarent: quod sepulcri instar apud Romanos habitum ex Ausonii Parentalibus notum est. in quorum præfatione;

Voce ciere animas, funeris instar habet.

Et mox:

Ille etiam mæsti cui defuit urna sepulcri,
Nomine ter dicto panè sepultus erit.

Sed de ψυχαγωγίᾳ supra satis multa.

Cenotaphia vero erecta iis, quorum reliquiæ non faciles erant inventu, multi autores testantur; ut qui in mari perierant. Callimachus libro III. Antholog. cap. εἰς ναυαγήσαντας:

Νῦν δ' ὁ μὲν εἰν ἁλί τιν φέρεται νεκὸς, ἀντὶ δ' ἐκείνου
Οὔνομα καὶ κενεὸν σᾶμα παρεγχόμεθα.

Item

Item iis, qui militiæ occiderant: cujusmodi Cenotaphium Argivis bello Trojano occisis Corinthi constitutum sua adhuc tempestate extitisse memorat Pausanias in Corinthiacis: Τῶν δὲ ἀνδριάντων οὐ πόῤῥω δείκνυται Δαναοῦ μνῆμα, καὶ Ἀργείων τάφος κενὸς ὁπόσους ἐντὲ τλίῳ καὶ ὀπίσῳ κομιζομένους ἐπέλαβεν ἡ τελευτή. Et apud Xenophontem l. vi. Expedit. Cyri. inane sepulcrum struitur militibus defunctis, quorũ reliquiæ non poterant reperiri: ἐνίους δὲ σὺν ἐκ τῶν ὁδῶν συνεγκόντες ἔθαψαν, ἐκ τῶν ὑπαρχόντων ὡς ἐδύναντο κάλλιστα. οὓς δὲ μὴ εὕρισκον, κενοτάφιον αὐτοῖς ἐποίησαν μέγα, καὶ πυρὰν μεγάλην καὶ στεφάνους ἐπέθεσαν. Et in historia Romanâ Varianis legionibus ab Ariminio occisis post sex annos cenotaphium extruxit Germanicus: unde Tacitus l. i. Anna. *Primum exstruendo tumulo cespitem Cæsar posuit, gratissimo munere in defunctos.*

Quod verò Athenienses attinet, apud illos Cenotaphii indicium habebatur Lignum navale. sic enim cum Lipsio interpretari malo τὸ Ἰκρίον apud Marcellinum, quàm cum aliis crucem aut furcam. Verba Marcellini in vita Thucydidis hæc sunt: Ἰκρίον ἐπὶ τοῦ τάφου κεῖσθαι. τοῦ κενοταφίου δὲ τοῦτο γνώρισμα

εἶναι ἐπιχώριον καὶ νόμιμον Ἀττικὸν τῶν ἐπὶ τοιαύτῃ δυσχερίᾳ πεπολιτευμένων ἢ μὴ ἐν Ἀθήναις ταφέντων. Ait quosdam opinari Thucydidem peregrè & inexilio mortuum. Lignum enim navale sive Tabulam super sepulcrum ejus positam esse. *Hoc autem inanis & honorarii tumuli patrium signum Atticum haberi in iis, qui tali infortunio obiissent, nec Athenis sepulti essent.* Ideo autem navali potissimùm Ligno ad hanc rem usi videntur, quòd mari ferè ex Attica discedit ur.

De Longobardis perticas statuentibus in sepulcris suis, si forte qui ex consanguineis peregrè obiissent, testatur Paulus Diaconus lib. v. de Reb. gestis Longobard. cap. XXXIV. *Ad Perticas autem locus ipse ideo dicitur, quia ibi olim pertica, id est, trabes erectæ steterant, quæ ob hanc causam juxta morem Longebardorum poni solebant. Si quis enim in aliquam partem aut in bello quomodocunq; extinctus fuisset, consanguinei ejus intra sepulcra sua perticam figebant, in cujus summitate columbam ex ligno factam ponebant, quæ illuc versa esset, ubi illorum dilectus obiisset: scilicet ut sciri posset, in quam partem is, qui defunctus fuerat, quiesceret.*

Neque

Neque verò hîc prætereundus insignis mos Pythagoricorum, quos iis, qui à Philosophia sua defecissent, Cenotaphia tanquam mortuis extruxisse, patet ex Origene libr. 1. Celsum: *Ceterùm Pithagorei cenotaphia extruebant iis, qui defecissent à Philosophia reflexo cursu ad idioticam vitam: nec ideo deterior habitus est Pythagoras in doctrina & demonstrationibus aut ejus discipuli.* Causam addit Clemens Alexandrinus lib. v. Stromat. φασίγ' οὖν ἵππαρχον τὸν Πυθαγόριον αἰτίαν ἔχοντα γράψασθαι, τὰ τοῦ πυθαγόρου σαφῶς, ἐξελαθῆναι τῆς διατριβῆς καὶ στήλην ἐπ' αὐτῷ γενέσθαι οἷα νεκρῷ, διὰ καὶ ἐν τῇ βαρβάρῳ φιλοσοφίᾳ νεκροὺς καλοῦσι σοῦ ἐκπεσοῦντας τῶν δογμάτων καὶ καθυποτάξαντας τὸν νοῦν τοῖς πάθεσι τοῖς ψυχικοῖς. Vide & Jamblichum in vita Pythag. & cui hæc accepta ferimus, CL. V. Theodorum Canterum lib 1. Var. Lection. cap. XII.

Sed ad Romanos nostros revertamur, quos Cenotaphia hæc non aliter quàm ipsa sepulcra Inscriptionibus ornasse legimus. Ovidius libr. XI. Metamorph. fab. X. de Ceyce:

—— inq; sepulcro
Si non urnæ, tamen junget nos litera, si non
Ossibus ossa meis, at nomen nomine tangam.

Et modico antè eadem fabulâ:

Et sæpe in tumulis sine corpore nomina legi.

Fecerunt idipsum & Græci. Laertius in Periandro: Κορίνθιον δὲ ἐπὶ τὸ Κενοτάφιον ἐπέγραψαν αὐτῷ τόδε.

Πλοῦτου καὶ σοφίας πρύτανιν πατρὶς ἥδε Κόρινθος
Κολποις ἀγχιάλοις γῆ Περίανδρον ἔχει. h. e.

Et Sophia & nummis Periandrum terra Corinthus
Clarum littoreo continet alma sinu.

Sed hîc quæstio inter Jurisconsultos, An Cenotaphia etiam fuerint religiosa. Negat Ulpianus ex rescripto Divorum fratrum L. vel quod 6. D. D. Relig. *Si adhuc monumentum purum est, poterit quis hoc & vendere & donare: si Cenotaphium sit, posse hoc venire dicendum est: nec enim esse hoc religiosum Divi fratres rescripserunt.* Contrà verò affirmat Marcianus Jurisconsultus L. in cautum 6. D. De Divis. rerum: *Cenotaphium quoq́*, inquiens, *magis placet locum esse religiosum, sicut testis in ea re est Virgilius.* At facile est litem hanc dirimere ex iis, quæ jam dicta sunt. Nam Divos Fratres loqui de Cenotaphio, quod ad nudam tantum memoriam vel honorem peregrè mortui factum sit, nullum est dubium. At Martianus de eo loquitur,

quod

quod sepulcri religione coleretur, & ubi aræ essent excitatæ vocatique Manes. Ad quam etiam Virgilii testimonium advocat, sive jam id desumptum sit ex III. Æneid. ubi Andromachæ anniversaria celebrantur:

Solemnes tum forte dapes & tristia dona
Libabat cineri Andromaches, manesq; vocabat
Hectoreum ad tumulum, viridi quem cespite inanem
Et geminas, causam lachrymis sacraverat aras.

sive ex VI. Æneid. de tumulo Palinuri:

Et statuent tumulum, & tumulo solemnia mittent:
Æternumq; locus Palinuri nomen habebit.

Vel Deiphobi, Ibidem:

Tunc egomet tumulum Rhatео in littore inanem
Constitui & manes magnâ ter voce vocavi.

Quod cum non intelligeret Trebonianus, parùm commodè istis Martiani verbis videtur subjunxisse illa Ulpiani ex lib. XXV. ad Edictum: *Sed Divi fratres contrà rescripserunt.* ut ingeniosè existimat legitimæ Jurisprudentiæ singulare decus ac ornamentum Scipio Gentilis Antecessor Noricus amicus noster non ex multis, libr. II. Parerg. cap. XVI. Nam hæc Cenotaphia sepulchri potiùs, quàm inanis tumuli nomen merentur. Quare etiam Statius *inania busta* & *vacua sepulcra* vocat lib. XII. Thebaid:

Quin

Quin fugitis dum tuta via est, Lernamq; reversa
Nomina, quod superest, vacuis datis orba sepulcris
Absentesq; animas ad inania busta vocatis.

Et Ovidius libr. VI. Metamorph. fab. de Progne:

Induiturq; atras vestes & inane sepulcrum
Constituit, falsisq; piacula Manibus infert,
Et luget non sic lugenda fata sororis.

Quid? quod Christiani quoque maximam religionem hujusmodi Cenotaphiis sanctorum hominum exhibuerunt, sicut ex Theodoreti libr. De Martyrib. cognoscimus & ex hisce Prudentii versibus libr. περὶ στεφάνων:

Hoc colunt cives, velut ipsa membra
Cespes includat suus & paterno
Servet amplectens tumulo beati
Martyris ossa.

Ex his igitur satis liquet, Cenotaphia quædam non absque ratione religiosa dici posse. Discrimen tamen inter Sepulcrorum & Cenotaphiorum sanctitatem vel religionem idem Scipio Gentilis hoc constituit; quod sepulcrorum quidem sanctitas teste Cicerone, *in ipso solo est, quod nulla vi moveri neq; deleri potest.* Cenotaphiorum verò in ipsa religione & reverentia

VIVO-

vivorum, quæ & mutari potest & deleri. Quapropter, qui hoc genus monumenti perpetuò esse religiosum studebant, ii operam dare soliti, ut certis temporibus in eo religio renovaretur, quod de Cenetaphio Drusi scriptum est à Suetonio in vita Claudii: *Ceterùm exercitus honorarium ei tumulum excitavit: circa quem deinceps stato die quotannis miles decurreret, & Galliarum civitates publicè supplicarent.* quæ ultima verba aram quoq; huic inani tumulo fuisse adjunctam non obscurè significant. Huc pertinet antiquus Lapis, qui Ravennæ: *OB. MEMORIAM. PATRIS. SUI. DEC. VII. COLLEGII. FABR. M. R. HS. ꝏ. N. LIBERALITATE. DONAVIT. SUB. HAC. CONDITIONE. VT. QUOTANNIS. ROSAS. AD. MONVMENTUM. EIVS. DEFERANT. ET. IBI. EPULENTUR. DUNTAXAT. IN. V. IDVS. IVLIAS. QVOD. SI. NEGLEXERINT. TUNC. AD. VIII. EIVSDEM. COLLEGII. PERTINERE. DEBEBIT. CONDITIONE. SVPRASCRIPTA.*

FINIS LIBRI TERTII, DE Funeribus Romanorum.

Jo-

Johan. Kirchmanni

De Funeribus Romanorum.

Liber Quartus.

Capvt. I.

De diebus, qui parentationibus destinati: ut Feralia, Novemdialia, Denicalia. Feraliorum origo, mensis & dies. Græcorum eodem mense Februario eadem consuetudo. Novemdialium partitio. Lex Iustiniani de heredibus ante nonum diem non appellandis. Denicalibus quid actum. Exuerræ. Everriator. De porca præcidanea. Atro die parentare fas non fuisse. Ἀποφράδες.

AD Exodium jam res perducta est, ac funeris pompa ordoq; visus. Venio igitur ad ea *quæ post funerationem.* Tantum enim aberat, ut eo ipso statim tempore, quo defunctus sepulcro inferebatur, parentationum finis esset, ut etiam adhuc certi quidam dies destinati fuerint, quibus justa mortuis persolverentur, publicè quidem *Feralia*: privatim verò *Novendiales & Denicales feriæ* aliiq; dies parentales.

De Feralibus Festus: *Feralia Diis manibus*

bus sacrata festa à ferendis epulis, vel à feriendis pecudibus. Varro lib. v. de Lingua Latina. *Feralia ab inferis & ferendo, quod ferunt tunc Epulas ad sepulcrum, quibus jus ibi parentare.* Origo horum Æneæ tribuitur teste Ovidio 11. Fastor.

Hunc morem Æneas pietatis idoneus autor
Attulit in terras, juste Latine, tuas.
Ille patrio Genio solemnia dona ferebat,
Hinc populi ritus edidicere novos.

Ceterùm principes omnium Numa rex hunc ritum Romanos docuit, cura ejus Pontifici commissa. Livius libr. 1. *Cetera quoq; omnia publica privataq; sacra Pontificis scitis subjecit: ut esset quo consultum plebs veniret:* Et statim: *Nec cœlestes modò ceremonias, sed justa quoq; Funebria, placandosq; Manes, ut idem Pontifex edoceret.* Ausonius in Præfat. Parental. *Titulus libelli est Parentalia. Antiquæ appellationis hic dies, & jam inde ab Numa cognatorum inferiis institutus, nec quicquam sanctius habet reverentia superstitũ, quàm ut amissos venerabiliter recordetur.*

Erat autem solemnis ac status harum publicarum feriarum mensis Februarius: unde eũ καθάρσιον appellat Plutar. in Numa: Dies autem ejusdem mensis decimus nonus,

nonus, hoc est, XI. ante Kal. Martii, ut videre est cum ex veteri Kalendario Roman. tum ex II. Fastor. Ovidii, ubi Poëta sic ait:

Non tamen hoc ultra, quàm quum de mense supersunt
Luciferi quot habent carmina nostra pedes.
Hanc quia Iusta ferunt dixere Feralia lucem.
Vltima placandis Manibus illa dies.

Atqui Elegiacos versus constare undecim pedibus vel pueris notum est. De eodem mense testatur idipsum Cicero II. Legib. *Februario autem mense, qui tunc extremus anni mensis erat, mortuis parentari voluerunt, quod tamen D. Brutus, ut scriptum à Sisenna est Decembri facere solebat. Cujus ego rei causam cum mecum quærerem, Brutum reperiebam idcircò à more majorum discessisse (Nam Sisennam video causam, curis vetus institutum non servarit, ignorare: Brutum autem majorum institutum temerè neglexisse, mihi non fit verisimile, doctum hominem sanè cujus fuit Accius perfamiliaris) sed mensem credo extremum anni, ut veteres Februarium, sic hic Decembrem sequebatur.* Quem locum ante oculos habuit Plutarchus cum hæc scriberet in Problem. Διὰ τῶν ἄλλων Ῥωμαίων ἐν τῷ φεβρουαρίῳ μηνὶ πανημίων χοὰς καὶ ἐναγι-

ἐναγισμὸς τοῖς τεθνηκόσι, Δείκιμος Βρῦτος, ὡς Κικέρων ἱστόρηκεν, ἐν τῷ Δεκεμβρίῳ τοῦτο ἔπραττεν.

Quod autem Februario potissimum menſe mortuorum Manibus inferias Romani dederunt, id à Græcis manasse, princeps omnium, quos sciam, obſervavit eruditissimus noster Casaubonus, qui eadem sacra eodem tempore, in diversis Græcorum urbibus celebrari solita, annotat libr. Animadverſ. in Athenæum cap. XIX. De Athenienſibus testis Hesychius: Μιαραὶ ἡμέραι, inquit, τοῦ Ἀνθεστηριῶνος μὴν ὡς ἂν αἷς τὰς ψυχὰς τῶν κατοιχομένων ἀνιέναι ἐδόκουν. Antheſterion autem inter menſes Atticos Februarii Romani & Martii partem complectitur. Sic etiam Apolloniatas eodem menſe Antheſterione solitos τὰ νόμιμα συντελεῖν τοῖς πεπολιτευκόσι scribit Athenæus lib. VIII. δειπνοσοφ. Atq; hæ quidem feriæ publicè celebrabantur in memoriam defunctorum: Privatim verò *Novemdiales* & *Denicales*.

De Novemdialibus Festus: *Novemdiales feriæ à numero dierum dictæ sunt.*

Fuêre autem Novemdialia duûm generum: *Una* fieri solita ob lapidum imbrem, à rege Tullo instituta, de quibus

abundè Livius lib. I. & XXI. in actis anni, ab urbe condita IↃXXXVII. & lib. XXVII. Verùm hæc sunt ab instituto nostro aliena. Nam, ut ex Livii verbis patet & prodigii causa fiebant, & publicè suscipiebantur & novem continuos dies durabant. *Altera* verò Novemdialia, de quibus nos loquimur, erant privatæ alicujus familiæ sacra, quibus defunctis solebant parentare. Glossæ. *Novemdialia*, ἔννατα ἐπὶ νεκρῷ ἀγόμενα. August. in Genesin: *Nescio utrũ inveniatur alicui sanctorũ in scripturis celebratum esse luctum novem dies quod apud Latinos Novemdial appellant.*

Dicta autem Novemdialia, non tam quòd novem totos dies celebrarentur, quàm quod nono post mortem die completis ad tumulum solemnibus funeri finis fieret. Porphyrio ad Horatii Epod. XVII. *Novemdiale sacrificium est, quod mortuo fit nonâ die quàm sepultus est.* Donatus in Phormionem Terentianam: *In nuptiis*, inquit, *septimus dies instaurationem voti habet, ut in funeratione nonus, quo Parentalia concluduntur.* Hinc Apulejus libr. IX. Metam. *Iamq; nono die ritè completis apud tumulum solemnibus.* Alludunt & Poëtæ, ut Virgilius:

Prate-

Præterea si nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit.

Ac Statius in funere Archemori libr. VI. Thebaid.

Roscida jam novies cœlo dimiserat astra
Lucifer, &c.

Hinc est, quod Dio scribit Adrianum Cæsarem Plotinâ mortuâ ἐπὶ ἡμέρας ἐννέα μελανειμονῆσαι, h. e. *per novem dies atratum fuisse.* Et Justinianus Imperator ex eodem ritu εὐσεβέστατον νόμον tulit, ne cui liceat aut heredes defuncti, aut parentes, aut liberos, aut uxorem, aut propinquos, aut alios ejus affines, aut fidejussores, ante novem dierum spatium, quibus lugere vidétur, convenire, aut aliquo modo interpellare, aut admonitionem eis aliquam offerre, aut eos in jus vocare, vel ob æs à defuncto conflatum, vel ob quamcunque aliam causam, quæ specialiter ad memoratas personas spectet. Verba legis hæc sunt Novell. CXV. capit. V. Θεσπίζομεν μηδενὶ παντελῶς ἐξεῖναι ἢ τοῦ παῖδας ἢ γαμετὴν ἢ συγγενεῖς, ἢ ἄλλους αὐτοῦ προσγενεῖς ἢ ἐγγυητὰς, πρὸ τῆς τῶν ἐννέα ἡμερῶν προθεσμίας, ἐν αἷς πενθεῖν δοκοῦσιν, αἰτιᾶσθαι, ἢ καθ' οἷον δὴ τινα τρόπον παρενοχλεῖν ἢ τινα ὑπόμνησιν αὐτοῖς ἐπιφέρειν ἢ ἐν δικαστηρίῳ αὐτοῦ καλεῖν, εἴτε ὀνόματι χρέους παρὰ τοῦ τελευτήσαντος καταγομένου, εἴτε ἄλλης οἱασοῦν αἰτίας

χάριν εἰς τὰ μνημονευθέντα ἰδικῶς ὁρώσης πρόσωπα. Vide Harmenopul. libr. v. prompt. jur. civil. tit XII. Cujac. Novell. LX.

Denicales ferias quod attinet, de iis Festus: *Privatæ feriæ vocantur sacrorum propriorum, velut dies natales, operationis, denicales.* Hisce feriis familia funere polluta certis quibusdam ceremoniis purgabatur. Idem Festus; *Denecales feriæ celebrantur cum hominis mortui causa familia purgabatur. Græci enim* νέκυν *mortuum dicunt.*

Genus autem illud Februi, quo funesta familia expiabatur, appellabant *Exverras*: de quibus Festus: *Exverræ sunt purgatio domus, ex qua mortuus ad sepulturam efferebatur* (in vulgatis est *ferendus* sensu malo) *quæ fit per Everriatorem certo genere scoparum adhibito, ab extra verrendo dictæ.* Erat autem *Everriator*, teste eodem Festo, *qui accepta jure hereditate justa facere defuncto debet. quæ si non fecerit, aut quid in ea re turbaverit, suo capite luat.* Paulò aliter Marius Victorinus, qui porcam illi contrahi ait, quam quotannis immolare teneatur ante novarum frugum gustationem. Sic enim scribit: *Qui justa defuncto non fecerunt, aut*

in fa-

in faciendo peccaverint, his porca contrahitur, quam omnibus annis immolari oporteat, antequam novam quasi dapem mereant de segete capere. Præcidaria dicta, quod antecediturquàm frugem capiant. Hinc igitur constat, quid sit illud apud Ciceron. II. legib. *Quæq; in porcâ contracta jura sint,* monente doctissimo Turnebo libr. XVII. Adverss. cap. XX. Præcidaneam autem porcam vocat Festus, *quæ Cereri mactabatur ab eo, qui mortuo justa non fecisset, id est, glebam non in os jecisset, quod mos eis erat facere prius, quàm novas fruges gustaret.* Itemque Varro libr. III. de Vita pop. Romani: *Qui humatus non sit, heredi porca præcidanea succidenda Telluri & Cereri, aliter pura familia non est.* Nec verò opus erat, Marium Victorinum tam anxiè contendere, Præcidariam dici debere hanc porcam, non Præcidaneam: cum tamen idem sit Præcidaneum & Præcidarium, sicut & Extraneum, Extrarium: Pedaneum, Pedarium. Mortuos hisce feriis resideri scribit Cicero II. Legibus: *Nec verò tam Denicales, quæ à nece appellatæ sunt, quia resident mortui, quàm ceterorum cœlestium quieti dies Feriæ nominarentur, nisi*

majores eos, qui ex hac vita migrassent, in Deorum numero esse voluissent. Has opinor Hesychius intellexit: Καθέδραι, inquiens, πένθος ἡμέραι ἐπὶ τελευτῇ τινός.

Verosimile est etiam membrum illud, quod familiæ purgandæ causa exceptum fuisse, nec cum reliquo corpore in urnam conditum, supra diximus, his ipsis feriis antiquitus, quamdiu mos iste duravit, terra fuisse obtectum. Ad quam conjecturam, præivit mihi Cicero, qui dicto libro de iisdem feriis agens, sic loquitur: *Neq; necesse est edisseri à nobis, quis finis funestæ familiæ, quod genus sacrificij Lari vervecibus fiat, quemadmodum os resectum terra obtegatur.* Tam religiosè autem hæ feriæ cultæ, ut ne mulos quidem iis jungere licuerit. Columella lib. II. cap. XXII. *Nos apud Pontifices legimus feriis tantum Denicalibus mulos jungere non licere, ceteris licere.* Itemq; ut inter causas recenserentur militis excusandi, qui die condicto non adesset. Agellius lib. XVI. cap. IV. *Deniq; ita concipiebatur jusjurandum, ut adessent, his additis exceptionibus, nisi harunce quæ causa erit, Funus familiare, feriæve Denicales.* Statas autem non fuisse, sed con-

conferendas in eos dies, quibus nec privatę ejusdem familiæ feriæ sint, nec ullæ publicæ, testatur Cicero dicto loco. *Eas in eos conferre dies jus, quibus nec ipsius neq; publicæ feriæ sint.* Quę verba manifesti erroris convincunt eos, qui decimo à morte die ferias hasce celebrari solitas, existimant, atq; ideo à numero denario indigitatas Denicales contra Festum ac ipsum Ciceronem.

Non autem his tantum Feriis, h.e. Feralib. Novemdialibus & Denicalibus, solebant veteres mortuis parentare, sed etiam aliis diebus idem factitatum, licet observare, tum ex variis locis, tum ex inscriptione Ravennati, quæ ad Cenotaphium Drusi patris v. Idus Julii epulas fuisse celebratas clarè testatur. Id tamen notandum, atro die mortuis parentare, nefas fuisse habitum, ut auctor Macrobius libr. 1. Saturn. cap. XVI. *Sed & Fabius Maxim. Servilianus Pont. in libr. 11. negat oportere atro die Parentare: Quia tunc Janum Jovemq; præfari necesse est, quos nominare atro die non oportet.* Erant autem *Atri dies* Romanis quibus insignem aliquam cladem acceperant, cujusmodi fuit dies Allienſis, quem

Plutarchus in Camillo ἡμέραν ἀποφράδα nominat: Et diem quo Julius Cæsar interfectus est, ἀφράδα dixerunt Triumviri Reipublicæ constituendæ, ut auctor est Dio libr. XLVII. Apud Græcos alia fuit ratio, qui ἀποφράδας dicebant dies, quibus defunctis inferias ferebant, teste Suida.

CAP. II.

De inferiis mortuorum. Constabant hæ Liquoribus & Victimis. Quid χοαὶ? Mortuis oblata Aqua, Lac, Vinum, Sanguis. Adferial. *χθόνιαι λατρεῖαι. Ἀπονίμματα. χέρνιψ. Graecorum ritus in portanda aqua Arferia.* Ἐγχυτρίσματα. *Victimæ mortuis cæsæ. Mensæ, aræ, in sepulcris erectæ. Vnguenta sepulcris affusa.*

QUibus diebus veteres mortuis justa instaurarint, ex his jam liquet: Parentatum autem fuisse reperio *Inferiis, Epulis, & Ludis*, quæ tria ubi viderimus, de Luctu nonnulla adhuc & Consecratione subjungemus.

INFERIÆ, teste Festo, erant *Sacrificia, quæ Dijs Manibus inferebant.* Suetonius in Calig. c. III. De Germanico: *Si clarorum virorum sepulcra cognosceret, inferias Manibus dabat.* De his intelligenda vetus In-

Inscriptio: In. Hoc. Monumento. Itus. Aditus. Ambitus. Libertis. Libertabusque. Meis. Omnibus. Pateat. Thus. Et Vinum (sic enim lacunam explet Brissonius) Dato. Ad. Sacrificia. Facienda. Quotiescunque. Opus. Erit. Itemque hæc alterius Inscriptionis Rom. verba: Et. Itum. Aditum. Ambitum. Sacrificiique. Faciundi. Causa. Dictæ autem Inferiæ ab Inferis, ut Serv. x. Æneid. *Inferiæ sunt sacra mortuorum ab inferis dictæ.* vel ab inferendo, quod mortuorum umbris inferantur, ut vult Turnebus lib. iv. Adverss. cap. xxii.

Constabant autem hæc Sacrificia vel Inferiæ *Liquoribus* præcipuè ac *Victimis*.

Inferiæ, quæ *liquoribus* constabant à Græcis propriè χοαὶ vocabantur à fundendo. Aristoteles de Mundo. Θεῶν τε θυσίαι καὶ ἡρώων θεραπεῖαι καὶ χοαὶ κεκμηκότων. Quod Apuleius ita reddidit: *Diis sacrificatur, Geniis ministratur, obitis libatione perfunditur.*

Liquores autem, quos mortuis solebant inferre, erant *Aqua, Vinum, Lac, Sanguis & Vnguentum.*

Aquam cujus in parentalibus hisce sacrificiis usus erat, Latini *Arferiam* vel *Arferial* dixére. Festus: *Arferia aqua, quæ in feris libabatur.* Glossæ: *Adferial*, ὕδωρ τὸ ἐπὶ τοῖς νεκροῖς σπενδόμενον. Græci χθόνια λουτρὰ τὰ τοῖς νεκροῖς ἐπιφερόμενα: ἐπικομίζετο γὰρ ἐπὶ τοὺς τάφους λουτρά. Dioscorides:

Ἀλλὰ περιστείλας με δίδου χθονὶ, μηδ' ἐπὶ νεκρῷ
Λουτρὰ χέῃς, σέβομαι δεσπότα καὶ ποταμοὺς.

Sophocles in Electrâ:

Ἀλλ' ὦ φίλη, τούτων μὲν ὧν ἔχεις χεροῖν
Τύμβῳ προσάψῃς μηδὲν, οὐ γάρ σοι θέμις
Οὐδ' ὅσιον, ἐχθρᾶς ἀπὸ γυναικὸς ἱστάναι
Κτερίσματ', οὐδὲ λουτρὰ προσφερεῖν πατρὶ.

Sed & ἀπονίμματα dixerunt Attici τὰ εἰς τιμὴν τοῖς νεκροῖς γινόμενα. Athenæus sub finem lib. 9. Ἰδίως δὲ καλεῖται παρ' Ἀθηναίοις ἀπόνιμμα, ἐπὶ τῶν εἰς τιμὴν τοῖς νεκροῖς γινομένων καὶ ἐπὶ τῶν σοῦ ἐναγεῖς καθαιρόντων. Clarius Eustathius in Odyss. α. Ἰδίως δέ φασι (Athenæum dicit) καλεῖται ἀνὰ Ἀττικοῖς ἀπόνιμμα, ἐπί τε χοῶν νεκρικῶν καὶ ἐπὶ ἐναγῶν καθαιρομένων. Appellarunt etiam χέρνιβας, cum tamen χέρνιψ proprie sit τὸ ἐπιχεόμενον χερσὶν ὕδωρ. Æschylus χοηφορ:

Κἀγὼ χεοῦσα τὰς δὲ χέρνιβας, χοὰς
Λέγω, καλῶ σὲ πάτερ ἐποίκτειρόντ' ἐμέ
Φίλοντ' Ὀρέστην, πῶς ἀνάξομεν δόμοις.

Sic

Sic enim rectè, meo judicio, locum hunc restituit doctissimus Heraldus, à quo pleraque hæc mutuati sumus.

Non possum hic silentio præterire insignem Græcorum ritum, ab eruditissimo Meursio observatum, videlicet Aquam hanc, si vir aut fœmina è vita excessisset, portatam fuisse à mulieribus, quæ peculiari nomine Εγχυτρίστριαι dicebantur. Etymologici autor: Εγχυτρίστριαι αἱ τὰς χοὰς τοῖς τετελευτηκόσιν ἐπιφέρουσαι. Si verò juvenis quispiam aut virgo, tunc istoc officio puerum genere proximum. Idem Etymologicographus: Εθος δ' ἦν καὶ ἀγάμων ἀποθανόντων λουτροφορεῖν. ταῦτα δὲ ποιῶν ἦν παῖς ἄῤῥην ὁ ἐγγύτατος γένους. Tradit & idipsum Harpocrat. Εθος δ' ἦν καὶ τῶν ἀγάμων ἀποθανόντων, λουτροφορεῖν καὶ ἐπὶ τὸ μνῆμα ἐφίστασθαι. τοῦτο δὲ ποιῶν, ἦν παῖς ὑδρίαν ἔχων.

De *Vino* autem quo in hisce inferiis usi veteres, clarè Festus: *Respersum vinum significat apud antiquos: quia in sacris Novemdialib. vino mortui sepulcrum spargebatur.* Eratque hoc vinum plerumq; merum: eo enim præcipuè utebantur in libationibus, ut jam olim notavit Eustathius. Hinc Virgilius lib. v. Æneid.

Hic

Hic duo ritè mero libans Carchesia Baccho
Fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro.

Lucianus in De Luctu: ἢ τι ὑμῖν δύνατται τὰ ἄκρατον ἐπιχεῖν ἢ νομίζεται καταστάξειν ἀνυτὸν πρὸς ἡμᾶς. Allusit huc & Apuleius lib. IV. Miles. *Post istum sermonis terminum poculis aureis memoriæ defunctorum commilitonum vino mero libant.*

Lactis & Sanguinis præter laudatum locum meminit & III. Æneid. idem Virgil.

Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,
Sanguinis & sacri pateras.

Ubi Servius: *Ideo lactis & sanguinis mentio facta est, quia affirmantur animæ lacte & sanguine delectari.* Et paulò pòst: *Benè animam lacte & sanguine dicit elicitam ad tumulum. Lacte namq; nutritur corpus post animæ conjunctionem, & anima sine sanguine nusquam est, quo effuso recedit.*

Sanguis verò iste, ut simul ad *Inferias victimarum* transeamus, sumebatur de animalibus quæ Manibus defunctorum mactari solita.

Virgilius de parentalibus Anchisæ patri ab Ænea factis:

Hoc magis inceptos genitori instaurat honores
Incertus Geniumne loci, famulumne parentis
Esse putet: cædit quinas de more bidentes,
Totq; sues, totidem nigrantes terga juvencos.

Me-

Meminit etiam Tacitus lib. III. Annal. de funere Germanici : *Etiam quorum diversa oppida, tamen obvii & victimas, atq; aras Dis Manibus statuentes, lacrymis & conclamationibus dolorem testabantur.* Et libr. II. Histor. propè à fine. *Latum fœdissimo cuiq; apud bonos invidiæ fuit, quod extructis in campo Martio aris inferias Neroni fecisset. Cæsæ publicè victimæ crematæq; : faces Augustales subdidêre.* De quo Vitellii facto videndus etiam Suetonius in ejus Vita Cap. XI. Similiter Jul. Capitolinus in M. Antonino Philosopho. *Tantum autem honoris Magistris suis detulit, ut imagines eorum aureas in lario haberet, ac sepulcra eorum, aditu, hostiis, floribus semper honoraret.*

Nec pecudum duntaxat : sed & *humano sanguine* Manibus defunctorum solebant parentare, ut suprà demonstravimus. Respexit eò Cic. Orat. pro L. Flac. *Quam potestis P. Lentulo, qui vos in complexu liberorum conjugumque vestrarum trucidatos, incendio Patriæ sepelire conatus est, mactare victimam gratiorem, quam si L. Flacci sanguine illius nefarium in vos odium satiaveritis? Litemus igitur Lentulo, parentemus Cethego,* &c.

&c. Apulejus lib. VIII. Miles. *At ego sepulcrum mei Lepolemi tuo luminum cruore libabo, & sanctis manibus ejus istis oculis parentabo.* Sed quomodo hæc consuetudo, quæ crudelitatem quandam præ se ferebat, voluptate adumbrata, ac in funebres ludos conversa sit, mox dicetur.

Atq; hinc jam manifestum est, qua fini vel Mensæ in sepulcris ponerentur & Romano & Græcanico ritu, de quibus Cicero de Legibus & plæriq; Græci scriptores tradidêre, vide Scalig. ad Festum. vel Aræ erigerentur, unde Silius Italicus lib. XVI.

Ipse tenens nunc lacte sacro, nunc plena Lyæo
Pocula, odoriferis aspergens floribus aras.
Tum manes vocat excitos,

Et in Veteri Inscriptione Romana: P. Cornelia. Annia. Ne. Indesolata. Orbitate. Superviveret. Misera. Vivam. Me. Vltro. In Hanc. Aram. Cum. Viro. Cum. Quo. Vixi. Ann. XX. Sine. Ulla. Do. Lib. Libertabusque. No. Ut. Quotan. Super. Aram. No. Plutoni. Et. Uxori. Proserpinæ. Omnibusque. Sacrificent. Ro-

SISQUE. EXORNENT. DE. RELIQUO. IBI. EPULENTUR. Ovidius libr. VIII. Metam.

Ante sepulcrales infelix astitit aras
Ex quo reliquias, divinique ossa parentis
Condidimus terra, mœstasque sacravimus aras.

Penè *Unguenta* prætereram, quæ sepulcris affusa in parentationibus paulò antè dixeram. De iis Propertius lib. III. Eleg. Nox media:

Afferet huc unguenta mihi sertisque sepulcrum
Ornabit custos, ad mea busta sedens.

Ausonius in Epitaph. Carm. XXXVI.

Sparge mero Cineres, & odoro perlue nardo
Hesperes & adde rosis balsama puniceis.
Perpetuum mihi ver agit illacrumabilis urna,
Et commutavi secula non obii.

Leonides.

Μὴ μύρῳ, μὴ στεφάνῳ λιθίνας σήλαισι χαρίζου
Μηδὲ τὸ πῦρ φλέξῃς, εἰς κενὸν ἡ δαπάνη.
Ζῶντί μοι, εἰπὲ θέλῃς, χάρισαι τέφρῃ ἢ μεθύσκων
Πηλὸν ποίησεις, κἀχῷ ὁ θανὼν πίεται. h. e.

Parce meum unguento cippum, brevibusque corollis
Ornare & nimio me decorare rogo
Hic frustra insumus vivo largire, luto sum
Vina dabunt Cinerem, nec honor inde sito

Anacreon quoque perstringit

Τί σε δεῖ λίθον μυρίζειν,
Τί δε γῆ χέειν μάθαις,
Εμε μᾶλλον, ὡς ἔτι ζῶ.

Mu-

Μυρσινον, ῥοδοις δὲ κρᾶτα
Πύκασον &c.

Caput III.

Sepulcra coronata ac sparsa floribus, inter quos praecipua Rosa: Graeci Amarantho, Potho, Apio, Myrto sepulcra ornabant. Taeniarum usus in sepulcris, Christiani antiquissimi morem spargendi sepulcra floribus abhorruere: quem deinde amplexi recentiores.

QUÆ jam laudavi loca indicio sunt, Floribus quoq; & Coronis tumulum spargi solitum: non possum igitur, quin plenè hunc ritum explicem, quàm ulterius progrediar.

De *Coronis* autem quibus & mortuum ipsum & lectum ejus, cum efferretur, solebant exornare, satis superq; lib. I. diximus: Nunc sepulcra quoque coronata fuisse, ostendemus. Plinius id docet lib. XXI. Cap. III. *Et jam tunc coronæ Deorum honos erant, & Larium publicorum, privatorumq;, ac Sepulcrorum & Manium.* Virgilius in Copâ.

Quid Cineri ingrato servas benè olentia serta?
Anne coronato vis lapide ista tegi?

Ovidius lib. II. Tristium. Eleg. III.

Tu tamen extincto feralia munera semper
Dedq; tuis lacrymis humida serta dato.

Tibullus lib. II. Eleg. IV.

Atq; aliquis senior veteres veneratus amores,
Annua constructo serta dabit tumulo.

De

De Græcis præter loca adducta, testatur Euripides Oreste:

Ω πάρθεν' ἥκεις τὴν κλυταιμνήστρας τάφον
Στέψασα, καὶ σπείσασα νερτέροις χοὰς.

Edylus lib. II. Antholog. εἰς ἰατρὸς.

—— ὦ σοροπηγοὶ
Αγιν καὶ μίτραις βάλλετε καὶ στεφάνοις.

Lucianus Scythâ. ὁ μέγα τὸ χῶμα, καὶ ἡ στήλη χαμαὶ πλὴν, ἀλλ' ἔστεπται γε ἀεὶ. Eadem habet in περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων.

Fiebant autem hæ Coronæ ex omnigenis floribus, ut est apud Sophoclem in Electrâ.

Επεὶ γὰρ ἦλθον πατρὸς ἀρχαῖον τάφον,
Ορῶ κολώνης ἐξ ἄκρας νεορρύτους
Πυγὰς γάλακτος, καὶ περιστεφῆ κύκλῳ
Πάντων ὅσ' ἐστὶν ἀνθέων θήκην πατρὸς. h. e.

Interprete Georgio Ratallero.

Abs te digressa antiquum, ut accessi ad Patris
Tumulum. repletos lacte rivos conspicor
Fuso recens, variisq; bustum flosculis
Hinc inde conspersum undiq;.

Atque ideo Ερωτες vocabantur proprio nomine: Autor Etymologici: Ερως, ὁ στέφανος ἐκ πάντων ἀνθέων τοῖς νέκυσι πολούμενος, παρὰ τὴν ἔραν, τὴν γὴν, ὁ ἐρανισμένος τῆς γῆς.

Non verò *coronis* duntaxat, sed etiam vagis *floribus*, & non in coronam coactis

ſepulcra exornabantur. Lucianus in Nigrino: Ἔνιοι δὲ καὶ στέφειν τὰς στήλας ἄνθεσιν mandant, εὐήθεις ἔτι καὶ παρὰ τὴν τελευτὴν διαμένοντες. *Quidam etiam cippos ſuos floribus coronari jubent, ſtolidi etiam poſt mortem manentes.* Herodianus lib. IV. ἐπελθὼν δὲ πάντα τὰ τῆς πόλεως λείψανα, ἧκεν ἐπὶ τὸ Ἀχιλλέως τάφον, στεφάνοις τε κοσμήσας καὶ ἄνθεσι πολυτελῶς, παλιν Ἀχιλλέα ἐμιμεῖτο. Suetonius in Nerone cap. LVII. *Et tamen non defuerunt, qui per longum tempus vernis æſtiviſq; floribus tumulum ejus ornarent.* Et in veteri Epitaphio Irenæ.

SIT. TIBI. TERRA. LEVIS. CINERES. QVOQVE. FLORE. TEGANTVR.

Item in alio Eutichetis Aurigæ:

Sparge. precor. flores. ſupra. mea. buſta. viator.
Faviſti. vivo. forſitan. ipſe. mihi.

Speciatim autem purpureorum florum meminit Virgilius libr. v. Æneid.

Purpureosq; jacit flores ac talia fatur.

Et lib. VI. ejusdem operis:

Tu Marcellus eris. manibus date lilia plenis.
Purpureos ſpargam flores animamq; nepotis
His ſaltem accumulem donis.

De *Liliis* etiam teſtimonium habeo Dioſcoridis

coridis libro III. Ανθολ. tit. εἰς ανδρας οὐκ ἐπισήμους.

Βαλλεθ' ὑπὲρ τύμβου πολία κρῖνα.

Sed inter omnes flores, quibus veteres sepulcra sua accumulabant, principatum quendam obtinuisse videntur *Rosæ*, quarum etiam Græci mentionem faciunt. Anacreon oda εἰς ῥόδον:

Τοδὲ καὶ νοσοῦσιν ἀρκεῖ,
Τοδὲ καὶ νεκροῖς ἀμύνει. h. e.
Medicatur hæc & ægris,
Defendit hæc sepultos.

Et in Epistola Græcâ Petales ad Simalionem, ubi objectat illa amatori, lacrimis quidem se ab eo rigari ac perlui, corollisque & rosis, tanquam cariosum ac vietum sepulcrum, consterni; aliis autem necessariis muneribus prorsus destitui: ἐγὼ δὲ ἡ τάλαινα θρηνῳδὸν οὐ ἐραστὴν ἔχω; στεφάνιά μοι καὶ ῥόδα, ὥσπερ ἀώρῳ τάφῳ, πέμπει. Sic enim malo cum viro docto τάφον ἄωρον interpretari *sepulcrum exoletum*, quòd renovare, interpolare & floribus veluti fucare antiqui solebant, quam *intempestivum* cum aliis, quasi sepulcra tantum eorum, qui ante diem immatura morte fuissent inter-

cepti, floribus conspergerentur. Romani verò *Rosarum* adeo fuere studiosi, ut iis post mortem monumenta sua spargi supremo judicio nonnunquam jusserint, legato ad hanc rem relicto, cui plerumque hæc erat adnexa conditio, ut in Ravennati Inscriptione legimus: Ut. Quotannis. Rosas. Ad. Monumentum. Eius. Deferant. Testatur idipsum Lapis Mediolanensis:

Petroni. Iucun. vi. Vir.
Seni.
Petronia. Mira. L. F.
Patrono. Quæ. HS.
cccc. Leg. Possessoribus.
Vici Bergomag. In Herm.
Tuend. Et. Rosa. Quotannis.
Ornandum.

Quo alluſit V. CL. Joh. Passeratius in Rosâ: *Manibus est imis Rosa grata & grata sepulcris.*

Apud Græcos tamen *Amarantho* potissimùm sepulcra spargi solita, auctor Philostratus in Heroicis, originem ejus referens ad Thessalos, qui Achillis tumulum hoc modo coronarint. Præterea *Pothi* candidi

didi usum in sepulcris fuisse, tradit Theophrastus lib. VI. φυτικῶν, cujus verba apud Athenæum lib. XIV. hæc sunt: ὅτι δ' ἐστὶ δυττὸς, ὁ μὲν ἔχων τὸ ἄνθος ὅμοιον ὑακίνθῳ, ὁ δὲ ἕτερος ἄχρως, ἔκλευκος, ᾧ χρῶνται πρὸς τοὺς τάφους. Quem locum Plinius quidem ante oculos habuit, sed paulo aliter sententiam ejus expressit. Sic enim ille lib. XXI. cap. XI. *Duo genera hujus: unum cui flos hyacinthi est: alterum candidius, qui ferè nascitur in tumulis.* Sed & *Apii* coronis sepulcra sua exornabãt. *Suidas:* Σελίνου στέφανος πένθιμός ἐστι: τὸ γὰρ σέλινον πένθεσι προσήκει. *Corona ex apio lugubris est: apium enim luctibus convenit.* Ejus rei locupletissimum testem laudo Plutarchum, qui memoriæ prodidit, Timoleonti contra Carthaginenses pugnaturo obviam factos mulos apium ferentes, idque à militibus pro infelici augurio habitum esse, quod Apii coronis sepulcra ornare receptum sit: unde & proverbium natum *Apio egere*, qui periculose ægrotet. Verba ejus in Timoleonte hæc sunt. Ἀναβαίνοντι δὲ αὐτῷ πρὸς λόφον, ὃν ὑπερβάλλοντες ἔμελλον κατόψεσθαι τὸ στράτευμα καὶ τὴν δύναμιν τῶν πολεμίων, ἐμβάλλουσιν ἡμίονοι σέλινα κομίζοντες. καὶ τοῖς στρατιώταις εἰσῆλθε πονηρὸν

πονηρὸν εἶναι τὸ σημεῖον. ὅτι τὰ μνήματα τῶν νεκρῶν εἰώθαμεν ἐπιεικῶς στεφανοῦν σελίνοις. καὶ παροιμία τις ἐκ τούτου γέγονεν, τὸν ἐπισφαλῶς νοσοῦντα, δεῖσθαι τοῦτον τοῦ σελίνου. Videatur & Polyænus libr. v. ac Diodorus Siculus in Philippo. Invenio & *Myrti* ramos ſepulcris impoſitos apud Eurip. Electra, ubi inducit hanc ipſam virginem de ea re querentem, cum acerbitatem inimicorum accuſaret, qui ne mortuo quidem Agamemnoni paterentur debitos honores haberi, manesque ejus juſtis ex more factis placari:

Αγαμέμνονος δὲ, inquit, τύμβος ἠτιμασμένος
Οὐπώποτ' οὐ χοὰς, οὐδὲ κλώνα μυρσίνης
Ελαβε: πυρὰ δὲ χέρσος ἀγλαϊσμάτων.

Vide Plutarchum in Ariſtide & P. Victorium libro XVI. Var. Lection. cap. II. ac Hieronymum Magium libro II. Miſcell. cap. XVII.

Romanos verò quod attinet, eos etjam laneis coronis vel infulis, quæ *tæniæ* dicebantur, ſepulcra velare ſolitos, diſcimus ex Varrone, qui libro VI. Ling. Latin. ſic ait: *Infulas dictas apparet in hoſtiis,*

quod

quod è lana quæ adduntur infulæ intra hostiarum cornua, velamenta erant. Itaq; cum ad sepulcrum ferunt frondes atque flores, addunt nunc lanam. Hunc morem intellexit Afranius Epistola: *Publicè hoc incendi rogum: ardet. tænias fer. hoc sepulcro sepeli ilicet.* Et Cæcilius comicus Androgyno:

Sepulcrum plenum tæniarum ita uti assolet.

Quem tamen locum divinus Scaliger Græco potiùs quàm Romano more interpretatur, ac tænias hic intelligit κειρίας vel fascias quibus mortui involuebantur: iis verò Romanos non usos, quod cadavera comburerent. Ingeniosè quidem ille & εὐστοχως: Sed tamen Græcos etiam cadavera combussisse & tæniis ac infulis sepulcra sua & urnas velasse scimus. Plutarchus in Philopæmene auctor est, ejus urnam tæniis ac coronis adeo fuisse coopertam, ut vix conspici potuerit. Videre ibi erat, inquit, αὐτὴν τὴν ὑδρίαν, *quæ ossa ac cineres Philopæmenis continebat.* ὑπὸ πλήθους ταινιῶν τε καὶ στεφάνων μόλις ὁρωμένην. Frontinus libro I. cap. 11. *Epaminondas Thebanus contristatis militibus, quod ex hasta ejus ornamentum*

infulæ more dependens ventus ablatum in sepulcrum Lacedæmonis cujusdam depulerat. Nolite, inquit, milites trepidare. Lacedæmonii significatur interitus. Sepulcra enim infulis ornantur.

Atqui hunc gentilium morem coronis ac floribus sepulcra spargendi antiquiores Christiani penitus abhorruerunt, quod inter crimina Christianis objecta à Cæcilio relatum, teste Minucio Felice in Octavio: *Coronas etiam sepulcris denegatis pallidi, trepidi, misericordia digni, sed nostrorum Deorum:* Idipsum etiam ex Justino Martyre videre est, qui libro II. Apolog. sic ait: ὅπερ μόνον ἐγκαλεῖν ἡμῖν ἔχετε, ὅτι μὴ σὺν αὐτοῖς ὑμῖν σέβομεν θεούς, μηδὲ τοῖς ἀποθανοῦσι χοὰς καὶ κνίσας καὶ ἐκ ταφῆς στεφάνους, ut legit Meursius, καὶ θυσίας φέρομεν. A qua tamen simplicitate postea Christianos recessisse ac variis floribus mortuorum tumulos sparsisse videre est ex D. Hieronymo ad Pammachium: *Ceteri mariti super tumulos conjugum spargunt violas, rosas, lilia, purpureosque flores & dolorem pectoris his officiis consolantur.* Et Prudentio hymno in Exsequiis defunctorum.

Nos

Nos tecta fovebimus ossa
Violis & fronde frequenti
Titulumq; & frigida saxa
Liquido spargemus odore.

CAP. IV.

Silicernii quintuplex veriverbium. Sil. Silatum. *Lucerna in monumentis. Ab AEgyptiis eum morem ortum videri.* Silicernius *pro sene.*

INferias igitur & quæ earum appendix erat, Florum, Coronarumque sparsionem vidimus. Ptogredimur jam ad EPVLAS, quas ipsas etiam plêrunque Inferiis fuisse adjunctas Inscriptiones superius laudatæ loquuntur. Dico *plerunque*. Non enim videntur fuisse ex necessitate justorum, sed ex pietate heredum, qui iis abstinebant, si fortè defuncto fuissent irati, quòd vel hereditatem legatis & fideicommissis diminuisset, vel alio quopiam modo ipsos offendisset. Persius præivit Sat. VI.

—— *sed cœnam funeris hæres*
Negliget iratus si rem curtaveris, urnæ
Ossa inodora dabit.

Erant autem hæ EPVLÆ duûm generum: Privatæ & publicæ.

Privatæ proprio nomine *Silicernia* appella-

pellabātur: cujꝰ vocis quot Syllabæ ſunt, tot etiam reperio veriverbia apud literatores.

Nam primò Fr. Junius in Commentario ad Tertull. Silicernium dici ait, quod ſilaceum cernitur, vel ſilaceo colore cœna, quaſi Siliceſnium ἀπὸ τοῦ Sil, Silis, quod pigmenti genus coloris lutei ſignificat, de quo Plinius lib. XXX. cap. XII. & XIII. Auſonius meminit:

Eſtne peregrini vox nominis an Latii, Sil?

Ab hac igitur voce omnino Silicernium dici Junius arbitratur, quemadmodum & *Silatum* olim dicebant, teſte Feſto, *pro eo, quod nunc jentaculum dicimus. quia jejuni vinum Sili conditum antè meridem abſorbebant.*

Deinde, Gloſſarium videtur accepiſſe quaſi Seleucernium, id eſt, ſine Lucerna, ἀλυχνία: Sic enim in illo legimus *Silicernium* περίδειπνον. Λύχνους γὰρ ἅπτειν ἐν πένθει οὐ θέμις. Cujac. lib. XI. Obſerv. cap. XXI. Et rationem ejus hanc eruit Scaliger, quod natali die lucernæ accenderentur: mortuali verò id non fieret, optimâ de cauſa ut τὸ ἀντίστροφον τῆς γενέσεως, καὶ τῆς τελευτῆς oſtenderetur. Sed de hac Etymologia quid ſentiam, vix habeo dicere: cum

cer-

certò sciam in cippis sepulcrorum semper fuisse suspensas lucernas. cujusmodi fictiles multæ majorum nostrorum ævo ex veteribus monimentis erutæ fuerunt. Dio in larvali illo convivio Domitiani: Καὶ πρῶτον μὲν στήλην ταφοείδη ἑκάστῳ σφῶν παρέστησε, τότε ὄνομα αὐτοῦ ἔχουσαν καὶ λυχνοῦχον μικρὸν, οἷον ἐν τοῖς μνημείοις κρεμάννυται. *Ac primùm omnium juxta unumquemque columnam collocat, factam instar sepulcri, in quâ nomen ejus erat scriptum, pendebatque de eâ lychnuchus parvus, ut assolet in monumentis.* Petronius Arbiter in Satyrico de Matrona Ephesina, quæ positum in hypogeo virum afflicta custodiebat. *Assidebat*, inquit, *ægræ fidissima ancilla simulque & lacrumas commodabat lugenti, & quoties defecerat in monumento lumen renovabat.* Sic enim ingeniose hunc locum legendum censuit noster Rittershusius Notis ad Phædrum, pro vulgata *commendabat* substituens, Latinissimam vocem *commodabat*, id est, in gratiam heræ unâ flebat, ut ita ipsius allevaretur dolor. Cujus viri emendationem, quam verissimam esse qui non videt, certê nihil videt; non possum quin vel amicitiæ causa,

causa, quæ mihi cum ipso est, fulciam insuper auctoritate Donati, qui Terentianum illud in primore Andria *collacrumat*, interpretatur, *alienis lacrimis suas commodabat*.

Sed ad Lucernas redeo, quas in sepulcris ardere solitas unus Modestinus evicerit, qui l. 44. Mævia D. De manumissis testam. hæc verba recitat ex testamento Mæviæ: *Saccus servus meus & Eutychia & Hirene ancillæ meæ omnes sub hac conditione liberi sunto, ut monumento meo alternis mensibus lucernam accendant & solemnia mortis peragant.* Masgabæ parentalia multis luminibus celebrata, supra docuimus ex Sueton. in vita Augusti c. XCVIII. Ex quo ritu ortum, ut & apud Christianos ad defunctorum, inprimis autem Martyrum & sanctorum sepulcra Cerei accenderentur: quam consuetudinem irrisit olim Vigilantius, cujus apud D Hieronymum hæc sunt verba: *Propè ritum gentilium videmus sub prætextu religionis introductum in Ecclesiis, sole adhuc fulgente, moles cereorum accendi, & ubicunq; pulviſculum nescio quod in modico vasculo pretioso est circumdatum, osculantes adorant. Magnum honorem præbent hujusmodi*

modi homines beatissimis Martyribus, quos putant de vilissimis Cereolis illustrandos, quos Agnus, qui est in medio throni cum omni fulgore majestatis suæ illustrat. Sed omnium primò mos hic ex Ægypto Romam videtur migrasse. Sic enim Herodotus lib. II. ubi de Mycerini regis sepulta filia agit: θυμιήματα δὲ παρὰ αὐτῇ παντοῖα καταγίζουσι ἀνὰ πᾶσαν ἡμέρην. νύκτα δὲ ἑκάστην πάννυχος λύχνος παρακαίεται. Hoc est, *Cui singulis diebus omnifarij odores inferuntur, noctibus perpetuò incensa lucerna astat.* Quem locum mihi indicavit doctissimus Juvenis Fridericus Lindenbruchius amicus noster. Hinc ergo constat vix esse ut Silicernii ἔτυμον, quod Glossariographo in mentem fuisse dixi, possit subsistere. Audiamus aliud.

Tertiò, Festus à Silice & cerno derivat: *Dictum*, inquit, *Silicernium, quia cujus nomine ea res instituebatur, is jam Silicem cerneret.* Cœcilius: *Credidi Silicernium ejus me esse esurum.* Quo sensu accepisse etiam video Fulgentium libr. De prisco sermone. *Silicernios dici voluerunt senes incurvos, quasi jam sepulcrorum suorum silices adspicientes.* Unde Cintius Alimetus Histo-

de

de Gorgia Leont. scribit dicens: *Qui dum Silicernius sui finẽ temporis expectaret, etsi mori non potuit, tamen infirmitatibus insultavit.*

Quartò, Alii à verbis Silere & cernere deducunt duplici sensu. Donatus in Terentii Adelphos. *Silicernium*, inquit, *Cœna est, quæ infertur DIs Manibus, vel quod eam silentes cernant umbræ, id est, possideant: vel quod qui inferunt cernant, sed non deguſtent. Nam de his quæ libantur inferis, quisquis ederit aut biberit, funestabatur.* Quam Etymologiam amplexus μακαρίτης Janus Guilielmius civis meus lib. III. Verisimil. cap. XII. qui in veteri glossario pro voce λύχνους legendum existimat λίχνους unius literæ mutatione. οἱ λίχνοι, Hesychio ὀψοφάγοι sunt; ii aderant quidem, sed nihil gustabant.

Deniqúe à Silice & Cenâ originationem hujus vocis deducit Servius in V. Æneid. ad hæc verba: Libavitq; dapes. *Leviter*, inquit, *gustavit epulas superpositas, quæ Silicernium vocantur, quasi Silicenium, super Silicem positum.* Cesnas enim veteres dicebant & Pœsnas, pro Cenas, Pœnas, teste Festo in Sceſnas. Ab eo Siliceſnium & postea Silicernium. Sic Casmina, Carmina:

Vale-

Valesius, Valerius, & similia. Quemadmodum igitur Ergastulus dictus, qui in ergastulo maneret: ita Silicernius, qui dignus erat, ut pro eo Silicernium pararetur. Atque hoc esse legitimum ac verum hujus cascæ vocis etymon omnino existimo: quod etiam illustris Scaliger reliquis omnibus videtur antepositisse.

CAP. V.

Epulæ quibus parentatum mortuis, duûm generum: Privatæ & Publicæ: Illæ iterum duplices: Mortuorum & Vivorum. Dis manibus oblata gustare nefas. Pythagoræ Symbolum illustratum. Rapere è rogo cœnam. Bustirapi. *Quando hæ Epulæ celebratæ. Publicis epulis adjuncta plerunq; viscerationes.*

QUàm mirè vox Silicernii ingenia etiam acutissima exercuerit, indicio sunt quinq; ejus etyma, quæ ex diversis auctoribus collecta superiori capite proposuimus. Et quanquam illa in speciem sibi pugnare videantur, si quis tamen pensiculatè hæc meditatus fuerit, totum negocium sine labore componet, me fortean non ineptè præeunte. Ita enim existimo, Privatas hasce Epulas sive Silicernia fuisse iterum duplicia: Mortuorum nempe & Vivorum.

Sili-

Silicernia Mortuorum erant, quæ DIs Manibus offerebantur, quæ *cernere silentio* tantùm, ut Donatus ἐτυμολογεῖ, non etiam degustare fas erat parentantes: ab hac causa, ne funestarentur, quod fieri existimabant, si quis quid eorum, quæ Divis Manibus libabantur, furtim involare seu tuburcinari quidpiam in animum induxisset suum. Erant enim veteres in illa opinione, ut putarent animas defunctorum ab inferis excitatas iis vesci & delectari, ut videre est apud Homerum Odyss. λ. Disertè Lucianus, ἐπισκοτοῦσιν inquit: οὐκ οἶδα ὦ Πορθμεῦ, τι ταῦτα πρὸς ἐν Ἅδου. πεπεῖσθαι κασι δὲ εἶναι τὰς ψυχὰς ἀναπεμπομένας κάτωθεν, δεῖπνεῖν μὲν, ὡς οἷόν τε περιπετομένας τὴν κνίσσαν καὶ καπνὸν, πίνειν δὲ αὐτὸ τοῦ βόθρου τὸ μελίκρατον. Hoc est, *Equidem ignoro, ô Porthmeu, quid hæc ad eos, qui ad inferos agunt, pertineant. Verum illis persuasum est, umbras ab inferis reduces cœnare quidem; utcunq; liceat, circum nidorem volitando: bibere autem è foveis mulsum.* Tangit etiam Augustinus & reprehendit Sermone XV. De Sanctis: *Miror cur apud quosdam infideles hodie tam pernitiosus error increverit, ut super tumulos defunctorum cibos & vi-*

na

na conferant, quasi egressæ de corporibus animæ carnales cibos requirant. Epulæ enim & refectiones caro tantum requirit: Spiritus autem & anima ijs non indigent: parare aliquis suis caris dicit, quod ipse devorat, quod præstat ventri, imputat pietati. Atq; hæc causa, cur piaculi loco habitum gustare ea, quæ DIs Manibus essent oblata. Ex quo ritu lucem fœneror obscuro Pythagoræ Symbolo: *τὰ πεσόντα μὴ ἀναιρεῖσθαι, quæ deciderint ne tollas*, vel potius, ut alii efferunt, *μηδὲ γεύεσθαι ἂν ἐντὸς τῆς τραπέζης καταπέσῃ*, hoc est, *ne gustes, quæcunq; de mensa deciderint.* Nam quicquid inter edendum sub mensam cadebat, id amicis defunctis sacrum putabatur, ut discimus ex Athenæo libr. x. *τοῖς δὲ τετελευτηκόσι τῶν φίλων ἀπέπεμπον τὰ πίπτοντα τῆς τροφῆς ἀπὸ τῶν τραπεζῶν*, h. e. *Amicis mortuis cibos dant, qui de mensa deciderant*, Et inde opinor ortum, ut Silicernia hæc antiquitus super tumulum relinquerentur, sive etiam comburentur vel in Culinâ: Festus: *Culina vocatur locus, in quo Epulæ in funere comburebãtur*, Vel in ipso rogo. Unde Virgilius l. VI. Æn.

—— *Congesta cremantur*
Thurea dona, dapes, fuso crateres olivo.

Quo pertinet illud Tertulliani de Resurrect. carnis. *At ego magis videbo vulgus, tunc quoq; cum ipsos defunctos atrocissimè comburit, quos postmodum gulosissimè nutrit, ijsdem ignibus & promerens & offendens.* Ex hoc igitur fonte videtur manasse genus loquendi *Cœnam è rogo rapere*, vel simile aliquid, quo utebantur olim, aut summam mendicitatē alicui imprecaturi, aut exprobraturi diram habendi cupiditatem, sive quod extrema mendicimonia necessitate coacta solerent Silicernia in busticetis vorare: sive quod insigniter rapaces oporteret esse eos, qui à feralib. istis epulis & Dis Manibus sacris non possent sibi temperare, rapaciores nimirum ipsis milvis, quam licet *rapacissimā & famelicam semper alitem: nihil tamen esculenti rapere unquam ex funerum ferculis* tradit Plinius libr. x. cap. x. Hinc Catullus:

Vxornè Meni, sæpe quam in sepulcretis
Vidisti ipso rapere de rogo cœnam
Cum devolutum ex igne prosequens panem
A semiraso tunderetur ustore.

Tibullus:

Ipsa fame stimulante furens, escasq; sepulcris
Quærat, & à sævis ossa relicta lupis.

Huc refert Turnebus Terentii illud Eunucho:

Ex

Ex flamma te petere cibum posse arbitror

Si qui lucri causa omnia nefanda subire non verebantur, *Bustirapi*, audiebant, ut notat Janus Guilielmius in Verisimilibus. Plautus in Pseudolo.

—— *Iam ego te differam dictis meis.*
Impudice. BA. *Ita est.* PS. *Sceleste.* BA. *Dicis vera.* PS. *Verbero.*
BA. *Quippe mi?* PS. *Bustirape.* BA. *Certè, &c.*

Sed præter hanc *Dæmoniorum cœnam*, ut vocat Tertullianus de Spectac. erant adhuc aliæ Privatæ epulæ, quas amici & sanguine proximi ad sepulcra carorum suorum solebant inire, absumentes ne dicam abligurientes, quicquid in hisce epulis esset appositum. De his intelligendus Cicero Orat. pro L. Flacco. *Sepulcrum L. Catilinæ floribus ornatum, hominum audacissimorum & domesticorum hostium conventu epulisq; celebratum est.* Tertullian. de Testimonio animæ cap. IV. *Vocas porrò securos mortuos, si quando extra portam cum obsoniis & mattiis tibi potius parentans ad busta recedis, aut à bustis dilutior redis.* Cæcilius: *Credidi ejus me Silicernium esurum.* Nec aliter Nonius, nisi quod proprietate verbi paulò pressius excussa, *Silicernium* vult esse

convivium funebre, quod unis senibus exhiletur.

Ceterum Ferales hasce Cenas virorum, quemadmodum etiam illas mortuorum, & in ipsis Exsequiis, & Novemdialibus & Denicalibus & Feralibus feriis aliisque diebus parentalibus celebrari solitas reperio. In ipsis Exsequiis docet Varro Meleagris: *Funus exsequiati cum lausu ad sepulcrum antiquo more Silicernium confecimus, id est,* Περίδειπνον: *quo pransi discedentes dicimus aliis alij Vale.* Apulejus libr. IV. Floridor. *Procul igitur faces abigerent, procul ignes immolirentur: cænam feralem à tumulo ad mensam referrent.* De Novemdialibus autem epulis Iulius Obsequens: *In sacro Novemdiali cœna Deæ posita, à tane adesa, antequam delibaretur.* Quanquam Lipsius ambigit, an id ad sacrum Novemdiale referendum sit, quod solitum fieri post lapidum imbrem. Certè alluſum huc à Cotta Messalino apud Tacitum libr. VI. Annal. ubi sic ait: *Exin Cotta Messalinus arguitur pleraq;. C. Cæsarem quasi in incertæ virilitatis & cum die natali Augusti inter Sacerdotes epularetur Novemdialem eã*

cæ-

cœnam appellavit. Sensus est: cum natalis Augusti celebraretur, dies lætus vitæq; autor, videri sibi Cotta ferales eas potius epulas dixit, sive quia ille natus est exitii causa multis: sive quia ante novem fortè dies multi à Tiberio animadversi interfectiq;, ut interpretatur clarissimus Lipsius. Nec abludit Plautus Aulularia:

Cocus ille nundinalis est, in nonum diem
Solet ire coctum.

Id est Feralis, Novemdialisq;, &, qui mortuis tantum parat in cœnam, ut Scaligero, Lipsio, Duzæ, huno locum interpretantibus præivit Festus: ac ipse Plautus explicat Pseudolo; ubi de Coquo ipsi sermo:

Quin ob eam rem Orcus recipere hunc ad se noluit.
Vt esset hic, qui mortuis cœnam coquat.
Nam hic solus illis coquere, quod placeat, potest.

De cœnis Denicalibus ut credam, moveor testimonio Festi: *Silicernium*, inquit ille, *erat genus farciminis, cujus esu familia purgabatur.* Nam Denicalibus familiam purgari solitam supra ostendimus. Feralibus etiam Silicernia ad tumulum celebrata, vide sis apud Ovid. 11. Fastor.

Deniq; Legata interdum relicta, hac conditione, ut ex eorum reditu epulum fieret,

eret, à rosis sepulcrum spargeretur, discimus ex Juvenal. Sat. III.

Vnde epulum possis dare centum Pythagoreis.

Loquuntur idipsum etiam literati lapides plurimi, inter quos unus Torcelli visitur:

LONGIUS. PATRO
CLUS. SECUTUS
PIETATEM. COL
CENT. HORTOS
CUM. ÆDIFICIO
HUIC. SEPUL. JUNC
TO. VIVOS. DONA
VIT. UT. EX. REDI.
TU. EOR. LARGIUS
ROSÆ. ET. ESCE
PATRONO. SUO. ET
QUANDOQ. SIBI
PONERENTUR.

Atq; hæc de epulis Privatis.

Publicæ erant, quibus interdum ditiores in defunctorum memoriam publicè solebant populum Rom. excipere. ut in funere Africani Q. Maximus: Cicero pro Muræna; *Honestus homo & nobilis Q. Tubero cum epulum Q. Maximus Africani patris sui nomine populo daret, &c.* In funere

Syllæ

Syllæ Faustus, F. teste Dione lib. XXXVII. Καὶ τῷ αὐτῷ ἔτῳ χρόνῳ φαῦστος ὁ τοῦ Σύλλα παῖς ἀγῶνα τε μονομαχίας ἐπὶ τῷ πατρὶ ἐποίησε, καὶ τὸν δῆμον λαμπρῶς εἱστίασε, τά τε λουτρὰ καὶ ἔλαιον παρεῖχεν. hoc est: *Sub idem tempus Faustus Syllæ F. ludos gladiatorios in honorem patris sui exhibuit, populumq; lauto convivio excepit, iisq; balnea & oleum donavit.* Et in filiæ suæ memoriam C. Julius Cæsar: Suetonius cap. XXVI. *Munus populo epulumque pronunciavit in filiæ memoriam, quod ante eum nemo.* Hujus generis erant etiam Visserationes, id est, largitiones illæ, quibus caro multorum animalium populo publicè distribuebatur. Nam ut Servius ait in lib. I. & VII. Æneid. *Viscera dicimus non tantum intestina, sed quicquid sub corio est.* De his Livius libr. VIII. *Et populo visceratio data à M. Flavio in funere matris.* Et lib. XLI. de T. Flaminio, qui munus gladiatorium *mortis causa patris sui cum Visceratione & ludis scenicis dedit quatriduum.* Plerunq; tamen epulis erant adjunctæ hæ visserationes, ut videre est ex Livii lib. 39. non longè à fine: *P. Licinij funeris causa visceratio data & gladiatores LXX. pugnarunt.*

& ludi funebres per triduum facti, post ludos epulum: in quo cum toto foro strata triclinia essent, coëgit plerosq; tabernacula statuere in foro. Autor de viris illustrib. cap. de Q. Fabio Rutiliano. *Mortuo huic tantum æris populi liberalitate congestum, ut inde filius viscerationem & epulas publicè daret.* Vide Halicar. libr. v. ἀρχαιολογίας. Huc pertinet etiam Largitio Q. Terentii Culleonis Prætoris, quem in funere Scipionis *ad portam Capenam mulsum prosequutis funus dedisse* refert Livius lib. 38.

CAP. VI.

De Iudæorum & Græcorum funebribus cœnis. περίδειπον, περιδειπνήσειν, τάφος. *Laudes mortui in funebri convivio celebratæ. Nomina eorum, qui seipsos suspendissent, in parentalibus non vocata. Christianorum cœnæ funeb. luxuriosæ à S. S. Patribus vehementer perstringuntur.*

NEC verò apud Romanos solùm: sed etiam alios populos funerales hujusmodi cœnæ celebrabantur.

De Judæis patet ex lib, II. Reg. cap. III. vers. XXXV. ubi David populum, qui Abneri exsequias iverat, clara adhuc luce ἐς περιδειπνήσειν ἕσεκα ad se venire conspicatus,

con-

conceptis verbis juraſſe ſcribitur: *Hæc faciat mihi Deus & hæc addat, ſi ante occaſum Solis guſtavero panem vel aliud quicquam.* Attingit hunc ritum & Baruch Propheta capit. VI. verſ. XXXI. de Sacerdotibus Babyloniis loquens: *Rugiunt autem clamantes contra DEOS ſuos, ſicut in cœna mortui,* ὡς ἐν δείπνῳ νεκρῶν. Referunt huc etiam illud Ezechielis cap. XXIV. verſ. XVII. & XXII. *Cibos lugentium non comedes.* Ad ſepulcrum etiam latas epulas apud eandem gentem, non obſcurè indicat Tobias in ſuprema oratione exhortatoria ad filium cap. IV. *Panem tuum & vinum tuum ſuper ſepulturam juſti conſtitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus.* Et Eccleſiaſtes capit. XXX. verſ. XVII. *Tolerabilior eſt mors ipſa, quam valetudo adverſa & morbus perpetuus. Perinde enim eſt, ut ferculum ſplendidum, quod palato ægroto proponitur, & cibi poſiti ad buſtum ſepulti.* Huic ſimile eſt illud Socratis apud Stobæum: ὁ τῶν φιλαργύρων βίος ἔοικε νεκρῶν δείπνῳ. πάντα μὲν γὰρ ἔχων, τῶν δ' ὠφελημάτων οὐκ ἔχει. Quid? quod publicè etiam populum Judaicum funebri epulo exceptum legimus. Nam Archelaum Herodis F. ſeptem

dies patris sui mortem Hierosolymis luxisse, & funebre epulum populo exhibuisse autor est Joseph. lib. II. de bello Judaic. ubi paulò pòst subjungit: hanc epulandi consuetudinem circa luctus perquam multos Judæorum ad inopiam redegisse; quod vulgus necessariò adesse coactus sit, & qui neglexisset, habitus pro impio. Ἔθος δὲ, inquit, τοῦτο παρὰ Ἰουδαίοις πολλοῖς, πενίας αἴτιον, διὰ τὸ πλῆθος ἑστιᾶν, οὐκ ἄνευ ἀνάγκης, εἰ γὰρ παραλίποι τὶς οὐχ ὅσιος.

Similiter Græci quoq; funebres epulas usurparunt, quas περίδειπνα appellabant. Autor Etymologici: περίδειπνον, ἢ ἐπὶ τοῖς ἀποθανοῦσι γενομένη ἑστίασις. Homerus vero τάφον vocat Iliad. Φ. in funere Patrocli:

—— αὐτὰρ ὁ τοῖσι τάφον μενοεικέα δαῖνυ.

Ad quem locum videndus Eustathius. In Hectoris quoque funere, epuli sepulcralis meminit idem Poëta Iliad. ω.

Χεύαντες δὲ τὸ σῆμα πάλιν κίον: αὐτὰρ ἔπειτα
Εὖ συναγειράμενοι, δαίνυντ' ἐρικυδέα δαῖτα
Δώμασιν ἐν πριάμοιο, h. e.

Aggesto à tumulo redibant. atq; deinde
Bene collecti convivabantur splendidum convivium
AEdibus in Priami.

Cui non absimile est illud Hegesandri Poëtæ, qui apud Athenæum lib. VII. coquum sic loquentem introducit:

ὅταν

ὅταν ἐν περιδείπνῳ τυγχάνω Διακονῶν.
ἐπὰν τάχιστ' ἔλθωσιν ἐκ τῆς ἐκφορᾶς. h. e.
Quando forte ministro in funebri cœna
Cum celerrimè ex funere redierint.

Sic etiam Argonautæ in memoriam Idmonis funebrem cœnam eamq; magnificam tertio post ejus obitum die celebrarunt: ut ait Apollonius lib. II. Argonaut. vers. 839.

ἤματα δὲ τρία πάντα γόων. ἑτέρῳ δέ προ ἤδη
τάρχυον μεγαλωστὶ, συνεκτερέιζε δὲ λαὸς
σὺ τῷ ὁμοῦ βασιλῆι Λυκῳ. πάρα δ' ἄσπετα μῆλα,
ἢ θέμις οἰχομένοισι, ταφήϊα λαιμοτόμησιν.

Meminit harum epularum etiam Artemidorus lib. IV. ὀνειροκριτ. cap. LXXXIII. Et Lucianus in fine libri de Luctu.

Nec omittendum quod Cicero tradit, in hujusmodi funebrib. conviviis, quæ à coronatis inibantur, laudes mortui fuisse celebratas. Sic enim ille libr. II. de legib. *Sequebantur epulæ quas inirent propinqui coronati: apud quas de mortui laude, cum quid veri erat, prædicatum: nam mentiri nefas habebatur.* Verum id olim fuit apud priscos Athenienses usitatum: à qua virtute postgeniti tantopere degenerarunt, ut etiam improbos in funebri convivio laudibus ornare instituerint: ut videre est ex vulgari

gari eorum proverbio: οὐκ ἐπαινεθείης οὐδ' ἐν περιδείπνῳ. Id est. *Ne in funebri quidem cœna laudaveris*: In hominem perdite improbum, & ne mica quidem laudis dignum. Vide Erasmum in Adag.

Præter hæc solitos etiam Græcos in parentalibus vel funebribus hisce epulis omnium clarorum jam vita functorum nomina ciere, præter eorum qui sibi ipsi laqueo mortem conscivissent, auctor Artemidorus. libr. I. ὀνειροκριτικῶν cap. V. Ἀτὸμός τε καὶ φυγὰς γενιμένος ἀναρτήσας ἑαυτὸν ἐτελεύτησε τὸν βίον, ὥς μηδὲ ἀποθανὼν ἔχειν ὄνομα. τούτους γὰρ μόνους ἐν νεκρῶν δείπνοις οὐ καλοῦσιν οἱ προσήκοντες.

Antiquissimas igitur gentes olim funebres cœnas agitasse hinc constat. Quem ritum etiam à veteribus Christianis frequentatum, atque adeo pravis moribus subinde succrescentibus eo intemperantię denique ventum esse, ut plerique ad sepulcra luxuriosissimè & ad ebrietatem usque epularentur; Augustinus indicat sermone de Diversis. XLIII. De Luxuria & Avaritia. cap. VI. *Tu demis & subtrahis gutturi tuo: ille fortè cum mortuus fueris calicem super te non ponet: Aut si fortè ponet calicem, ipse inebriabi-*

briatur, ad te nulla stilla descendet. In hoc igitur ritu abrogando plurimum à S. Patribus fuit laboratum. Sane ab Ambrosio eum vetitum, quòd illa parentalia superstitioni gentium essent similima, auctor est Augustinus libr. VI. Confess. cap. II. Ipse etiam Ambrosius libr. De Helia & Jejunio cap. XVII. hanc consuetudinem his verbis perstringit: *Sicut illi qui calices ad sepulcra martyrum deferunt, atq; illic in vesperam bibunt, & aliter se exaudiri posse non credunt. O stultitia hominum, qui ebrietatem sacrificium putant, qui æstimant illos ebrietate placere, qui jejunio passiones sustinere didicerunt.* Augustinus de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. XXXIV. *Nolite*, inquit, *consectari turbas imperitorum, qui in ipsa vera religione superstiosi sunt. Novi multos esse sepulcrorum & picturarum adoratores, novi multos, qui cum luxuriosissimè super mortuos bibunt, & epulas cadaveribus exhibentes super sepultos seipsos sepeliunt.* Cyprianus de duplici martyrio: *Temulentia adeo communis est Africæ, ut propemodum non habeatur pro crimine. An non videmus ad martyrum memorias Christianum à Christiano cogi ad ebrietatem? An hoc levi-*

levius crimen esse dicimus, quam Baccho hircum immolare? Gaudentius Sermone IV. *Nam gulæ suæ causa, primùm cœperunt homines prandia mortuis præparare, quæ ipsi comederent: post hoc etiam sacrificia ausi sunt eis sacrilega celebrare. quamvis nec ipsi mortuis suis minùs sacrificent parentalia, dum super sepulcrorum mensas tremulis ebrietate manibus vina fundentes, spiritum balbutiunt.* Videtur tamen hunc ritum Augustinus leniter excusasse libro IX. De Civit. Dei. cap. ult. *Quicunque epulas suas eò* (ad sepulcra martyrum) *deferunt, quod quidem à Christianis melioribus non fit & plerisque terrarum nulla talis est consuetudo, tamen quicunque id faciunt, quas cum apposuerint, orant & auferunt ut vescantur vel ex eis etiam indigentibus largiantur, sanctificari ibi eas volunt per merita martyrum in nomine Domini martyrum.* Cui rei etiam subtexo locum Paulini excusantis suos rusticos in Italia, quod usi vel abusi per simplicitatem veteri gentilium more ad sepulcrum ipsum D. Felicis. Sic enim loquitur in Natali Felicis IX.

Ignoscen-

—— Ignoscenda tamen puto talia parvis,
Gaudia qui dicunt epulis: quia mentibus error
Incepit rudibus: nec tanta conscia culpa
Simplicitas pietate caret, male credula sanctos
Perfusis halante mero gaudere sepulcris.

CAPUT VII.

De cibis Feralibus, ut sunt Faba, Apium, Lactuca, Panis, Ova, Lens, Sal. Libum, Carnes. Pulticula, Obba quid? vestes albæ in funebribus cani.

PEne Cibos præterieram, qui feralibus hisce epulis apponebantur. Nam certos quosdam cibos mortuali huic cœnæ proprios fuisse, docet Xiphilinus in Domitiano, ubi de simulato illo sepulcrali epulo loquitur. Καὶ μετὰ τοῦτο πάλιν ὅσπερ ἐν τοῖς ἐναγίσμασι καταγίζεται, καὶ ἐκείνοις μέλανα ἐν σκεύεσιν ὁμοίως προσωλέχθη. *Deniq; quæ in exsequiis mortuorum adhiberi solita, in vasis eodem modo iis apposita fuerunt.* Ac generatim quidem Plutarchus in Problem. monet omnis generis legumina circum ἐδέσματα ἐν προκλήσεσι τῶν νεκρῶν fuisse adhibita. Speciatim verò in funeralibus hisce epulis mentionem fieri Fabarum, Apii, Lactucæ, Panis, Ovorum, Lentium ac Salis vel Libi, Carnium, Pulticulæ, &c. observavimus.

De Faba, Festus: *Fabam nec tangere nec nominare Diali flamini licet, quòd ea puta-*

tur

tur ad mortuos pertinere. *Nam & Lemuralibus jacitur Larvis, & parentalibus adhibetur sacrificiis & in flore ejus luctus litteræ apparere videntur.* Quæ à Varrone habet, ut patet ex hoc loco Plinii lib. XVIII. cap. XII. *Quin & prisco ritu fabacia suæ religionis DIs in sacro est, prævalens pulmentari cibo, & hebetare sensus existimata, insomnia quoq; facere. Ob hæc Pythagorica sententia damnata: ut alii tradidere, quoniam mortuorum animæ sunt in ea. Qua de causa parentando utique assumitur. Varro & ob hæc Flaminem ea non vesci tradit, & quoniam in flore ejus literæ lugubres reperiantur.*

Apii meminit Plinius libr. XX. cap. XI. *Chrysippus & Dionysius dicunt neutrum apium ad cibos admittendum: imo omnino nefas. nam id defunctorum epulis dicatum esse.* Cui loco illustrando facit illud Arnobii libr. V. contra Gentes: *oblivioni etiam Corybantia sacra donentur, in quibus sanctum illud mysterium traditur: frater trucidatus à fratribus, interempti ex sanguine Apium natum, prohibitum mensis olus illud apponi, ne à manibus mortui inexpiabilis contraheretur offensio.*

Lactucam etiam τῶν νεκύων βρῶμα appellat

pellat Eubulus in Astytis apud Athenæum. lib. II. de lactuca.

Εν τῷ λαχάνῳ τοὺτῳ γὰρ, ὡς ὁ λόγος ποτὲ
Τον Αδῶνιν ἀποθάνοντα προὔθηκε Κύπρις
ὥς ἐστι νεκύων βρῶμα. Id est.

In eo quidem olere prædicant Adonim mortuum à Venere sepultum fuisse. Itaque mortuorum edulium est.

Panem in hoc albo ponit Catullus:

Cum devolutum ex igne prosequens panem
A semiraso tunderetur ustore.

Meminit & Tertullianus. libro VI. Confess. cap. II.

Sed & Ova hîc reperio: Juvenalis.

—— dimidio constrictus gammarus ovo
Ponitur exigua feralis cœna patella.

Addo Lentem & salem, hoc est, φάκους καὶ ἅλας: ἃ νομίζουσι Ρομαῖοι πένθιμα, καὶ προτίθενται τοῖς νέκυσιν, ut ait Plutarchus in Crasso. A quo tamen dissentit Appianus in Parthic. ubi eadem narrans φάκους καὶ μάζαν. hoc est, *Lentem & Libum* mortuorum cœnis adsignat. Iudæos quoq; Lente potissimum in luctu uti solitos, innuit Hieronymus ad Paulam de Blesillæ obitu his verbis: *Flentes usque hodie Iudæi nudis pedibus in cinere volutati, sacco induti, ex superstitione Pharisæo-*

risæorum prius cibum lentis accipiunt, signantes quasi quo edulio primogenituram perdiderunt.

Carnem & Pulticulam invenies apud Arnobium lib. VII. Adv. Gentes: *Nam pulticulæ, thura cum carnibus rapacium alimenta sunt ignium & parentalibus conjunctissima mortuorum.* Tertull: lib. VI. Confess. cap. II. de Matre sua: *Cum ad memorias sanctorum, sicut in Africa solet, pultes & panem & merum attulisset.*

Atq; hi potissimum cibi, quibus Silicernia non Romæ solùm, sed & alibi constitisse mihi est observatum. Invenio insuper in iisdem epulis fuisse usum poculi cujusdam, quod *Obbam* appellabant. Glossarium. *Obva, ἀμβιξ, ἐν ᾧ τοῖς νεκροῖς σπένδουσιν.* Tertullianus in Apologetico: cap. XIII. *Quid differt ab epulo Iovis Silicernium? à simpulo Obba? ab aruspice pollinctor? nam & aruspex mortuis apparet.* Utrumque autem vocabulum & *Obba* & *Simpulum* in sacris Hetruscorum celebre, originem trahit ex Hebræo: Simpulum à Sophel, & Obba ab Ob, vase ventricoso, ut notat Scaliger.

Restat accumbentium in feralibus hi-

sce

sce cœnis vestitus: qui, sicut & in aliis conviviis, erat albus: nam nefas ducebant atratum ad epulas hasce accedere. Discimus id ex gravissima Ciceronis Invectiva in Vatinium, cui tanquam scelus quoddam objicit, quod in funebri convivio pullatus cœnaverit. Verba ejus hæc sunt: *Atque illud etiam scire cupio, quo consilio, aut qua mente feceris, ut in epulo Cn. Arii familiaris mei cum togâ pullâ accumberes: quem unquam videris, quem audiveris, quo exemplo, quo more feceris? Dices, supplicationes te illas non putasse: Optimè. Nullæ fuerint supplicationes, &c. Quis unquam cœnavit atratus? ita enim illud epulum est funebre, ut munus sit funeris, epulæ quidem ipsæ dignitatis. Sed omitto epulum, populi Romani festum diem argento, veste, omni apparatu visendo: quis unquam in luctu domestico, quis in funere familiari cœnavit cum togâ pulla? Cui de balneis exeunti præter te, toga pulla unquam data est? cum tot hominum millia accumberent, cum ipse epuli dominus Qu. Arius albatus esset, tu in templum Castoris te cum C. Figulo atrato, ceterisque tuis furiis funestum intulisti, &c.*

Cap. VIII.

De Ludis funebribus. Quoties illorum apud Livium mentio. In Funeribus indictivis ii potissimum usitati, Plautus explicatus.

AB epulis ad Ludos transibimus: quos in funeribus præberi solitos testes mihi sunt, ut cum Græcis dicam, ψαμμακόσιοι. De causa & origine illorum Tertullianus De spectaculis cap. de munere: *Olim quoniam animas defunctorum humano sanguine propitiari creditum erat, captivos vel malo ingenio servos mercati in exsequiis immolabant: postea placuit impietatem voluptate adumbrare. Itaque quos paraverant, armis quibus tunc & qualiter poterant eruditos, tantum ut occidi discerent, mox edicto die inferiarum apud tumulos erogabant.* Hæc muneris origo. In quam sententiam & Servius libr. x. Æneid: *Moris erat*, inquit, *in sepulcris virorum fortium captivos necari: quod postquam crudele visum est, placuit gladiatores ante sepulcra dimicare, qui à busti cineribus Bustuarii dicti.* Qui locus Ciceroni præibit ad lucem, scribenti in Pisonianâ: *Neque ego cessissem & me ipsa suo complexu patria tenuisset, si mihi cum illo Bustuario gladiatore*

diatore (Clodium putat) *& tecum decertandum fuisset.*

Ac verò jam indicem videamus eorum ludorum, quorum à Livio potissimum factam mentionem, jam dudum accuratè annotavit pater omnis eruditionis Just. LIPSIVS: ex cujus Saturnalitio thesauro plæraq; hæc, quod per bonam ejus gratiam mihi liceat, in tabulas nostras referenda existimavi. I. Ac primo quidem Gladiatores publicè dati in Foro Boario à M. & D. Brutis causa mortis patris, anno ab V. Con. cccc x c. Valer. Maximus. libr. II. Cap. IV. *Gladiatorium munus primum Romæ datum est in foro Boario Ap. Claudio & M. Fulvio Coss. Dederunt M. & D. Iunii Bruti, funebri memoria patris cineres honorando.* Ec Epitome Liviana XVI. *D. Iunius Brutus munus gladiatorium in defuncti patris memoriam edidit primus.* Ubi tamen malè scriptoris an exscriptoris culpâ omissus Marcus. Hoc amplius verò Ausonius tria paria Gladiatorum à Juniis data asserit; Poëtice & μεγαλύνων tria bella & tres pugnas appellans:

Tres primas Thracum pugnas, tribus ordine bellis
Iuniadæ patrio inferias misêre sepulcro.

II. Rursus post annos quinquaginta Livius duo & viginti paria data refert anno ab. V. C. ɔɔxxxx. verba ejus è libr. xxiii. *M. Æmilio Lepido, qui bis consul augurq; fuerat, filii tres Lucius, Marcus, Quintius ludos funebres per triduum & gladiatorum paria duo & viginti per triduum in foro dederunt.*

III. Iterum lib. xxxi. interjectis quatuordecim ferme annis *P. Sulpitio, C. Aurelio Coss* paria viginti quinque: *Ludi*, inquit, *funebres eo anno per quatriduum in foro mortis M. Valerii Lævini causa à P. & M. Filiis ejus facti: & munus gladiatorium datum ab iis. Paria quinq; & viginti pugnaverunt.*

IV. Et libr. xxxix. *P. Licinii funeris causa visceratio data & gladiatores* LXX. *pugnarunt. Sic enim & ἑξήκοντα* ibi legendum putat Lipsius, quod numerus cxx. qui est in vulgatis editionibus, sit grandior, quàm conveniat in id ævum.

V. Denique anno urbis ɔɔ L xxx. paria data triginta septem, quod velut primariæ magnificentiæ recensuit libr. xli. *Munera gladiatorum eo anno aliquot paria alia data. unum ante cetera insigne fuit T. Flaminii, quod mortis causa patris sui cum viscera-*

sceratione epuloq; & ludis senicis quatriduum dedit. magni tamen muneris ea summa fuit, vt per triduum quatuor & septuaginta homines pugnarint.

Hi sunt ludi funebres, quorum mentio in Livio. Unum adhuc munus restat, quod non Romæ, sed in provincia præbitum à Scipione. de eo sic loquitur, lib. XXIIX. *Scipio Carthaginem ad vota solvenda Diis, munusq; gladiatorium, quod mortis causa patris patruique paraverat, edendum rediit.*

Sed non abs re fuerit, etiam aliorum auctorum testimonia, quæ quidem mihi jam in mentem veniunt, hîc adscribere. Dio libr. XXXVII. Κἂν τῷ αὐτῷ χρόνῳ φαῦστος ὁ τοῦ Σύλλου παῖς ἀγῶνά τε μονομαχίας ἐπὶ τῷ πατρὶ ἐποίησε. *Sub idem tempus Faustus Syllæ F. ludos gladiatorios in honorem patris exhibuit.* Et libr. XXXIX. sub initium de Clodio. ἐν αὐτῇ τῇ διαψηφίσει ὁ Κλώδιος γνοῦς τὸ πλῆθος πρὸς τοῦ Κικέρωνος ἐσόμενον, σὺν μονομάχους, οὓς ὁ Ἀδελφὸς αὐτοῦ πρὸς ἀγῶνας ἐπιταφίους ἐπὶ τῷ Μάρκῳ τῷ συγγενεῖ προπαρεσκεύαστο, λαβὼν, ἐσεπήδησεν ἐς τὸ σύλλογον. h. e. *In ipsa suffragatione Clodius cognito multitudinem pro Cicerone futuram, acceptis gladiatoribus, quos frater suus paraverat ad*

ludos funebres quos Marco propinquo suo instituerat, in concionem insiluit. Plinius libr. XXXVI. Cap. XV. *C. Curio, qui bello civili in Cæsarianis partibus obiit, funebri patris munere, cum opibus apparatuque non posset superare Scaurum, theatra duo juxtà fecit amplissima, &c.* Suetonius in Tiberio cap. VII. *Munus gladiatorium in memoriam fratris, & alterum in avi Drusi dedit diversis temporibus ac locis. Primum in foro, secundum in Amphitheatro, rudiariis quoque quibusdam revocatis auctoramento centenûm millium.* Jul. Capitolinus in M. Antonino Philosopho. *Hadriano Baiis absumpto cum Pius ad vehendas ejus reliquias esset profectus, relictus Romæ, avo justa implevit, Et gladiatorium quasi privatus Quæstor edidit munus.* Et eodem libro de Marco & Vero Impp. *Funebre munus patri dederunt.* Ex his igitur constat funeris causa ludos gladiatorios esse datos. Non tamen in omnibus olim funeribus præberi soliti sunt; sed tantum in Indictivis. Cicero suadet lib. II. de leg. *Reliqua sunt in more funus ut indicatur, si quid ludorum.* Et Festus: *Indictiva funera sunt quibus adhibentur non modo ludi, sed etiam desultores.*

In

In Imperatorum igitur ac principum virorum funeribus noti gladiatores: in aliorum verò minimè. Quo respectans Plautus Mostellaria Sc. *Jupiter*. Tranionem sic jocantem introducit.

Ludos ego hodie vivo præsenti huic seni
Faciam, quod credo mortuo nunquam fore.

Cui non absimile est illud in Amphitruone, ubi Sosia sic loquitur.

Vivo fit, quod nunquam quisquam mortuo faciet mihi.

Rectissimè enim & examussim optimè ex hoc ritu loca illa interpretatus est singulare Belgii decus. I. Duza P. aliter quàm Lambinus, qui Plautinum acumen hic non satis intellexit.

CAP. IX.

Ludi ex testamento dati in privatorum quoq; funeribus: nec Virorum modò, sed & Fœminarum. Dominus funeris utebatur prætexta, Licoribus, Accenso, Dissignator quis? spectatores funebrium ludorum sedebant penulati. Origo horum ludorum à Græcis. Sella mortuis posita in theatro honoris causa.

QUod paulò antè in Imperatorum duntaxat & clariorum virorum funeribus Gladiatores dari solitos diximus, id de primis tantùm temporibus intelligendum est. Nam sequentibus hic mos adeo increbuit,

ut vulgò etiam dari cœperint à privatis, & plerisque ea cura fuerit in testamentis: quibus post mortem suam tot & tot paria sibi ædi cavebant. Seneca de Brevitate vitæ cap. xx. *Quidam disponunt etiam illa, quæ ultra vitam sunt, moles magnas sepulcrorum & operum publicorum dedicationes & ad rogum munera & ambitiosas exsequias.* Horatius lib. II. Satyr. III.

Nec si fecissent gladiatorum dare centum
Damnati paria.

Senex apud Persium:

—— at tu meus heres
Quicquis es è turba paullum seductior audi
Dis igitur genioq; Ducis centum paria ob res
Egregiè gestas indico.

Cicero pro Sylla: *Ita prorsus interpositi sunt gladiatores, sed quos testamento patris deberi videmus.* Tertullianus: *Privatorum memoriis legatariæ editiones parentant.* Scævola D. De Annuis leg. L. xx. §. 3. *Lucius Titius testamento patriæ suæ civitatis Sebastenorum centum legavit, uti alternis annis ex usuris ejusdem certamina sub nomine ipsius celebrarentur.* Modestinus D. De usu & usufruct. L. xvi. *Legatum civitati relictum est: ut ex reditibus quotannis in ea civitate, memo-*

memoriæ conservandæ defuncti gratia spectaculum celebretur.

Imò eò usq; mos evasit, ut ditiori aliquo mortuo, populus munus efflagitaret velut debitum, & ex præscripto legis. Exemplum in Suetonio insigne cum Tiberii reprimentis laude. Sic enim historicus cap. XXXVII. *Cum Pollentina tribus funus cujusdam primipilaris non prius ex foro misisset, quàm extorta pecunia per vim heredibus ad gladiatorium munus, &c.*

Nec verò hac fini, aut in virorum saltem funeribus hic mos stetit: transiit etiam ad fœminarum. Cujus rei dux & auctor stirps illa Veneris Jul. Cæsar, *qui munus populo epulumq; in filiæ memoriam pronunciavit, quod ante eum nemo,* teste Suetonio cap. XXVI. Quod & Dio confirmat libr. XL. ἐπὶ τῇ θυγατρὶ καὶ θηρίων σφαγὰς καὶ ἀνδρῶν ὁπλομαχίας ἐποίησεν. hoc est. *Filiæ suæ & ferarum cædes & virorum pugnas exhibuit.* Nec dubium, quin Cæsarias exemplum cupidè imitatus sit vulgus: In Spartiano certè legimus: *Hadrianum præcipuos honores socrui suæ ludis gladiatoriis impendisse.*

Hoc

Hoc etiam observandum, si privati hujusmodi munera mortis causa darent, non tamen dedisse quasi privatos. Nam per omnes dies muneris jus illis erat Prætextæ, Lictorum & Accensi: omninoque imaginem quandam gerebant magistratus. De prætexta Festus, vel potius ejus Abbreviator: *Prætexta pulla nulli alij licebat uti, quam ei qui funus faciebat.* Cicero in Pisonem: *Sex. Clodium, qui nunquam antea prætextatus fuerat, ludos facere & prætextatum volitare passus es.* Ex quo ritu rectè Suetonium interpretatur magnus ille Lipsius in Claudio cap. 11. *Ob valetudinem gladiatorio munere, quod simul cum fratre memoriæ patris edebat, palliolatus novo more præsedit.* Bene, *novo more.* Debuisset enim esse prætextatus. Sed palliolum vestis genus, quo in morbo utebantur: quod ex Quintiliano apparet: *Palliolum sicut fascias & focalia sola excusare potest valetudo.* Et ex Seneca lib. IV. Natur. quæst. cap. XIII. *Videbis quosdam graciles & palliolo focalique circumdatos, pallentes & ægros.* Prætextæ igitur jus, qui funebres ludos dabant, habuisse ex his clarum est. De Lictoribus & Accen-

Accenso Cicero libr. II. leg. *Reliqua sunt in more, funus vt indicatur, si quid ludorum Dominusq; funeris utatur Accenso & Lictoribus*, scilicet, ut in multitudine coërcere possit insolentiores & ferociores. Quo fine etiam Designatores adhibitos funeribus existimo. Horatius lib. I. Epist. VII.

—— cum ficus prima coloraq;
Designatorem decorat Luctoribus atris.

Quintil. declam. VI. *Lacrimas ipsas novissimè perdo, inanis domi Libitina plangitur, derisus Designator redit, refertur rogus.* Tertullianus de Spectat. *A templis & aris inter tribus & tibias duobus inquinatissimis arbitris funerum & sacrorum Designatore & Auspice.* Erat autem Designator & Dissignator, qui ordinem processuris, aut sessuris locum designabat pro conditione cujusq;, & in ordinem redigebat, si qui reluctare vellent. Donatus Adelph. Act. Scen. II. *Designare est rem novam facere, in utramq; partem & bonam & malam. Nam Designatores dicti, qui ludis funebribus præsunt: credo ob eam causam, quòd ipsis ludis multa fiant nova & spectanda: simul etiam turba retineatur, quæ fiunt aut in spectaculis aut litibus. Modo*

quid

quid designavit? puto ego designationem, contractionem aut conductionem populi in unum intelligi. hoc enim contingit ei, qui aliquo flagitio plurium in se oculos & ora convertit, & spectaculo est vulgo. Quemadmodum Designatores, qui ludis funebribus multitudinem retinent. Internoscebatur autem Designator in Funeribus quidem signo ficus, arboris funereæ, ut patet ex Horatii dicto loco, & altero qui est XVI. Epod. ubi *pullam ficum* appellat. In Ludis verò signo virgæ, ex qua βραβευτὴς Græcis dictus, Ulpiano teste, L. IV. D. De his qui notant. infamia. Plautus in Pœnuli Prologo:

Nec lictor verbum aut virgæ mutiant
Neu Designator præteriens obambulet.

ut annotavit Fr. Junius ad Tertullian. de Spectaculis.

Atq; hæc de domino funeris vel editore munerum. Spectatores verò quod attinet, & illis propria quædam vestis fuit in funebri hoc munere. Nam ut in aliis Ludis togati spectabant: sic in his penulati. Dio lib. LV. Κἀν τούτῳ καὶ ἐπιτάφιοι ἐπὶ τῷ Ἀγρίππᾳ ὁπλομαχίαι, φαιὰν ἐσθῆτα τῶν τε ἄλλων, πλὴν τοῦ Αὐγούστου καὶ αὐτῶν τῶν υἱέων αὐτοῦ λαβόντων,

καὶ

καὶ ἑνὸς πρὸς ἕνα καὶ πλειόνων πρὸς ἴσους ἐγένοντο. Hoc est, *Interea & funebre munus gladiatorium editum cum singulis certantibus, tum pluribus contra pares, quod cum alij omnes spectarent in pulla veste, tum & filij Augusti, solo ipso excepto.* Lampridius in Commodo: *Contra consuetudinem penulatos jussit spectatores non togatos ad munus convenire, quod funeribus solebat, ipse in pullis vestimentis præsidens.* Quod ipsum & Xiphilinus in Commodo memorat: Μέλλων αὖθις μονομαχήσειν, περήγγελεν ἡμῖν ἔντε τῇ σολῇ τῇ ἱππάδι καὶ ἐν ταῖς μανδύαις εἰς τὸ θέατρον εἰσελθεῖν. ὅπερ οὐδ' ἄλλως ποτὲ μὴ εἰσιόντες εἰς τὸ θέατρον, εἰ μὴ τῶν αὐτοκρατόρων τις μεταλλάξειε hoc est, *Cum rursus esset obiturus munus gladiatorium, jussit nos equestri veste & penulâ indutos in theatrum venire: quo ornatu nunquam ante theatrum ingredi consueveramus, nisi princeps è vita decessisset.*

Hæc sunt, quæ de Funebribus Rom. Ludis dicenda habui. Plura & compertiora qui nosse cupit, eum porrò ego accedere jubeo maximum illum μυσηγέτην JUSTUM LIPSIUM, ex cujus Saturnalibus hæc pleraq; αὐτόλεξει exscripsimus. Unum addo, hunc etiam morem, ut multi alij,

Græ-

Græcis ortum videri: quos clarorum virorum funera ludis & certaminibus celebrasse, satis superq; ex Homero discimus, cujus verba, quod cuivis sunt in promptu, hic adscribere supersedebo. Meminit & Lucianus περὶ πένθους: Καί τοι καὶ ἀγῶνας ἔνιοι διέθεσαν, &c. *Sūt verò qui ludos quoq; constituant ad sepulcrum, &c.* Illorum originē Plinius ad Acastum & Thesea refert; sic enim ille lib. VII. cap. LVI. *Ludos Gymnicos in Arcadia Lycaon instituit: funebres Acastus in Iolco: post eum Theseus in Isthmo.* Ad hanc consuetudinem respexisse mihi videtur Anaxagoras Philosophus, qui jamjam moriturus, cum interrogaretur à Lampsacenis, ecquid fieri mandaret, jussisse fertur, ut pueris eo mense, quo decessisset, quotannis ludendi potestas concederetur. Quem ritum suo etiamnum tempore durasse, scribit Diog. Laërtius lib. II. in Anaxagora, his verbis: τῶν ἀρχόντων τῆς πόλεως ἀξιούντων ἵν᾽ βέλτιον αὐτῷ γένηται, φάναι, σὺν παιδιᾷ, ἐν ᾧ ἂν δοκῇ μάλιστ᾽ ἂν ἥδιστα παίζειν συγχωρεῖν. Καὶ φυλάττεται τὸ ἔθος ἔτι νῦν. Vide & Plutarch. in πολιτ. παραγγελμ.

Nec verò ludi solum in memoriam mortuorum exhibebantur populo, sed & ipsis

ipsis mortuis, non aliter quàm vivis publicum in theatris locum assignatum legimus, posita ibi sella, quæ memoriam ejus renovaret. Qui honor tributus M. Marcello defuncto, teste Dione lib. LII. Μαρκέλλῳ δὲ καὶ εἰκόνα χρυσῆν καὶ στέφανον χρυσοῦν, καὶ φορεῖον τε ἐλεφάντινον ἐς τὸ θέατρον ἐν τῇ τῶν Ῥωμαίων πανηγύρει εἰσφέρεσθαι, καὶ ἐς τὸ μέσον τῶν ἀρχόντων τῶν τελούντων αὐτὰ ἥδεσθαι ἐκέλευσε. hoc est, *Marcelli & imaginem auream & coronam auream & sedem curulem Romanis ludis in theatrum inferri jussit, mediáq; illa poni inter sellas editorum.* Sic Pertinaci mortuo non unam sellam, sed res in theato posuit Severus, ut est apud Xiphilinum: Καὶ χρυσῆν εἰκόνα αὐτοῦ ἐφ' ἅρματος ἐλεφάντων ἐς τὸν ἱππόδρομον ἐσάγεσθαι, καὶ ἐς τὰ λοιπὰ ἐκέλευσε θρόνους τε τρεῖς καὶ ἐλεφαντίνους αὐτῷ ἐσκομίζεσθαι. hoc est, *Præcepit ut statua ejus aurea curru ab Elephantis veheretur in Circum, utq; ei tres sellæ aureæ in reliqua theatra perferrentur.*

CAP. X.

Luctu quæ gentes abstinuerint: Massilienſium, Locorum, Coorum, Thracum consuetudo. Eius legitimum tempus apud Iudæos, Lacædemonios & Romanos. Fœminas quamdiu maritos lugere oportuit: tam veteri quàm recentiore jure. Annuo luctu quot menses intelligendi.

gendi. Viri benemeriti de Rep, annum lugebantur. Causa luctus uxorum annui investigatæ, Elugere, prolugere, *quid?*

AD Luctum progredimur. De quo quantò plura nobis superiùs dicta sunt, tantò hic erimus breviores. Nolo autem disputare, *Utrum luctu mortui sint prosequendi*, quod & à nostro instituto est alienum, & longum foret, quæ hac de re dici possunt, hic omnia recensere. Video enim magnos & excellentes viros omnem omnino luctum refugisse: Unde Seneca Epistol. XCIX. *Innumerabilia sunt exempla eorum, qui liberos Juvenes sine lacrimis extulerint: qui in Senatum, aut in aliquod publicum officium à rogo redierint, & statim aliud egerint.* Imò totæ gentes luctu leguntur abstinuisse, ut de Massilienſibus tradit Valer. Maximus libr. II. cap. VI. *Sine lamentatione, sine planctu, luctus funeris die domestico sacrificio, adjectoq; necessariorum convivio, finitur. Etenim quid attinet, aut humano dolori indulgere, aut divino numini invidiam fieri, quod immortalitatem suam nobiscum partiri noluerit?* Apud Locros etiam luctu mortuos prosequi interdum interdictum

dictum fuisse autor Heraclides in Ponticis: παρ' αὐτοῖς οὐ νόμος ἐστὶν ἐπὶ τοῖς τελευτήσασιν, ἀλλ' ἐπειδὰν ἐκκομίσωσιν εὐωχεῖσθαι. *Apud hos luctu mortuos prosequi vetitum est sed postquam elatum funus est, convivia agitant.* Sed nec Coos viri lugebant. Heraclides ibidem: ἐν τῇδε τῇ νήσῳ τοῖς τελευτῶσιν οὐδέν ἐστι πένθος· ἐν ἀνδράσι δὲ ἐσθῆτα ἢ κειρομένοις, μητρὶ δὲ, νέῳ τελευτήσαντι ἐνιαυτὸς. *In Insula Coo viri neq; vestium permutatione neq; capillorum rasura vita defunctos lugere solent: Matri verò mortuo juvene ad lugendum annus datur.* De Thracibus Val. Max. libr. II. c. VI. *Thraciæ verò illa natio merito sibi sapientiæ laudem vendicaverit, quæ natales hominum flebiliter, exsequias cum hilaritate celebrans, sine ullis doctorum præceptis verum conditionis nostræ habitum pervidit.* Vide & Herodot. lib. v. Quintil. lib. v. c. de exemplis. Solin. c. xv. Pomp. Melam. lib. II. c. II.

Contrà verò alios non minori prudentia claros viros luctui interdum indulsisse legimus, nec unquam illis tanta ferri vel chalybis duricies circa pectus fuit, quin liberorum, parentum, aut amicorum mortem sibi lugendam putarint. Memorabi-

lis est M. Antonini Pii vox, qui, cum Marcus Philosophus *mortuum educatorem suum fleret, revocareturque ab aulicis ministris ab ostentatione pietatis*, dixisse scribitur: *Permitte illi ut homo sit: neq; enim Philosophia vel imperium tollit adfectus:* ut ait Capitolinus in ejus vita. Possent plura hujus generis adferri, si multis vellemus philosophari. Unum adhuc adpingam, quod est Catulli, qui impietatis & injustitiæ notam esse asserit, amicos vita functos non lugere. Sic enim inquit:

Sed postquam tellus scelere est imbuta nefando
Iustitiamq; omnes cupida de mente fugârunt:
Perfudêre manus fraterno sanguine fratres,
Destitit extinctos natus lugere parentes,
Optavit genitor primævi funera nati.

Atque in hanc partem omnes Legislatores, si rem accuratè consideraverimus, videntur propendere, qui luctum non tam planè è medio sublatum voluerunt, quàm certo *modo* & *tempore* circumscriptum.

Modo quidem: quia existimabant Manes immoderato luctu & lesso offendi. unde & Charondas statuebat non lamentis & lacrimis colendos esse demortuos, sed pia recordatione & frugum illatione ad tumulum.

lum per singulos annos: χρὴ δὲ τῶν τελουμένων ἕκαστον λειμᾶν μὴ δακρύοις μηδὲ οἴκτοις, ἀλλὰ μνήμῃ ἀγαθῇ καὶ τῇ τῶν καλῶν ἔτι καὶ ὡραίων ἀποφορᾷ ὡς ἀχαρεισίας ἄσης πρὸς δαίμονας χθονίους λύπης ὑπερ τὸ μέτρον γιγνομένης. Tibullus lib. 1. Eleg. 1.

Tu manes ne læde meos, sed parce solutis
Crinibus, & teneris Delia parce genis.

Narbonæ in veteri lapide incisum legitur:

... TIBI. PRÆTERITO. REDEAT. FELICIOR. ANNUS.
... CAPER. ET. FACILI. VITA. REGATUR. OPE.
... DURÆ. MORTIS. SACRATOS. LÆDERE. MANES.
ECCE. MONENT. LEGES. ET. LEVIS. UMBRA. ROGI.

Statius lib. v. Sylvar.

Parce precor lacrymis, sævo nec concute planctu
Pectora, nec crucia fugientem conjugis umbram.

Idem lib. II. Sylvar.

Quid caram crucias tam sævis luctibus umbram?

Tempore verò etiam luctum circumscripserunt. Nam apud Judæos quidem luctus legitimum tempus mense finiebatur, ut patet ex Deuter. cap. XXI. v. XIII. ubi Moses sic ait de captiva: *Et deponet vestem in qua capta est: sedensq; in domo tua flebit*

patrem & matrem suam uno mense, & postea intrabis ad eam, dormiesq; cum illa & erit uxor tua. Qui locus lucem capit à Josepho de eadem re libr. IV. ἀρχαιολογ. cap. VIII. sic loquente: μὴ πρότερον ἐξέστω εὐνῆς ἅπτεσθαι καὶ κοινωνίας πρινὴ ξυραμένην αὐτὴν καὶ πένθιμον σχῆμα ἀναλαβοῦσαν ἀποθρηνῆσαι συγγενεῖς καὶ φίλους. hoc est, *Non antè jus esto cubile ejus tangere, quàm raso capite sumptoq; lugubri habitu cognatos & amicos in bello amissos deploraverit.* Et paulo post: τριάκοντα δὲ ἡμερῶν ἐπὶ τῷ πένθει διελθοῦσα, (αὐτάρκεις γὰρ ἐπὶ τοῖς δακρύοις αὗται τῶν φιλτάτων τοῖς φρονίμοις) τότε χωρεῖν ἐπὶ τὸν γάμον. hoc est, *Elapsis autem luctus triginta diebus, tot enim sapienti ad deplorandos caros sufficiunt, tunc nuptiis dare operam liceat.*

Lacedæmoniis undecim tantùm dies luctus præscripsit Lycurg. teste Plutarcho: χρόνον δὲ πένθους, inquit, ὀλίγον προσώρισεν, ἡμέρας ἕνδεκα. τῇδε δωδεκάτῃ θύσαντας, ἔδει δημητρὶ λύειν τὸ πένθος.

Apud Romanos verò Luctui tempus fuit definitum habita ratione & ætatum & cognationis, idq; ex instituto Numæ regis; qui pueros & minores triennio non lugendos; minores autem natu tot mensibus lugendos statuit, quot quisq; annos vixisset:

ſet: ſed ea conditione ne ultra decimum menſem, quo longiſſimum luctus tempus fuit terminatum. Αὐτὸς δὲ, inquit Plutarchus in Numa, καὶ τὰ πένθη καθ' ἡλικίας καὶ χρόνους ἔταξεν. οἷον παῖδα μὴ πενθεῖν, νεώτερον τριετοῦς. μηδὲ πρεσβύτερον πλείονας μῆνας, ὧν ἐβίωσεν ἐνιαυτῶν μέχρι τῶν δώδεκα καὶ παραιτέρω μηδεμίαν ἡλικίαν. ἀλλὰ τοῦ μακροτάτου πένθους χρόνον εἶναι δεκαμηνιαῖον. A quo aliquantum diſſentit Paulus Jctus, cujus legem ex lib. I. ſentent. tit. ult. his verbis recitat Juriſconſultorum noſtri temporis Coryphæus, libr. XXI. Obſervat. cap. XII. *Parentes & filij majores ſex annis, anno lugeri poſſunt, minores menſe, maritus decem menſibus, & cognati proximioris gradus octo: qui contra fecerit, infamium numero habetur.* In quam ſententiam de lugendis parentibus, liberis & cognatis, Ulpianum etiam aliquid ſcripſiſſe, lubens aſſentior doctiſſimo Cujacio, ingeniosè conjectanti, cum iſta luctus definitio, quæ infamiæ pœnam parentibus, liberis & cognatis minabatur, Treboniano rigidior viſa eſſet, vel ejus ætate obſoleviſſet, ipſum in arbitrio & pietate cujuſq; modum luctus poſuiſſe, infamiæ

pœna remissa his, qui definitum veteri jure tempus non expleviſſent: ideoq; Ulpiani legem ſuo modo & arbitratu interpolatam ſic retuliſſe: *Parentes & liberi utriusq; ſexus nec non ceteri adgnati vel cognati ſecundum pietatis rationem & animi ſui patientiam, prout quisq; voluerit, lugendi ſunt: qui autem eos non eluxerit, non notatur infamia*, ut eſt in L. xxiii. D. De his qui not. infam. Reperio tamen annuum luctus ſpatium plerunque ab heredib. obſervari ſolitum. Unde Sidonius lib. iv. cap. xxiv. ſcribit ſe rogatu Turpionis ægrotantis à Maximo Palatino, cui ille pecuniam debebat, petiiſſe, ut *exactorum circumlatrantium barbaram inſtantiam indultis tantiſper induciis moderaretur: & ſi deceſſiſſet ager, tribueret heredib. annui luctus tempus immune.*

In marito verò lugendo tantum abeſt ut idem arbitrium mulieribus ſit permiſſum, ut etiam ordinarium illud tempus, quo in luctu eſſe mulierem oportebat, duobus inſuper menſibus auctum legamus. Nam ex Romuli conſtitutione decem menſium ſpacio legitimum luctus tempus definiebatur: unde Ovidius lib. i. Faſt.

Quod

Quod satis est, utero matris dum prodeat infans:
Hoc anno statuit tempora esse satis.
Per totidem menses à funere coniugis uxor
Sustinet in vidua tristia signa domo.

Et libr. III. Fast. cum multa de numero denario dixisset, statim addit:

Assuetos igitur numeros servavit in anno,
Hoc luget spacio fœmina mœsta virum.

Cicero pro Cluentio: *Quæ mulier obtestatione viri decem illis mensibus ne domum quidem ullam, nisi socrus suæ nosse debuit, hæc quinto mense post viri mortem ipsi Oppianico nupsit.* Seneca Consolation ad Helviam c. XV. *Ideo Majores decem mensium spacium lugentibus viros dederunt, &c.*

Quia verò Romuli annus decem duntaxat constabat mensibus, ut fusè ostendit Macrob. lib. II. c. XII. ideo factum, ut legitimum illud luctus tempus interdum à classicis scriptoribus annuum appellaretur. Seneca epist. LXIII. *Annum fœminis ad lugendum constituêre majores, non ut tam diu lugerent, sed ne diutius: viris nullum legitimum tempus est, quia nullum honestum.* Apulejus libr. VIII. de Asino Aur. *Adhuc formosus Lepolemus in meo vivit pectore. Boni ergò & optimi consules, si luctu legitimo miserrimæ fœ-*

minæ necessarium concesseris tempus, quoad residuis mensibus spatium reliquum compleatur anni. Cave enim existimes, de anni dimensione, quæ suis temporibus erat usitata, ut monuerunt ante me alii. Nam etsi quidem Numa duobus mensibus annum auxit, teste Livio, Plutarcho, Ovidio, aliis: in luctu tamen nihil immutavit, sed eum intra eorundem mensium limites voluit consistere, bovem fœtam immolare jussis, quæ nupsissent ante exactum legitimi luctus spacium; ut discimus ex Plutarcho in ejus vita: Ἀλλὰ τοῦ μακροτάτου πένθους χρόνον εἶναι δεκαμηνιαῖον. ἐφ' ὅσον καὶ χηρεύουσιν αἱ τῶν ἀποθανόντων γυναῖκες. ἡ δὲ πρότερον γαμηθεῖσα, βοῦν ἐγκύμονα κατέθυσεν ἐκείνου νομοθετήσαντος. h. e. *Longissimum autem luctus tempus decem mensibus terminavit: quod spatium à morte viri quoq; viduis abstinendi præfinitum est à secundis nuptiis. Quæ antè nupsisset, ea bovem fœtam illius lege immolabat.* Sed pœna hæc postea mutata, & infames habitæ, quæ non decurso luctus tempore ad secundas nuptias properarent. ut ex sequentibus patebit.

Atq; eodem sensu capio Annuum Luctum, quo interdum etiam viri præclarè

de

de Repub. meriti à matronis publicè lugebantur. Quem honorem habitum legimus Junio Bruto primo Consuli, ut refert Livius libro II. *Sed multò majus decus publica fuit mœstitia, eo ante omnia insignis, quia matronæ annum ut parentem eum luxerunt, quòd tam acer ultor violatæ pudicitiæ fuisset.* Et P. Valerio Poplicolæ, teste eodem Livio libr. II. *De publico est elatus. Luxêre matronæ vt Brutum.* Menenio Agrippæ, Dionys. Halicarnassæus libr. IX. αἱδὲ γυναῖκες αἱ Ρωμαίων ἐνιαύσιον ἐπένθησαν χρόνον, &c. Et Coriolano, idem Halicar. libr. VIII. Γυναῖκες Ρωμαίων, ἃ νόμος ἐστὶν αὐταῖς ἐπὶ τοῖς ἰδίοις καὶ ἀναγκαίοις ποιεῖν κήδεσι, τὸν ἐνιαύσιον ἐπένθησαν χρόνον. Augustum etiam Impp. eodem honore affectum, & quidem ex Senatus consulto, memoriæ prodidit Dio libr. LVI. τό τε δὴ πένθος, τὸ μὲν ἐκ τοῦ νόμου, οἱ μὲν ἄνδρες οὐ πολλὰς ἡμέρας, αἱδὲ γυναῖκες ἐνιαυτῷ ὅλῳ κατὰ ψήφισμα ἐποίησαν. hoc est, *viri in luctu fuerunt per paucos dies, vt erat consuetudo: matronæ verò cum decreto Senatus annum luxerunt.*

Sed ad Luctum, quo maritum prosequi uxor cogebatur, revertamur. Legitimum ejus tempus δεκαμηνιαῖον fuisse monstravi-

stravimus : ceterùm Imperatores Gratianus, Valentinianus, & Theodosius duos adhuc menses adjecerunt, integrum annum lugendo marito præscribentes. Sic enim loquitur Lex. II. Cod. De secundis nuptiis. *Si qua ex fœminis perdito marito, intra anni spatium alteri festinaverit nubere, (parvum enim tempus post decem menses servandum adjicimus, tametsi idipsum exiguum putemus) probrosis inusta notis honestioris nobilisque personæ decore & jure privetur.* Ex hoc igitur tempore uxores duodecim mensibus viros suos lugere cœperunt, nisi si vel Senatus consulto, vel Principis beneficio luctus ipsis remitteretur; quod fieri solitum docet Lex. X. De his qui not. infam. Et factum olim, cum Antonius uxorem duceret Octaviam, quæ adhuc mortem Marcelli mariti sui lugebat, autor Plutarchus in Antonio. Vide Cujac. Lib. VI. Obser cap. XXXII.

Quid verò causæ fuisse existimandum est, cur veteres mulieribus hanc lugendi necessitatem imposuerint? Una mihi videtur esse publica honestas. Turpe enim & quasi illegitimæ cujusdam intemperantiæ signum judicarunt, fœminam, simul ac à

rogo

rogo mariti reversa sit, de secundis statim nuptiis cogitare, & vix dum extincta funebri face, ad nuptialem è vestigio properare: Quæ causa etiam viros plerumque movere solet, ne lugubribus primo quoque die depositis calido adhuc & tantùm non tepescenti à prioris concubitu lecto aliam confestim uxorem inducant; quanquam id legibus facere non prohibentur. Sic enim expressè Lex. IX. De his qui not. infam. *uxores viri lugere non compelluntur.* Et Seneca Epist. LXIII. *viris nullum legitimum luctus tempus est, quia nullum honestum.* Alia fuit metus religionis & superstitio; putabant enim manes offendi, nisi elugerentur. Unde Apuleius libr. VIII. Metam. *Quæ res cùm meum pudorem, tum etiam tuæ salutis commodum respicit, ne fortè immaturitate nuptiarum indignatione justa manes acerbos mariti ad exitium salutis tuæ suscitemus.* Quò respexit fortè Gratianus Imp. Leg. 1. Cod. De secundis. Nupt. cum inquit: *Si qua mulier nequaquam luctus religionem priori viro nuptiarum festinatione præstiterit.* Atque hæ duæ causæ tum potissimum locum habebant, cum maritus nihil commisisset, quo

luctus

luctus ipsi denegari possit. Erat verò & alia quæ in luctu mulierem perseverare jubebat, etiamsi maritum habuerit, quem more majorum lugeri non oporteret. Eam Ulpianus lib. VIII. ad Edict. vocat *Turbationem sanguinis*. hoc est: ne si fortè prægnans à defuncto marito mulier intra legitimum tempus alteri nubat, dubitari possit, cujus sit partus. Plura qui cupit, adeat Jurisconsultorum libros, nec enim nobis eos compilare est animus. Tempus igitur luctus videmus, quod qui complebat, *Elugere* dicebatur. Livius lib. XXXIV. *Quid aliud in luctu, quàm purpuram atque aurum deponunt? qui cum eluxerunt, sumunt?* Paulus lib. X. ad edictum: *Quæ virum eluget, intra id tempus sponsam fuisse non nocet*. Ulpianus lib. VIII. ad edictum: *Prætor enim ad id tempus se retulit, quo vir elugeretur: qui solet elugeri propter turbationem sanguinis*. Qui verò solito diutius luctum producebant, ii *Prolugere* dicebantur. Festus: *Prolugere dicuntur, qui solito diutius lugent*.

Caput XI.

In Luctu funebri Iustitium. Consules sedebant vulgari sede in curia, Fasces præferebantur inversi. Læta omnia vitata.

vitata. Abstinebant se publico. Fugiebant convivia. Forum non instruebant.

RElIqua adhuc sunt quædam Luctus signa, quæ suprà nobis silentio prætervecta, in hoc caput conjicienda duxi, utut quælibet in mentem mihi venerint; non enim de ordine jam possum consilium capere.

Ac in publico quidem Luctu, si quis principum decessisset, Justitium vel sponte sumi solebat, vel à magistratu indici. Tacitus libr. 1. Annal. de morte Germanici. *Hos vulgi sermones audita mors adeo incendit, ut ante edictum Magistratuum, ante Senatus consultum sumpto justitio desererentur fora, clauderentur domus, passim silentia & gemitus: nihil compositum in ostentationem. Et quanquam neque insignibus lugentium abstinerent, altius animis mœrebant.* Lucanus. lib. II.

Ergo ubi concipiunt, quantis sit cladibus urbi
Constatura fides superum: ferale per urbem
Iustitium: latuit plebeio tectus amictu
Omnis honos: nullos comitata est purpura fasces.

Pedo Albinovanus in Eleg. de morte Drusi:

Iura silent, mutaq; jacent sine vindice leges,
Aspicitur toto purpura nulla foro.

Juve-

Juvenalis:

Pullati proceres: differt vadimonia prætor.

Consules non solita sede, sed humili aliqua, puta Prætorum aut Tribunorum sedisse, testatur Dio libr. LVI. in funere Augusti. Ἐκαθέζοντο δὲ οἱ μὲν πολλοὶ ὥς πυ ἕκαστος εἰώθει, οἱ δ' ὕπατοι κάτω ἐν τοῖς βάθροις, ὁ μὲν τῷ τῶν στρατηγῶν, ὁ δὲ τῷ τῶν Δημάρχων. Tacitus lib. IV. Annal. de Tiberio: *Consulesque sede vulgari per speciem mœstitiæ sedentes honoris locique admonuit*, hoc est, sedibus Prætorum aut Tribunorum. Nam horum, ut omnium Senatorum, sedes humiles erant: altæ verò Consulum & excelsæ, ut observavit Lipsius noster in Tacitum.

Quid multa? omnia recreationi dicata vitabantur. Eusebius lib. IV. de vita Constantini: πένθος ἄσχετον ἐποιοῦντο, λυτρὰ δὴ ἀπεκλείετο, καὶ ἀγοραὶ πάνδημοί τε θέαι, καὶ πάνθ' ὅσα ἐπὶ ῥαστώνῃ βίου τοῖς ἐνθυμουμένοις πράττειν ἔθος ἦν.

Privatim verò quilibet limine ac domo se continebat: qui mos hodieque apud multos in usu est. Tacitus lib. IV. Annal. de morte Germanici: *Tiberius atque Augusta publico abstinuere, inferius majestate sua rati si palam lamentarentur.* Idem lib. IV. de Tiberio:

rio: *Non equidem sibi ignarum posse argui, quod tam recenti dolore subierit oculos Senatus: vix propinquorum alloquia tolerari, vix diem adspici à plerisque lugentium, neque illos imbecillitatis damnandos.* Plinius libr. IX. Ep. XIII. *Mitto ad Ariam. rogo ut veniat, quia me recens adhuc luctus limine contineret.* Ideo in L. Bibulo tanquam signum animi fortis nec dolori succumbentis ponit Seneca libro De Consolat. ad Martiam. cap. XIV. *Bibulus tamen, qui toto honoris sui anno, ob invidiam collegæ, domi latuerat, postero die quàm geminum funus renunciatum est, processit ad solita in publicum officia.*

Fugiebant omnes lætos congressus ac festivas solemnitates, ne aliorum gaudia suo luctu maculârent, uti ex uno atq; altero Symmachi loco apparet. Sic enim ille libr. III. Epist. XXI. *Neq; enim fas sinit læta officia obire lugentes, fortasse etiam hilaritatem vestram mea tristitudo contraheret.* Idem lib. V. Epist. ult. *Nunc fortunæ meæ qualitas in tantum nos à festivis excusat officiis, ut solatia insuper requirat aliena. Ergo quia in manu mea interim non est frequentare lætos conventus, tuæ opis est levare mœrentem.* Et libr.

IX. Ep. C.III. *Ille ut sit placatus enitere, qui me tristis de fratre casus excusat. Nam mihi turpe atq; impetibile est, attonito animo & fronte masta lætos adire conventus.*

Præcipuè autem abstinebant se à conviviis. Paulus libr. II. Sentent. cap. XXI. *Qui luget abstinere debet à conviviis.* Cicero ad Attic. libr. XII. Ep. *Commovet, &c.* dolorem suum de Tulliæ obitu ostendens: *Quod si erit durius, veniam & ipse perpetuum mortem jurabo. Cum enim mihi carendum sit convivio, malo id lege videri facere quàm dolore.* Excusat se obtentu morbi, ne interfit auguralibus cœnis, quibus omnes Augures, ut tum erat Cicero, adesse oportebat honoris causa, uti locum hunc explicat doctissimus mihiq; amicissimus Radulphus Fornerius Gul. F. lib. II. Quotidian. rer. cap. XXVII. Sic apud Senecam libr. IV. Declamat. I. pater quidam tribus liberis amissis assidebat sepulcro, cum inde abductus, convivio interesse coactus esset, eo nomine injuriarum egit: *Credo*, inquit, *mirari aliquem, quod in forum amissis modò liberis veniam: At ego modo in convivio fui.* Apud eundem lib. IV. declam. in proœmio: *Cum mortuo in Syria*

Cæsa-

Cæsare, per Codicillos quæstus esset D. Augustus, quod in tam magno & recenti luctu suo homo carissimus sibi pleno convivio cænasset, rescripsit Pollio, Eo die cænavi, quo alterium filium amisi. Suetonius lib. IV. cap. XXIV. auctor est Caligulam defunctâ sorore Drusilla, justicium indixisse, *in quo visisse, laviisse, cænasse cum parentibus, aut conjuge liberisvé, capitale fuit.* Et rursus cap. XLV. scribit ab eodem Caligula, Senatum absentem ac populum gravissimo objurgatum edicto, *quod Cæsare præliante & tantis discriminibus objecto, intempestiva convivia circum & theatra & amænos secessus celebrarent.* Convivia igitur frequentare, aut celebrare in luctu fas non erat. Convivia autem? Imo ne focum quidem lugentes instruebant. Juvenalis Satyra III.

Tunc gemimus casus urbis, tunc odimus ignem:

Ubi vetus interpres: *Nec focum in nostrâ domo fieri patimur, quod & lugentes observare solent.* Hinc capiendus Apulejus libro II. Miles. *Abi*, inquit, *fatue, qui in domo funesta cœnas & partes requiris, in qua totjugis jam diebus ne fumus quidem ullus est visus.* Ex quo ritu *Focus noxius* dicitur Quinti-

liano declam. XII. *Redite in domos vestras, videbitis noxios focos, & ignes tabe cadaverum extinctos & tecta mortibus gravia.* Sic Martialis lib. x Epigram. XLVII. *focum perennem:* & Tibullus libr. I. Eleg. I. *Ignem assiduum* dixerunt, qui propter luctum exstinctus nunquam fuit. Quanquam & paupertatis deprecatio iisdem locis intelligi potest, præeunte nobis adhunc intellectum Artemidoro, qui libro II. Cap. IX. ait, *ignem extinctum inopiam portendere; & si quis in domo ægrotat, mortem.* Non absimilem morem observare licet apud Ægyptios, quos ipsos quoque ignem extinxisse, tantisper dum funus esset finitum, tradit Diodorus Siculus lib. XVII.

Cap. XII.

Causæ finiti luctus ante tempus decursum. Ob Vota, Megalensia, ludos Iovis Opt. Max. Saturnalia, Sacra Cereris luctum minutum monstratur.

SEd jam causas breviter attexemus, cur interdum luctus, tam publicus, quàm privatus minueretur. Festus plerasque enumerat, ut non opus sit aliunde eas anxiè conquirere: Sic enim ille: *Minuitur Populo luctus ædis dedicatione, cum Censores lustrum*

strum condiderunt, cum votum publicè susceptum solvitur. Privatis autem cum liberi nati sunt: cum honos in familiam venit: cum parens, aut liberi, aut vir, aut frater ab hoste captus domum redit, cum desponsa est: cum propiore quis cognatione, quàm is, qui lugetur, natus est, cum in Casto est, omnique gratulatione. Vide hic tres causas minuti publici luctus, omnes abuno eodemque fonte manantes, quòd nimirum nihil magis religionum adversari crederetur ceremoniis, quàm luctus. Duarum priorum testimonia ex Servio & Dione supra attulimus libr. II. Cap. XXI. De Votis autem illustre exemplum est apud Spartianum in Adriano: *Denique Commodus accepto largius antidoto, ingravescente valetudine, per somnum periit ipsis Calendis Ianuariis. Quare ab Adriano votorum causa lugeri est vetitus.* Eadem tradit in Ælio Vero, qui antea Cejonius Commodus appellabatur. *Accepta potione, qua se existimaret juvari, Calendis ipsis Ianuariis periit, jussusque ab Adriano, quia vota interveniebant, non lugeri.*

Sed præter has causas reperio etiam ob Ludos publicos justitium exui solitum,

ut ob Megalensia. Tacitus libro III. de Funere Germanici: *Et quia ludorum Megalensium spectaculum suberat, etiam voluptates resumerent. Tum exuto lustitio, reditum ad munia.* Et propter ludos Jovis Opt. Max. Capitolinus de Mar. Antonino Philosopho, qui cum filius ipsi esset mortuus, *quia ludi Iovis Opt. Max. erant, interpellari eos publico luctu noluit, jussitque ut statuæ tantummodò filio mortuo decernerentur.* Sic ob Saturnalia etiam minutum luctum colligere est ex Suetonio, qui populi luctum in funere Germanici tantum fuisse ait, ut etiam per festos Saturnaliorum dies duraverit. *Et ut fato functum palam factum est*, inquit in Caligula, *non ullis solatiis, non edictis inhiberi luctus publicus potuit: duravitque etiam per festos Decembris mensis dies.* Quod non dixisset historicus, nisi in vulgaribus funeribus propter Saturnalia luctui finis fieri esset solitus. In reliquis verò causis cur privatis luctus minueretur, non opus est, ut diu immoremur: nisi si cui fortè subobscurum videatur: quod dicit Festus: *cum in casto est:* Josephus Scaliger Castum Cereris intelligit

& in-

& interpretatur πάγκλειν Δημητρί. Recte. Nam qui Castimoniis Cereris operari volebant, eos luctu carere necesse erat: a lugentibus enim sacra Cereris peragi non potuerunt. Atque hanc ob causam Sacra Cereris clade Cannensi intermissa scribit Livius libro XXII. *Adeo totam urbem explevit luctus, ut sacrum anniversarium Cereris intermissum sit: quia nec lugentibus id facere est fas, nec ulla in illa tempestate matrona expers luctus fuerat. Itaque ne ob eandem causam, alia quoque sacra publica aut privata desererentur, Senatus consulto diebus XXX. luctus est finitus.* Quæ ipsa etiam repetuntur in Oratione L. Valerii contra legem Oppiam, apud eundem Livium libro XXXIV. A quo tamen dissentit Valerius Maximus libro I. Cap. I. luctum minutum asserens, ne sacra Cereris desererentur. *Quanto nostræ civitatis Senatus venerabilior in Deos, qui post Cannensem cladem decrevit, ne matronæ ultra trigesimum diem luctus suos extenderent, uti ab his sacra Cereris peragi possent.* Eadem omnino religione apud Græcos fuisse sacra Cereris culta discimus ex Diogene Laërtio,

qui libr. IX. memoriæ prodidit, Democritum Philosophum, cum jam jam in ipso Cereris festo moriturus flentem conspicaretur sororem, quòd ob luctum sacris Deæ non posset interesse, quotidie panes calidos postulasse, iisque ad nares admotis, tamdiu vitam sibi ipsi prorogasse, donec Cereris celebritas, quæ totos tres dies durabat, transiret. Verba ejus hæc sunt: τελευτῆσαι δὲ τὸν Δημόκριτον φησὶν Ἑρμιππος τῷ τοιούτῳ τρόπῳ. ἤδη ὑπεργήρων ὄντα πρὸς τὸ καταφρονεῖν εἶναι. τῇ ἀδελφῇ δὲ λυπεῖσθαι, ὅτι ἐν τῇ τῶν Θεσμοφορίων ἑορτῇ μέλλοι τεθνήξεσθαι, καὶ τῇ θεῷ τὸ καθήκον αὐτὴν οὐ ποιήσειν. τὸν δὲ θαρρεῖν, καὶ κελεῦσαι αὐτῷ προσφέρειν ἀρτους θερμοὺς ὁσημέραι. τούτοις δὲ ταῖς ῥισὶ προσφέρων, διεκρέμησεν αὐτὸν τῇ ἑορτῇ ἐπεὶ δὲ παρῆλθον αἱ ἡμέραι (τρεῖς δὲ ἦσαν) ἀπολυπόθητα τὸν βίον προήκατο. Ceterum hoc apud Græcos & Romanos horum sacrorum discriminis fuit; quod ob illa quidem Romæ luctus, tam populo, quàm privatis minui soleret, in Græcia vero non item. uti ex Laërtii testimonio apparet. Hactenus de Luctu.

Cap. XIII.

De Consecratione & ejus origine. Ἀποθέωσις duplex: Privata & Publica. Illa ex affectu privatorum erga defunctos

defunctos fiebat, hæc decreto Senatus. Ritus publicæ consecrationis ex Herodiano. Fœminæ quoquæ consecratæ. Funus imaginarium, cujus reliquiæ in exsequiis Regum Galliæ. Aquilæ ministerium in Deificatione. Iuratores subordinati, qui animam consecrati in cœlum ivisse visam sibi affirmarent. Ex illo Divi *vocati Imperatores.*

REstat Consecratio sive ἀποθέωσις, de qua mihi quicquid jam in solum, quod ajunt, venerit, breviter subnectam, clausulam impositurus mortualibus hisce Ceremoniis, quæ me jam satis diu exercuerunt.

Origo Consecrationis est hujusmodi. Mos erat antiquissimis temporibus, ut conditoribus urbium aut aliis de publica re & vita communi benè meritis à morte summi honores decernerentur, qui Ηρωϊκὰ τιμαὶ dicebantur: unde etiam τετευχέναι τιμῶν ἡρωϊκῶν vel ἰσοθέων vel ἰσολυμπίων & ἀνιεροδοθαι ab antiquissimis Græciæ scriptoribus dici solent, qui hoc honore affecti, ut observavit eruditissimus noster Casaubonus in Animadvers. Suetonianis, & nos longa exemplorum serie demonstrare possemus, si esset tanti. Sed adulatio postea, an superstitio, θεοποιίαν invenit, & paulatim pro Dii haberi cœperunt, quibus antea heroici tan-

tum honores fuerant decreti Plutarchus in mulierum præclaris factis, τῇ Λαμψάκῃ πρότερον ἡρωϊκὰς τιμὰς ἀποδιδόντες, ὕστερον ὡς θεῷ θύειν ἐψηφίσαντο, Nam *deferre heroicos honores* est, quod una voce ἐναγίζειν dicitur & longè differt à θύειν, ut notant veteres Grammatici. Hanc esse consecrationis originem præter Lactantium, Athenagoram, Eusebium, Theodoretum & alios, disertè tradit Minucius Felix Octavio, his verbis: *Similiter verò erga Deos quoq; Majores nostri improvidi, creduli, rudi simplicitate crediderunt: dum reges suos colunt religiosè, dum defunctos eos desiderant in imaginibus videre, dum gestiunt eorum memorias in statuis detinere: sacra facta sunt, quæ fuerant assumpta solatia. Deniq; & antequam commerciis orbis patêret, & antequam gentes ritus suos moresq; miscerent, unaquæq; natio conditorem suum, aut ducem inclytum, aut reginam pudicam sexu suo fortiorem, aut alicujus muneris vel artis repertorem venerabatur, ut civem bonæ memoriæ. sic & defunctis præmium & futuris dabatur exemplum. Lege historicorum scripta, eadem mecum recognosces, ob merita virtutis aut muneris Deos habi-*

tos.

tos. Hinc igitur phrases adulationis plenissimæ *in Deorum numerum referre, in Deos referre*, ἐν θεοῖς vel θεὸν ποιεῖν. quibus abundant omnia veterum scripta. Atq; hi sunt *Dij animales*, de quibus Labeo libros scripserat: *in quibus ajebat* (Servii verba sunt) *esse quædam sacra, quibus animæ vertantur in Deos, qui appellantur animales; quod de animis fiant.* Ceterum hac adulatione reliquos mortales omnes superarunt Atheniensis, ut notum iis, qui ipsorum historiam leviter tantùm degustarunt.

Romani verò publicè quidem ante Impp. hanc insaniam parciùs insanivére: crebriùs privatim. Nam quod observatu dignum, duplicem reperio θεωσιν, *privatam & publicam.*

Privata erat, quando vel conjuges à conjugibus, vel liberi à parentib. vel parentes à liberis consecrabantur & privata religione colebantur. quod fieri solitum, in veterum scriptis legimus. De conjugum consecratione illustre exemplum habemus in Charite maritum suum insolabiliter lugéte apud Apulejum lib. IIX. Metamorph. *Dies totos totasq; noctes insumebat luctuoso desiderio: & ima-*

& imaginem defuncti, quam ad habitum Dei Liberi formaverat, affixo servitio divinis percolens honoribus, ipso sese solatio cruciabat. Ἀποθέωσιν liberorum per parentes factam indicat Lactantius libr. 1. cap. xv. ubi Ciceronem in De consolatione scripsisse affirmat, *imaginem filiæ eodem se modo consecraturum esse, quo illi à veteribus sint consecrati.* Deniq; parentes per liberos consecratos, & domestica religione cultos, ex Varrone docet Plutarchus in Quæstionib. Romanis.

Publica verò consecratio erat, quando publicè in Deorum numerum referebantur, publicaq; religione colebantur, quibus summos honores habitum ibant, *sive ob miraculum virtutis*, ut ait Lactant. lib. 1. c. xv. *sive in adulationem præsentis potentiæ, sive ob beneficia, quibus erant ad humanitatem compositi.* Tributus hic honor soli è regibus & urbis & imperii illius conditori Romulo, qui cum Nonis Quintilib. ad Capræ paludem exercitum recensens, subitò ingenti coorta tempestate ex suorum conspectu raptus, vel, ut alii scribunt, patrum manibus in minutissima fragmenta discerptus & clam

& clam per partes asportatus esset, magno sui desiderio apud populum relicto, Julius Proculus *subornatus est, vt renunciaret plebi suæ, vidisse se Regem humano habitu augustiorem, eumq; mandasse ad populum, vt sibi delubrum fieret, se Deum esse & Quirinum vocari. Quo facto & ipsi populo persuasit, Romulum ad Deos abisse: & Senatum suspcione cædis regiæ liberavit.* ut ait Lactantius lib. I. cap. XV. Vide Livium lib. I. Plut. in Romulo. Dionys. libr. II. Minucium Octavio.

Sed post Romulum, cui quidem quamdiu Respub. in libertate fuit, iste honos delatus sit, reperio neminem: postquam verò ad Cæsares omnia deferri cœpta, tunc reditum est ad veterem illum morem, relatiq; inter Deos sunt pleriq; Imperatores, quorum Catalogum vide apud Onuphrium Panvinium libr. II. Fastor. Primus hoc honore Julius Cæsar affectus est ab Augusto; quem propterea κοροπλάστην Juliani Silenus nominat, & rationem addit: ἢ γὰρ οὐκ ἔπλαττες ἡμῖν, ὥσπερ ἐκεῖνοι τὰς νύμφας, ὦ Σεβαστὲ, Θεοὺς ὧν ἕνα καὶ πρῶτον τουτονὶ Καίσαρα; Manilius:

Iam facit ipse Deos, mittitq; ad sidera numen
Majus & Augusto crescit sub principe cœlum.

Sole-

Solebat autem consecratio decerni à Senatu, penes quem, nisi si Tyranni regnarent, erat hujus rei autotitas. Athanasius advers. gentes; Ρωμαίων σύγκλητος τοῦ πώποτε αὐτῶν ἐξ ἀρχῆς ἄρξαντας βασιλέας ἢ πάντας, ἢ οὓς ἂν αὐτοὶ βούλονται καὶ κρίνωσι, δογματίζουσιν ἐν Θεοῖς εἶναι καὶ θρησκεύεσθαι Θεοὺς γράφουσιν. Hinc Æl. Spartianus in vita Adriani: *Acta ejus irrita fieri Senatus volebat: nec appellatus est Divus nisi Antonius rogasset.* Et Jul. Capitolinus aliquoties hujus Senatusconsulti meminit; ut in Antonino Pio; *Cum jucunditate à Senatu Divus appellatus est, cunctis certatim admittentibus.* Et in M. Antonino Philosopho: *Deinde cum gratias ageret Senatui, quod fratrem consecrasset.* Et in Pertinace: *Per Senatum & populum Pertinax in Deos relatus est.* Ritum autem consecrationis fusè descripsit Herodianus libr. IV. cujus verba dabo, uti Politianus reddidit: *Mos est*, inquit ille, *Romanis consecrare Imperatores, qui superstitibus filiis vel successoribus moriuntur. Quiq; eo sunt honore affecti, relati dicuntur inter Divos. Est autem tota urbe quasi luctus quidam, festæ celebritati promiscuus. Quippe functum vitâ corpus ritu hominum*

minum sumptuoso funere sepeliunt. Sed ceream imaginem defuncto quàm similimam fingunt, eamq; in regiæ vestibulo proponũt, supra eburneum lectum maximum atq; sublimem vestibus instratis aureis. Et quidem imago illa ad ægroti speciem pallida recumbit. Circa lectum verò utrimq; magnam partem diei sedent, à læva quidem Senatus omnis vestibus atris amictus, à dextera verò matronæ, quas virorum aut parentum dignitas honestat, harumq; nulla vel aurum gestans vel ornata monilibus conspicitur, sed vestibus albis exilibus indutæ, mœrentium speciem præbent. Hæc ita per septem dies continuos faciunt, medicis ad lectum quotidie accedentib. inspectumq; velut ægrum deterius se habere subinde pronunciantibus. dein ubi jam visus obisse diem, lectum humeris attollunt equestris Senatorijq; ordinis nobiliss. ac lectiss. juvenes, perq; Viam Sacram in Vetus Forum deferunt, ubi Magistratus Romani deponere imperium consueverãt. utrimq; autẽ gradus quidam sunt ad scalarum similitudinem exstructi, in quibus alterâ ex parte puerorum chorus est è nobiliss. atq; Patritiis: alterâ fœminarũ illustrium, hymnos in defunctum pæanasq; canentiũ verendo ac lamentabili carmine emo-

emodulatos. Quibus peractis tollunt iterum lectum, atque extra urbem perferunt in Campum Martium. ubi, qua latissimè campus patet, suggestus quidam specie quadragula, lateribus æquis assurgit, nulla præterquam lignorum ingentium materiâ compactus in tabernaculi formam. Id quidem interius totum est aridis fomitibus oppletum, extrà autem intentis auro stragulis atque eboreis signis variisq; picturis exornatum. Supra verò alterum, minusculum quidem positum est, sed forma & ornatu persimile, portis januisq; patentibus. Tertiumq; item & quartum semper inferiore contractius: ac deinceps alia donec ad extremum, quod est omnium brevissimum, perveniatur. Possis ejus ædificij formam comparare turribus his, quæ portibus imminentes, noctu igne prælato, naves in tutas stationes dirigunt: Pharos vulgò appellant. Igitur lecto in secundum tabernaculum sublato, ornamenta & suffimenta omnis generis fructus herbasq; succosq; omnes odoratos conquirunt, atq; acervatim effundunt. quippe neq; gens est neq; civitas, neq; qui honore ullo aut dignitate præcellat, quin certatim pro se quisq; suprema illa munera principis honori deferat. Vbi verò

ingens

ingens aromatum acervus aggestus est, ac locus omnis expletus, tum circa ædificium illud adequitant, universis equestris ordinis certâ quadam lege ac recursu motuquè Pyrrichio numeroque in orbem decurrentibus. Currus item decenti similiter ordine circumaguntur, insessi purpuratis rectoribus, qui personas ferant, quæ habent imagines ducum Romanorum omnium, qui gloriosè vel exercitus duxerunt vel regnarunt. Quæ ubi celebrata sunt, facem capit imperij successor, eamq; tabernaculo admovet. Tum ceteri omnes undiq; ignem subjiciunt: cunctaq; illico, fomitibus illis aridis odoramentisq; referta, igni valido corripiuntur. Mox ab extremo minimoq; tabernaculo, tanquam è fastigio quodam, simul cum subjecto igni ascensura in ætherem aquilæ dimittitur: quæ in cœlum creditur ipsam principis animam deferre.

Non melius puto hunc ritum pictor penicillo delineaverit, quàm scriptor hic illum describit verbis elegantissimis: in quibus cum nonnulla sint, quæ animadversionem merentur, non abs re fuerit ea breviter indicare: Ac primore quidem periodo quod dicit, illos tantùm Imperatores, qui

superstitibus filiis aut successoribus moriuntur, in Deorum numerum referri solitos, non video quomodo possit ab ἁμαρτήματι τῷ μνημονικῷ vel altetius παροράματι notâ vindicari. Nam præterquam quod quosdam Imperatores, quantumvis dignitate sua & regno exutos, divinis tamen post mortem honoribus affectos legimus, etiam ipsas uxores Imperatorum consecrari solitas constat. Qui honor tributus Liviæ Augustæ à Claudio, effigie ejus in templo Augusti consecrata, sacrisque, quæ Vestales facerent, institutis. Dio lib. LX. τήν τε τιμὴν τὴν Λιβίαν ἐμένον ἵππων ἀγῶσιν ἐτίμησεν, ἀλλὰ καὶ ἀπεθανάτισεν, ἀλλά τε ἐν τῷ Αὐγουστείῳ ἱδρύσας καὶ τὰς θυσίας τῆς ἀειπαρθένοις ἱεροποιεῖν προστάξας. Suetonius cap. XI. *Aviæ Liviæ divinos honores & Circensi pompa currum elephantorum Augusteo similem decernenda curavit.* Et extant Nummi: Divus Augustus Pater. caput radiatum, ara ante pedes: parte aversa: S. P. Q. R. Divæ. Juliæ. Augusti. Fil. carpentum, cui subjuncti duo muli. Consecrata igitur Livia fuit, & in Deorum numerum adscripta: quod tamen antea Tiberius

berius vetuerat. Tacitus libr. v. Annal. *Honores memoriæ ejus ab Senatu largè decretos, quasi per modestiam imminuit, paucis admodum receptis & addito, ne cælestis religio decerneretur. sic ipsam maluisse.* Et ut alias Imperatorum uxores omittam, eodem etiam honore affecta Faustina Antonini Philosophi conjux, teste Capitol. in ejus vita: *Divam etiam Faustinam à Senatu appellatam gratulatus est.* Quid? quod Hadrianus Imp. etiam Antinoum suum inter Deos retulit, ut legimus apud Xiphil. Tertull. libr. 1. in Marcion. & multos alios scriptores.

Redeo ad nostrum Herodian. qui paucis interjectis verbis subjúgit, τὸ μὲν δὴ σῶμα, &c. Quibus verbis non obscurè innuitur, primò quidem corpora illorum, qui consecrabantur more reliquorum hominum sepulturæ fuisse mandata: post sepulturam verò demum subsecutam consecrationem, cerea quadam imagine defuncti corpus repræsentante: quod *Funus imaginarium* appellat Capitol. in Pertinace: qui ipse etiam eundem ordinem nobis videtur voluisse indicare, cum inquit in vita Anton. Philosophi: *Hadriani autem sepulcro corpus*

patris [Antonini Pii] *intulerunt, magnificè exsequiarum officio: mox secuto justitio, publicè quoq; funeris expeditus est ordo.* Reliquiæ Imaginarii hujus funeris etiá hodieq; durant in Gallia, quoties quis regiæ prosapiæ moritur. Tum enim imago ipsius defuncti, vivo quàmsimilima, regalib. induta vestibus in lecto sublimè solet collocari. ad eam quotidie manè accedunt famuli ac domestici nobiliores, qui circa vivum assueverant, quasi & adhuc dominum salutaturi: medici etiam ut consultaturi de ejus valetudine: & tempore solito posita ante lectum mensa, cibi apponuntur per eos, qui vivo ministrabant, pauperibus tamen mox absoluta ceremonia distribuendi. Et hoc XL. dierum spatio, quo toto tempore Senatus omnis atratus incedit, atq; annum integrum à tripudiis & saltationibus abstinetur: ut rerum Gallicarum scriptores memoriæ prodidêre.

Quod verò jam de Aquila dicit Historicus, quæ animum defuncti in cœlum portare existimabatur, id neq; Dio annotare neglexit lib. LVI. in fun. Augusti: καὶ ἡ πυρὰ μὲν ἀνελήφθη, ἀετὸς ὤν τις ἐξ αὐτῆς ἀφεθεὶς, ἀπέπτατο ὡς καὶ

ὃ καὶ δὴ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἐς τὸν οὐρανὸν ἀναφέρων. Testantur etiam nummi, in quorum una parte est effigies Divi Imperatoris: in altera verò Aquila, cum his verbis: CONSECRATIO. S. C. Itemque effigies ipsorum Imperatorum aquilæ insidentium. Quod ex veteri ritu procul dubio ortum, quo Reges & Principes viri post mortem aquilæ insidere ab eaq; vehi fingebantur pingebãturq;. Artemidorus monuit lib. II. cap. XX. ὀχεῖσθαι ἀετῷ, βασιλεῦσι μὲν καὶ μεγιστᾶσι καὶ πλουσίοις ἀνδράσιν ὄλετρον μαντεύεται. Εθος γὰρ παλαιὸν ἀποθνήσκοντας τούτους πλάσσειν τε καὶ γράφειν ἐπ' αὐτῶν ὀχουμένους καὶ διὰ τῶν δημιουργημάτων τιμᾶν. hoc est, *Aquila vehi, regibus quidem & magnatibus ac opulentis viris interitum prædicit. Vetus enim mos est, hos mortuos tum fingere tum pingere Aquilæ insidentes, & per hujusmodi opificia colere.* Fœminæ tamen interdum Pavone vehi fingebantur, ut patet ex antiquis nummis, quos Sambucus habet in fine Problemat.

Nec verò Aquilæ solùm officio in hac consecratione utebantur, sed & hominis alicujus probatæ fidei testimonio. Solebant enim plerunq; quendam subornare,

qui consecratum ivisse in cœlum affirmaret vel etiam juraret. Justinus Apolog. II. Καὶ τί γὰρ σοῦ ἀποθνήσκοντας παρ' ἡμῖν αὐτοκράτορας ἀεὶ ἀπαθανατίζεσθαι ἀξιοῦντες, καὶ ὀμνύντα τινὰ προάγετε ἑωρακέναι εἰς τὸν οὐρανὸν τὸν κατακαέντα Καίσαρα; Quem locum acceptum refero eruditissimis Notis amicissimi mei Johannis à Wouuer in Minucii Octavium, Vide Senec. initio de morte Claudii. In consecratione Romuli id factum, paulò antè monstravimus. In Augusti etiam idem memorat Dio, Liviam scribens decies sestertium dono dedisse Numerio cuidam Attico, qui juraret se vidisse Augustum in cœlum ascendentem. Sic enim libr. LVI. ait: Ἐκείνη δὲ δὴ Νουμερίῳ τινὶ Ἀττικῷ βουλευτῇ ἑστρατηγηκότι πέντε καὶ εἰκόσι μυριάδας ἐχαρίζατο, ὅτι τὸν Αὔγουστον ἐς τὸν οὐρανὸν καὶ τὰ περὶ τοῦ Πρόκλου, καὶ περὶ τοῦ Ῥωμύλου λεγόμενα, ἀνιόντα ἑωρακέναι ὤμοσε. Idipsum narrat in consecratione Drusillæ, libr. LIX. Λιουῖός τε Γεμίνιος βουλευτὴς ἔς τε τὸν οὐρανὸν αὐτὴν ἀναβαίνουσαν καὶ τοῖς θεοῖς συγγιγνομένην ἑωρακέναι ὤμοσεν, ἐξώλειαν ἑαυτῷ καὶ τοῖς παισὶν, εἰ ψεύδοιτο, ἐπιδρασάμενος, τῇ τε τῶν ἄλλων θεῶν ἐπιμαρτυρίᾳ καὶ τῇ αὐτῆς ἐκείνης. ἐφ' ᾧ πέντε καὶ εἰκόσι μυριάδας ἔλαβε. *At Livius Geminius Senator, vidisse se eam in cœlum ascendentem, ac*

cum

cum Dijs conversantem juravit, perniciem sibi liberisq; , si vanum id asseruisset , imprecatus : vocatisq; ad hoc testibus cũ alijs Dijs, tum ipsa Drusillâ. ob id donatus est decies sestertiũm.

Sequitur in Herodiano : Καὶ ἐξ ἐκείνης μετὰ τῶν λοιπῶν θεῶν θρησκεύεται. Non igitur antillâ ; quod soli Antonino Philosopho contigit. Jul. Capitolinus: *Tantusq; illius amor eo die regii funeris claruit, ut nemo illum plangendum censuerit : certis omnibus, quod ab alijs commodatus , ad Deos rediisset. Denicq; priusquam funus conderetur , ut plerijq; dicunt , quod nunquam antea factum fuerat, neq; postea, Senatus , Populusq; non divisis locis , sed in una sede propitium Deum dixit.* Huc pertinet arguta quidem , sed impia vox Bassiani Caracallæ, qui cum fratrem Getam occidisset, ac vereretur tyrannicam ex parricidio notam , audiretq; posse mitigari facinus, si divum fratrem appellaret, dixisse fertur: *Sit divus , dum non sit vivus* , ut est apud Spartianum in Anton. Geta. Post consecrationem igitur Divi demum propriè appellabantur , nomine suo retento : quod primitus quidem relatis in Deos mutari solebat ad tollendam ex animis

mis hominum mortalitatis opinionem. Nam Romulum post ἀποθέωσιν Quirinum vocatum, vulgare est negocium.

Hic verò etiam observandum, non consecratos tantùm & rebus humanis exemptos Imperatores esse Divos appellitatos, uti nonnulli docti putarunt: sed & adhuc vivos. Quo sensu clarissimus Rittershusius Notis ad Guntheri Ligurinum, libr. VI. cap. IV. cepit illud Horatii: *Præsens divus habebitur Augustus.* Sic Symmachus libr. III. Epist. LXXXI. *Solemne est Divo nostro Theodosio in suos exercere censuram.* Et Guntherus libr. VI. in epistola Responsoria Episcoporum ad Papam Adrianum pro Friderico Barbarossa:

Hæc de responsis Divi, Pater optime, Regis
Salva pace tua, tibi rescribenda putamus.

CAP. XIV.

De honoribus Consecratorum. Templa iis erecta: Sacerdotia instituta, Imagines ipsorum in maxima veneratione habitæ. Iuramenta per nomina consecratorum sanctissima. Saliari carmine cani, insigne genus honoris. Similis mos Atheniensium. ἄξιος ἐν πέπλῳ.

COnsecrationis igitur Ceremoniæ erant hujusmodi: subjungo nunc honores

res ipsos, qui consecratis jam & in Deorum numerum adscriptis solebant exhiberi.

Ac primò quidem Templa ac fana illis, tanquam veris numinibus statuta legimus. ut C. Julio Cæsari. Dio lib. XLVII. Καὶ ἡρῷον οἱ ἔντε τῇ ἀγορᾷ καὶ ἐν τῷ τόπῳ, ἐν ᾧ ἐκέκαυτο, προκατεβάλλοντο. Neque mirum mortuo id accidisse: cum adhuc vivo ampliora etiam humano fastigio decreta sint, teste Suetonio in ejus vita, cap. LXXVI. Augusto etiam Cæsari, ut ait Tacitus libr. I. Annal. *Sepultura more perfecta, templum & cœlestes religiones decernuntur.* At longum foret enumerare omnia illa templa, quæ Augusto non Romæ solùm, sed & alibi erecta fuisse, auctores prodiderunt. Nam & eo loci, quem primum nascens attigerat, sacrarium ipsi constitutum, aliquantò post, quàm excessit, testis Suetonius cap. V. Et Nolæ, ubi mortuus erat, idem Sueton. in Tiber. cap. XL. Dio libr. LVI. extremo. Tacitus lib. IV. Annal. De templo Palatino Augusti vide Plin. lib. XII. Dionem lib. LVI. Sueton. in Tib. cap. XLVII. Hispanos etiam, ut sibi in Colonia Tarraconensi templum struere Augusto liceret, à Tiberio petiisse, auctor Taci-

tus lib. I. ubi subjungit, exemplo Tarraconensium monitas omnes provincias, ut idem peterent, impetrarentque. De Græcis, qui Augusto templa ædificarunt, vide Hub. Golzium in Augusto Cap. XXIX. Sic Claudio Imp. extructum fuisse templum in Britannia tradit Tacitus lib. XIV. *Ad hæc templum Divo Claudio constitutum, quasi arrha æternæ dominationis, aspiciebatur.* h. e. quasi pignus & arrabo æternæ servitutis. Meminit hujus templi & Seneca in Menippæa: *Parum est, quod templum in Britannia habet, quod hunc barbari colunt, & ut Deum orant.* De Divi Adriani templo Æl. Spartianus: *Templum denique ei pro sepulcro apud Puteolos constituit Antonius.* Drusillæ etiam, ne fæminas præteream, inter alios honores decretum á Caligula, ut σηκός τε ἴδιος οἰκοδομηθῇ καὶ ἱεραῖς εἰκόσιν οὐχ ὅτι ἄνδρες, ἀλλὰ καὶ γυναῖκες γεγαίρωνται, autor Dio lib. LIX.

Deinde verò cum vana fuissent sine sacris templa, ideo etiam Flamines, Sacerdotes ac Sodales instituebantur, qui sacra in memoriam cujusq; peragerent, & cœlesti religione tanquam Deum colerent. Hinc noti passim in historia & lapidibus

dibus Flamines ac Sodales Quirinales, Augustales, Claudiales, Flavii, Trajanales, Hadrianales, Antoniniani, & aliorum Divorum, Divarumq;, qua dere multa testimonia adducerem, nisi viderem fuisse hoc argumentum copiosè tractatum ab Onuphrio Panvinio lib. II. Comment. Reipub. Rom. cap. De Sacerdotiis. Non autem viri solùm ad Sacerdotalia horum cælitum ascribebantur: sed, quod rideamus, interdum etiam fœminæ, adeo projecti in adulationem mores. Marmor:

P. POSTHVMÆ. P. F. PAVLLÆ
SACERD. D. IVLI. AVGVST.

Item in Hispaniis: *LVCR. L. F. CAMPANA. FLAM. PERP. DOMVS AVG.* h.e. *Lucretia L. Filia Flaminica perpetua domus Augusti.* Exemplum hujus rei à Livia, quæ miro exemplo sacerdos sui viri & quidem ex decreto Senatus. Dio libr. L. VI. τότε δὲ ἀθανατίζαντες αὐτὸν καὶ θιασώτας οἱ καὶ ἱερὰ καὶ ἱέρειαν τὴν Λιυίαν ἀπέδειξαν. h.e. *Tunc verò consecrantes Augustum sodales ei & sacra instituerunt & sacerdotem Liviam.* Velleius Paterc. lib. II. *Livia Romanorum eminentissima, quam postea conjugem Augusti vidimus, quam trans-*

transgressi ad Deos sacerdotem ac filiam. Sic enim rectè emendat istum locum frustra ab *aliis* tentatum Justus Lipsius, qui hinc lucem dat tenebricoso Ovidii loco lib. IV. de Ponto.

Nec pietas ignota mea est, videt hospita tellus
In nostra sacrum Cæsaris esse domo.
Stant pariter natusq; pius, conjunxq; sacerdos
Numina jam facto non leviora Deo.

Natus pius Tiberius est : *conjux Sacerdos* Livia. Sic Agripinam fuisse Claudii sacerdotem indicat Tacitus lib. XIII. *Decreti & à Senatu* (Agrippinæ) *duo lictores, Flaminium Claudiale*. hoc est, ut esset Flaminica Claudii. Hujus generis fuerunt etiam puellæ istæ alimentariæ, quas in honorem Faustinæ uxoris suæ instituit Antoninus Pius, easque Faustinianas appellavit. Julius Capitolinus in M. Antonino Philosopho: *Novas puellas Faustinianas instituit in honorem uxoris mortuæ.* Et alibi : *Puellas alimentarias in honorem Faustinæ.* Itemq; *puellæ* istæ *Mammeanæ*, quas in honorem ac memoriam matris suæ Mammeæ instituit Alexander Severus teste Lampridio.

Quid jam de imaginibus loquar eorum, qui in Deos relati? Factas eas ad formam

mam Deorum, iisque signa fuisse apposita, quæ Deorum statuis solent, puta, Radium, Astra, Fulmen intelligimus ex Lucano, qui libr. VII. inter ultiones sanguinis civilis etjam hoc posuit.

——— *cladis tamen hujus habemus*
Vindictam quantum terris dare numina fas est.
Bella pares superis facient civilia Divos,
Fulminibus Manes radiisq; ornabit & astris,
Ingq; Deum templis jurabit Roma per umbras.

Et extant etiam hodie nummi, in quibus Augusti radiatum caput. Quanquam & ipsæ effigies numinum tributæ consecratis: ut Jovis, Augusto; clarè Prudentius lib. I. Contra Symmach.

Hunc morem veterum docili jam ætate secutâ
Posteritas mensæ atq; adytis & Flamine & aris
Augustum coluit. vitulo placavit & agno,
Strata ad pulvinar jacuit, responsa popposcit.
Testantur tituli, produnt Consulta Senatus
Cæsareum Iovis ad speciem statuentia templum.

Sic Liviam habitu ac nomine Junonis, consecratam cultamque testis idem Prudentius:

Adiecêre sacrum, fieret quo Livia Iunô
Non minus infamis thalami sortita cubile
Quàm cum fraterno caluit Saturnia lecto.

Quanquam eo nomine affecta à Poëtis etjam viva. Ovidius:

Cum tibi contigerit vultum Iunonis adire.

Quem-

Quemadmodum autem Livia habitu Junonis: *Sic* Druſilla à Caio conſecrata Veneris cognomento Pantheæ. Dio libr. LIX. Καὶ ὁ τότε αἶλος, ὅσα τῇ τε Λιυίᾳ ἐδέδοτο, ἐψηφίσθη, ἵνα ἀθανατοθῇ, καὶ εἰς τὸ βουλευτήριον χρυσῆ ἀναπεθῇ καὶ ἐς τὸ τῆ ἀγορᾷ Αφροδίσιον ἄγαλμα αὐτῆς ἰσομέτρητον τῷ τῆς θεᾶ ὕστι ταῖς ὁμοίαις πομπαῖς ἱερωθῇ. Et paulò poſt: τότε ἓν Παυθεάτε ἀνομάζετο καὶ πομπῶν δημοσίων ἐν πάσαις ταῖς πόλεσιν ἠξιοῦτο. h. e. *Decreta ei omnia, quæ Liviæ; inſuper ut immortalis haberetur, aureaque in curia effigies ejus poneretur, ut in foro imago Veneris ſtatuæ ejus æqualis collocaretur, iisdemque honoribus coleretur.* Et mox: *Itaque tunc Panthea vocata eſt & divinis honoribus per omnes urbes culta.* Atque huc refert Lipſius priſcam inſcriptionem.

Veneri. Cælesti
Avgvstæ Sacr.
Nvmmia. C.F. Dorcas.
S. P. F. C.

Hujuſmodi igitur imagines inter Deos penates collocabant, & vitio datum, cujus domi non conſpicerentur: quo cultu habitam Antonini Philoſophi imaginem, tradit Capitolinus. *Et parum ſanè fuit, quod illi*

illi honores divinos, omnis ætas, omnis sexus, omnis conditio ac dignitas dedit: nisi quod etiam sacrilegus judicatus est, qui ejus imaginem in sua domo non habuit, qui per fortunam vel potuit habere vel debuit. Denique hodieque in multis domibus M. Antonini statuæ consistunt inter Deos penates. Sic narrat Vopiscus caviſſe Tacitum, *ut Aurelianum omnes pictum haberent.* Idem in Probo. *Sant & dignitatem Probo derogent, quem Imperatores nostri prudenter vultibus consecrandum judicarunt.* Conflare autem Cæsarum imagines consecratas, hoc est, ad informem massam reducere, crimen erat læsæ majestatis: Venulejus Saturninus L. VI. D. ad Leg. Juliam Majest. *Qui statuas aut imagines imperatoris jam consecratas conflaverint, aliudve quid simile admiserint, lege Iulia majestatis tenentur.* Sed nec vendere licuit, nisi nondum consecratas, ut est in L. V. D. eodem. Ideo tanquam crimen objiciebat accusator Fannio *quod venditis hortis statuam Augusti simul mancipasset.* teste Tacito lib. 1. Annal. Quanquam rescripsit ibi Tiberius: *Non contra religiones fieri, quod effigies ejus ut alia numinum simula-*

simulacra venditionibus domuum & hortorum accedant: ut ait idem Tacitus.

Præterea per nomina quoq; & numina consecratorum solebant jurare. Nam post Julii Cæsaris cædem, Senatus decrevit τὴν αὐτοῦ τύχην ὀμνύναι, ut refert Dio lib. XLIV. Horatius de Augusto.

Præsenti tibi maturos largimur honores
Iurandasq; tuum per nomen ponimus aras.

Tacitus libr. I. Annal. de eodem. *Rubrio crimini dabatur violatum perjurio nomen Augusti.* Et sapiens ille Claudius *jusjurandum neq; sanctius sibi neq; crebrius instituit, quam per Augustum.* Sic Drusillæ is honos tributus à Cajo, ut αἱ γυναῖκες αὐτὴν ὁσάκις ἂν μαρτυρῶσιν, ὀμνύωσιν, *mulieres per illam jurarent, quoties aliquid sacramento confirmare vellent,* teste Dione lib. LIX. Et libro sequenti tradit idem auctor Claudium Imperatorem jussisse fœminas per Liviæ nomen jurare. τῆς γυναικὸς, inquit, ὄρκον τὸ ὄνομα αὐτῆς (Λιουίας) ποιεῖσθαι κελεύσας. Nec dubium est quin aliorum Impp. qui inter Deos relati fuerunt nomina in juramentis sint usurpata: exceptis Tiberio & Caligula, quorum in juramentis & votis concipiendis nullam

lam factam mentionē notavit Dio lib. LX. Καὶ διὰ ταῦτα τὸ μὲν ὄνομα αὐτοῦ (Γαΐου) οὐκ ἔστιν ἐν τῷ καταλόγῳ τῶν αὐτοκρατόρων, ὧν μνήμην ἐπὶ τε τοῖς ὅρκοις καὶ ἐπὶ ταῖς εὐχαῖς ποιούμεθα, ὥσπερ οὐδὲ τὸ τοῦ Τιβερίου. Hos duos enim Cæsares non modò non in Deorum album adscriptos, sed etiam vix sepulturæ honorem adeptos, Suetonius & alii testantur. Quàm sanctè autem habita juramenta illa, quæ per salutem, per genium, per fortunam principis concipiebantur, indicat Tertullianus in Apologet. cap. XXVIII. *Majore formidine & callidiore timiditate Cæsarem observatis, quàm ipsum de Olympo Jovem: citius deniq; apud nos per omnes Deos, quàm per unum Genium Cæsaris pejeratur.* Quæ verba, ut pleraque alia, imitatus Minutius Felix Octavio: *Et est*, ait, *illis tutius per Jovis Genium peierare, quàm Regis.* Nec mentiuntur duo sanctissimi scriptores. Nam legibus Romanis, qui per Deum pejerasset, in eum nulla erat constituta pœna, nisi quod à Censoribus solebat notari, quorum *Judicium*, ut ait Cicero lib. v. de Repub. *nihil ferè damnato afferebat, præter ruborem:* infamiam certè non irrogabat. Hujus igitur

juramenti violata religio solum Deum habebat ultorem, ut ait Lex. 11. C. De rebus creditis; & *injurias Deorum Dijs curæ esse* dicit Tiberius apud Tacitum lib. 1. At verò qui per Principem consultò pejerasset, is in legem Juliam majestatis incidebat, corporeq; graviter puniebatur. Ulpianus Leg. XIII. D. De jurejurando: *Si quis juraverit in re pecuniaria per genium principis, dare non se oportere, & pejeraverit, &c. Imperator noster cum Patre rescripsit, fustibus eum castigandum dimittere, & ita ei super dici* περιπεπωῦς μὴ ὄμνυε, *petulanter ne jurato.* Dixi autem *consultò*: nam si quis inconsultò quodam animi motu pejeraret, eum in legem Juliam majestatis non incurrere, rescripsit D. Alexander Leg. 11. C. De rebus creditis. Vide Cujac. libr. 11. observ. cap. XIX. Et B. Brisson. lib. VIII. De Formulis.

Atq; hi præcipui honores, quibus in numerum Deorum relati colebantur: reliquos, qui cum non consecratis communes erant, ut statuas, imagines Circensibus per pompam ferendas, aliaq; honorum genera longum foret hic recensere. Unum hoc nequeo quin attingam, morem fuisse, ut

Salia-

Saliari carmine cantarentur, quos eximio aliquo honore cupiebant affectos. Germanico id contigit teste Tacito lib. II. Annal. *Honores ut quis amore in Germanicum, aut ingenio validus, reperti, decretiq; , ut nomen ejus Saliari carmine caneretur.* Quo exemplo etiam M. Antoninus Philosophus mortuo filio Vero *jussit ut Saliari carmini nomen ejus insereretur*, ut refert Capitolinus in ejus vit. Sed antiquissimum Romæ hunc ritum fuisse constat ex iis, quæ de Mamurio Veturio, & Lucia Volumnia & Mania matre Larum scribunt autores. Ovidius lib. III. Fastor.

Quis mihi nunc dicet, quare cœlestia Marti
Arma ferant Salij, Mamuriumq; canant.

Varro lib. V. De Lingua Latina: *Itaq; Salij, qui cantant Mamurium Veturium, significant veterem memoriam.* Et lib. VIII. *Videmus enim Maniam matrem Larum & Luciam Volumniam Saliorum carminibus appellari.* Vide Plutarchum in Numa & Festum. Clarissimus Casaubonus, cum hac de re mihi cum ipso sermo esset, observasse se dicebat, similem ritú apud Athenienses, qui benè meritos de Repub. peplo Minervæ intexere

xere ſoliti: ac inde natum apud illos Proverbium, ἄξιός ἐστι τοῦ πέπλου, quod Romanè dixeris, *dignus eſt, cujus nomen Saliari carmine canatur.* Ariſtophanes in Equitibus:

Ευλογῆσαι βουλόμεθα σοῦ πατέρας ἡμῶν, ὅτι
Ανδρες ἦσαν τῆς δὲ γῆς ἄξιοι καὶ τοῦ πέπλου.

Commodum hæc ſcripſeram, cum ecce prodeunt eruditiſſimi viri in Auguſtæ Hiſtoriæ ſcriptores Notæ, quib. hoc ipſum ab eo annotatum video, & plurimum lætor. Vellem tantum ex infinitis ſuis ſacris Obſervationibus hanc unam attexuiſſet, quomodo Vetus Eccleſia Chriſtiana hanc conſuetudinem ad ſuum uſum traduxerit, Inſtituto, ut nomina ſanctorum Martyrum, Imperatorum, Pontificum ſummorum & aliorum fide ac meritis excellentium virorum ſacris diptychis inſerta, inter hymnodias recitarentur. De quare ſcitu digna nec protrita ſe aliquando dicturum olim promiſerat lib. VI. Animadverſ. in Athenæum cap. XIV.

FINIS LIBRI QUARTI ET ULTIMI De Funeribus Romanorum.

JOHAN.

JOHAN. KIRCHMANNI

AD LIBROS

DE FUNERIBUS Romanorum.

APPENDIX.

CAPUT. I.

Bruta esse sepulturæ studiosa, probatur exemplo Apum, Hirundinum, Formicarum, Gruum, Elephantorum, Delphinorum, Accipitrum, Leonum.

SOlemnes Funerum ritus Romanis olim frequentatos quatuor libris satis copiosè, opinor, explicavimus: Jam verò Superpondii & mantissæ instar erunt miscella hæc capita, in quæ superiùs nobis vel per incuriam, ut fieri solet, vel consultò, ne ordo turbaretur, omissa breviter conjiciemus.

Maximum fuisse Veterum in sepultura studium ex dictis liquet. Non autem id in ipsis literarum ac humanitatis inventoribus tantopere mirandum, quod & natura feras bestias, & ratio barbarissimas gentes docuit.

De BESTIIS audiamus Ælianum, qui lib. v. de Animalib. cap. XLIX. Ἐπεὶ καὶ τὸ τοῦτο ἴδιον τῶν ἀλόγων, inquit, τὸ ὁμοψυὴ τε καὶ ὁμοφυῆ πεφυκὸς τῶν ὀφθαλμῶν ἐκποδὼν ἀεὶ ποιεῖσθαι. *Nam hoc quoq; brutis insevit natura, ut gentiles & cognatas animantes extinctas mox è conspectu amoveant.* Sed quæ hic generatim loquitur politissimus scriptor, operam nihil ludam, si exemplorum appositione pauliſper illustravero.

APIBUS id tribuit Plinius lib. XI. cap. XVIII. *Defunctas progerunt, funerantiumq; more comitantur exsequias.* Virgilius lib. IV. Georg. de apibus loquens:

—— tum corpora luce carentum
Exportant tectis & tristia funera ducunt.

Nec verò de Apibus solùm; sed &

De HIRUNDINIBUS idem tradit Ælianus lib. V. cap. XLIX. καὶ μὴν καὶ χελιδὼν ἐκβάλλει χελιδόνα νεκρὸν καὶ μέλιτται. *Hirundines & apes quoq; suas gregales extinctas ejiciunt.*

FORMICAS etiam in eadem classe reperio: de quibus idem auctor eodem in loco sic loquitur: Καὶ ἐκείνοις ἐκφορὰς νεκρῶν μέλει, καὶ καθαίρειν τοὺς σφετέρους χηραμοὺς ἡ σοφωτάτη φύσις ἔδωκεν. *Formicis etiam naturâ tributum est, ut sui generis defunctas ex cavernis effe-*

efferant, quò mundiùs habitent. Plinius libr. XI. cap. XXX. de formicis: *Sepeliuntur inter se viventium solæ præter hominem.* Addit verò Ælianus lib. VI. de Animalib. cap. XLII. eam esse formicarum circa mortuas contubernales prudentiam, ut in granorum folliculis ipsas condant, non aliter quàm homines in tumulis loculisq; parentes suos aut amicos soleant: Σοφὸν ᾖ καὶ ἐκεῖνο προσακήκοα, ὅτι ἄρα τοὺς τεθνεῶτας μύρμηκας οἱ προσήκοντες ἐν ταῖς τῶν πυρῶν κηδεύουσι θυλακίσιν, ὡς πατέρας ἢ πᾶν τὸ φίλον ἐν ταῖς σοροῖς οἱ ἄνθρωποι. Hoc amplius Plutarchus in lib. cui titulus: *Vtrum animalia plus rationis habeant quàm aquatilia;* testatur, Formicas habere tres cavernulas, & in illarum una comitium celebrari, in alteram penum annuam recondi, tertiam verò esse mortuarum cœmiterium, εἰς δὲ τρίτην κοιλότητα ἀποτίθεσθαι τοὺς θνήσκοντας. Subjungit insuper ex observatione Cleanthis, qui ejusmodi spectaculo ipsemet interfuerit, egressas è cavernulâ formicas venisse aliis obviam ferentibus mortuam: pro qua post varios ultrò citroque commeatus verme tanquam redemptæ mortuæ pretio desuper delato ac de-

penso acceptam mortuam intrò abstulerint. Ὁ μὲν οὖν Κλεάνθης, inquit, ἔλεγε, καίπερ οὐ Φάσκων, μετέχειν λόγου τὰ ζῶα τοιαύτῃ θεωρίᾳ παρατυχεῖν. Μύρμηκας ἐλθεῖν ἐπὶ μυρμηκιὰν ἑτέραν μύρμηκα νεκρὸν φέροντας: ἀνιόντας οὖν ἐκ τῆς μυρμηκιᾶς ἑτέρους, οἷον ἐντυχάνειν αὐτοῖς καὶ πάλιν κατέρχεσθαι, καὶ οὗτο δὶς ἢ τρὶς γενέσθαι: τέλος δὲ σὺν μὲν κάτωθεν ἀνενεγκεῖν, ὥσπερ λύτρα οὗ νεκροῦ σκώληκα, σὺν δὲ ἐκεῖνον ἀραμένους, ἀποδόντας δὲ τὴν νεκρὸν οἴχεσθαι. Eandem fabulam refert Ælianus libr. VI. de Animalib. cap. I. D. Hieronymus in libro De vita Malchi captivi eadem ferè tradit his verbis: *Aspicio formicarum gregem angusto calle fervere, ferre onera majora, quàm corpora, &c. Illæ venturæ hiemis memores, ne madefacta humus in herbam horrea verteret, illata semina præcidebant: hæ luctu celebri corpora defuncta deportabant, quodq; magis mirum est, in toto agmine egrediens non obstabat intranti, &c.*

Quid jam de GRUIBUS loquar, de quibus Ælianus lib. II. Animal. cap. I. Μελλουσῶν δὲ αὐτῶν ἀίρεσθαι, καὶ οὗ πρόσῳ ἔχεσθαι, ὁ παλαιότατος γέρανος περιελθὼν τὴν πᾶσαν ἀγέλην, καὶ εἰς τρὶς, εἶτα μὲν τοι πεσὼν, ἀφίησι τὴν ψυχὴν. ἐντεῦθεν οὖν οἱ λοιποὶ θάπτουσι μὲν τὴν νεκρον. &c. hoc est. *Cum verò proximum est, ut è Thracia migrent,*

grent, & ultra progrediantur, Grus, quæ fuerit extremo tempore ætatis affecta, ter universum gregem circumeundo emensa cadit, supremumq́ diem vitæ claudit: quam primò sepultura reliquæ afficiunt.

De ELEPHANTIS idem Ælianus scriptum reliquit, ipsorum hanc esse naturam, ut si quis alterum vita functum conspexerit, ab ipso non prætereatur, quin humum promuscide haustam, vel ramum tanquam justis quibusdam mysticis pro natura communi peractis, injiciat, criminis nimirum piacularis evitandi gratia, quale à se committi belluæ hujusmodi credunt, eo officio neglecto. Verba Æliani hæc sunt: Λέγουσι δὲ Αἰθιόπων λόγοι αἰμυλίας τε καὶ κόμπου Ἑλληνικοῦ ἄγευστοι, ὅτι ἄρα Ἐλέφαντα θεασάμενος ἔλεφας νεκρόν, οὐκ ἂν παρέλθοι μὴ τῇ προβοσκίδι γῆν ἀρυσάμενος καὶ ἐπιβαλὼν, ὁσίαν τινὰ ἀπόῤῥητον ὑπὲρ τῆς κοινῆς φύσεως τελῶν, καὶ φεύγων ἄγος. εἶναι γὰρ τὸ μὴ δρᾶσαι τοῦτο ἐναγὲς. ἀπόχρη δὲ οἱ καὶ κλάδον ἐπιβαλεῖν καὶ ἀπεῖσι. τὸ κοινὸν ἁπάντων τέλος μὴ ἀτιμάσας.

Nec verò DELPHINOS præteribimus, quibus eandem virtutem tribuit idem scriptor libr. XII. cap. VI. ἦσαν δὲ ἄρα, inquit, Δελφῖνες καὶ νεκρῶν μνήμονες, καὶ τῶν συννόμων ἀπολθόντων τοῦ βίου οὐδαμῶς προδόται. τὸν γοῦν ἑαυτῶν

τεθνεῶτα ὑποδύντες, εἶτα μέν τοι κομίζουσι φοράδην εἰς τὴν γῆν τοῖς ἀνθρώποις πιστεύοντες θάψαι. Καὶ Ἀριστοτέλης μαρτυρεῖ τοῦτο. h. e. *Delphini etiam mortuorum memoriam non abjiciunt & eos, quibus cum vivis consuetudinem habuerant, extinctos quoq; non deserunt. Itaq; sui generis cadavera subeuntes, ad summam aquam allevant, tum ad continentem velut funere illos efferentes, hominibus ipsos sepeliendos tradunt, teste Aristotele.* Sed illud de cura sepulturæ: hoc de honore funeris, quod sequitur: Ἕπεται δὲ πλῆθος ἕτερον οἱονεὶ τιμῶντες, ἢ καὶ νὴ Διὰ ὑπερμαχοῦντες, μήτι ἄλλο κῆτος ἐπιδράμῃ καὶ τὸν νεκρὸν ἁρπάζας καταδαίσηται. hoc est. *Post verò sequitur magna Delphinorum multitudo tanquam funeri operam dantium, atq; in mortuos honorem conferentium, aut certè eos ab impetu aliarum belluarum, ne devorentur, defendentium.*

Mira hæc sunt, quæ diximus: at multò majori admiratione dignum est, quod etiam ipsis hominibus defunctis sepulturæ honorem à brutis animalibus præstitum legimus.

ACCIPITRIBUS tale ingenium tribuit Ælianus libr. II. Var. hist. cap. XLII. Νεκρὸν δὲ ἄνθρωπον ἱεράξ ἰδὼν, ὡς λόγος, πάντως ἐπιβάλ-

ἐπιβάλλει γῆς τῷ ἀπάφῳ. καὶ οὗτο μὲν οὐ κελεύει αὐτῷ ὁ Σόλων, ὡς Αθηναίους ἐκέλευσε δρᾷν. hoc est. *Hominem mortuum si inhumatum Accipiter conspexerit, injecta gleba humare dicitur: etsi illum hoc Solon, sicut Athenienses, facere non jusserit.*

DELPHINOS etiam (*homini amicum animal* ut Plinius vocat lib. IX. cap. VIII.) hujusmodi natura præditos ex Plutarcho discimus, qui in lib. *Vtra animalia prudentiora &c.* memoriæ prodidit, maximã Delphinorum vim ad Cærani funus celebrandum convenisse, & ad littus, ubi cadaver pia propinquorum defuncti cura & officio cremabatur, expectasse, donec funeri finis fieret. Verba ejus hæc sunt: Επεὶ δὲ ὕστερον ἀποθανόντος αὐτοῦ τὸ σῶμα πλησίον τῆς θαλάττης οἱ προσήκοντες ἔκαιον, ἐπεφαίνοντο πολλοὶ Δελφῖνες παρὰ τὴν αἰγιαλὸν: ὥσπερ ἐπιδεικνύντες ἑαυτοὺς ἥκοντας ἐπὶ τὰς ταφὰς, καὶ παραμείναντες ἄχρις οὗ συνετελέσθησαν.

Porrò LEONES etiam D. Antonium adjuvisse in sepeliendo cadavere Pauli Eremitæ, narrat D. Hieronymus in libro De ejus vita. *Et illi quidem* (Leones intelligit) *directo cursu ad cadaver beati senis substiterunt, adulantibusq; caudis circa ejus*

pedes

pedes accubuêre fremitu ingenti rugientes, prorsus ut intelligeret eos plangere, quomodo poterant: deinde haud procul cæperunt humum pedibus scalpere, arenamq; certatim egerentes, unius hominis capacem locum foderunt: ac statim quasi mercedem pro opere postulantes, cum motu aurium, cervice dejecta, ad Antonium perrexerunt, manus ejus pedesq; lingentes: at ille animadvertit benedictionem eos à se precari, &c. Cumq; illi recessissent, sancti corporis oneri, seniles curvavit humeros, & depositio eo in fossam, desuper humum congregans, tumulum ex more composuit. Fabulosa autem & creditu difficilia forte an hæc, quæ narravimus, aliquibus videbuntur: *Sed quia non nova dicuntur, sed tradita repetuntur, fidem autores vindicent: nostrum sit inclitis literarum monumentis consecrata, perinde ac vana non refugisse,* ut Val. Maximi verbis caput hoc concludam, lib. 1. de Miraculis.

Cap. II.

Varii ritus funebres Barbararum gentium: quarum alia mortuos vel morti vicinos devorabant & quidem vel totos, ut Scythæ, Pontici, Padæi, Hiberni, Massagetæ, Derbices: *vel extepto capite, ut* Sidones, Essedones, Pane-

Panebi. *Alia avibus vel canibus dilaniandos objiciebant, ut* Hircani, Caspij, Bactrij, Barthæi, Indi, Persæ, Parthi. *Alia in aquam & paludes projiciebant, ut* Pœones, Æthiopes, Hyperborei, *Alia ex arboribus vel patibulo suspendebant, ut* Colchi, Tibareni, Scythæ. *Alia lapidibus obruebant, ut* Troglodytæ.

SEd & nulla GENS tam barbara, nullus populus tam immanis, qui non mortuos suos patrio ritu funerandos putârit. Patrio, inquam, ritu. Nam etsi quidem barbarorum sepultura à nostrâ adeo diversa est & aliena, ut nihil minùs nobis quàm sepultura videatur: apud ipsos tamen honestissima semper atq; sancta habita fuit, & qui aliter funerabatur, infelix existimatus: quemadmodum ex aliquammultis auctorum locis, quæ mox adscribam, clarè patebit. Non enim possum committere, quin fastidientis Lectoris nauseam varietate aliqua discussurus, plerosq; istos barbararum gentium funerales ritus, ut mihi in mentem venerint, capite hoc breviter recensea: quod dum facio, nullam me reprehensionem incursurum confido. Atq; ut hinc ordiar, Quibusdam populis propria ac peculiaris fuit ea consuetudo, ut *Amicorum ac familiarium, si quando diem suum obijssent, corpo-*

corpora non terræ mandarent aut comburerent, sed frustillatim dissecta devorarent, honestum esse arbitrati, suis in proprio ventre conditorium struere. Petronius Arbiter in Satyr: *Apud quasdam gentes scimus adhuc legem servari, ut à propinquis suis consumantur defuncti, adeo quidem ut objurgentur ægri frequenter, quòd carnem faciant pejorem.* Atq; hunc morem etiam ipse Chrysippus Philosophus probasse scribitur à Laërtio in ejus vita: ἐν ᾗ τῷ γ περὶ δικαίου, κατὰ τοὺς χιλίους στίχους καὶ τοὺς ἀποθανόντας κατεσθίειν κελεύων. Gentes verò, quæ hoc ritu usæ, perquam multas reperimus: Inter quas præcipui.

SCYTHÆ, de quibus Lucianus περὶ πένθους, ubi cum varios plurimarum gentium circa sepulturam ritus enumerasset, sic subjungit: Ὁδὲ Σκύθης κατεσθίει. Et in Toxari, ex hoc Scytharum more colligit, ipsos non esse amicitiæ studiosos: Τεκμαιρόμενος, inquit, τοῖς τε ἄλλοις, ἃ περὶ αὐτῶν ἀκούομεν, καὶ ὅτι κατεσθίουσι τοὺς πατέρας ἀποθανόντας. Tertullianus in Apologet. cap. IX. *Ajunt apud quosdam gentiles Scytharum defunctum quemq; à suis comedi.*

De

De PONTICIS populis idipsum memorat idem auctor lib. I. adversus Marcionem cap. I. *Parentum cadavera cum pecudibus cæsa convivio convorant. qui non ita decesserint, ut escatiles fuerint, maledicta mors est:*

De HIBERNIÆ Insulæ habitatoribus idem tradit Strab. lib. IV. περὶ ἧς (Hiberniam intellige) ἁδὲν ἔχομεν λέγειν σαφὲς, πλὴν ὅτι ἀγριώτεροι τῶν Βρεττανῶν εἰσὶν οἱ καλοικοῦντες αὐτὴν, ἀνθρωποφάγοι τε ὄντες καὶ πολυφάγοι, καὶ τοὺς τε πατέρας τελευτήσαντας κατεσθίειν ἐν καλῷ τιθέμενοι, hoc est. *De hac nihil certi habeo, quod dicam, nisi quod incolæ ejus Britannis sunt magis agrestes, qui & humanis vescuntur carnibus & plurimum cibi vorant, & pro honesto ducunt parentum mortuorum corpora comedere.*

Alii verò non solùm mortuos, sed & saltem *cum morbis graviusculè conflictantes cæsos comedebant.* Nam de PADEIS, gente Indicâ, refert Herodotus libr. III. illos hunc morem habuisse, ut quoties aliquis civium aliquave ægrotarit, virum quidem sui maximè familiares interemerint: quòd dicant illum morbo tabescentem carnem

carnes *ipsis* corrupturum. Et licet ille neget se ægrotare, nihilominus isti non ignoscentes necant eum, epulanturq́;. Mulieri verò suæ maximè necessariæ idem, quod viri viro, faciunt. Qui autem ad senium pervenerit, eo itidem mactato pascuntur. Ideoq́; cùm hac de causa, tum quia omnes, qui in morbum incidunt, necantur, non multi sanè eorum ad senectutem perveniunt. Verba Herodoti sunt: ὃς ἂν κάμῃ τῶν ἀστῶν, ἤν τε ἀνὴρ, ἤν τε γυνὴ, τὴν μὲν ἄνδρα ἄνδρες οἱ μάλιστα οἱ ὁμιλέοντες κτείνουσι, φάμενοι αὐτὸν, τηκόμενον τῇ νούσῳ τὰ κρέα σφίσι διαφθείρειν. ὁ δὲ, ἀπαρνεόμενος ἐστι μὴ μὲν νοσέειν. οἱ δὲ, οὐ συγγινωσκόμενοι, ἀποκτείνοντες κατευωχέονται. ἢν δὲ γυνὴ κάμῃ, ὡσαύτως αἱ ἐπιχρεώμεναι μάλιστα γυναῖκες ταὐτὰ τοῖς ἀνδράσι ποιοῦσι. τὸν γὰρ δὴ ἐς γήρας ἀπικόμενον θύσαντες, κατευωχέονται. ἐκ δὲ τούτου τοῦ λόγου οὐ πολλοί τινες αὐτέων ἀπικνέονται. πρὸ γὰρ τοῦ τὸν ἐς νοῦσον πάντα πίπτοντα κτείνουσι.

Non multùm absimilis, licet paulò mitior, consuetudo fuit MASSAGETARUM & DERBICUM: de illis Strabo lib. XI. θάνατος δὲ νομίζεται παρ' αὐτοῖς ἄριστος, ὅταν γηράσαντες κατακοπῶσι μετὰ προβατείων κρεῶν, καὶ ἀναμὶξ βροθῶσι. οὗτος δὲ νόσῳ θανόντας ῥίττουσιν ὡς ἀσεβεῖς καὶ ἀξίους ὑπὸ θηρίων βεβρῶσθαι, h. e. *Mortis genus*

opti-

optimum censent (Massagetæ) si senio confecti cum carnibus ovillis in frusta concidantur, unaq; devorentur: Qui è morbo decedunt, eos abijciunt tanquam impios & indignos, qui à feris vorentur. D. Hieronymus in Epist. adversus Jovinianum: Massagetæ & Derbices miserrimos putant, qui ægrotatione moriantur, & parentes, cognatos, propinquos, cum ad senectam venerint, jugulatos devorant, rectius esse ducentes, ut à se potiùs, quàm à vermibus comedantur. Quem locum à Porphyrio mutuatus est: sic enim ille libr. IV. Ἰσσηδόνες γὲν Μασσαγέται καὶ Δέρβικες ἀθλιωτάτους ἡγεῖσθαι τῶν οἰκείων τοὺς αὐτομάτως τελευτήσαντας. διὸ καὶ φθάσαντες καταθύουσι, καὶ ἑψήσαντα τῶν φιλτάτων τοὺς γεγηρακότας. Strabo hoc amplius, annum addit, quem egredi senes suos Derbices non permiserint: τοὺς δὲ ὑπὲρ ἑβδομήκοντα ἔτη γεγονότας σφάττουσι, ἀναλίσκουσι δὲ τὰς σάρκας οἱ ἐγγύτατα γένους. τὰς δὲ γραῦς ἀπάγχουσιν, εἶτα θάπτουσι. τοὺς δὲ ἐντὸς ἑβδομήκοντα ἐτῶν ἀποθνήσκοντας οὐκ ἐσθίουσιν, ἀλλὰ θάπτουσι. Qui LXX. annum excesserunt, eos jugulant: carnes genere proximi absumunt: vetulas strangulant, inde sepeliunt: qui intra LXX. annum moritur, non editur sed humatur. Eadem Ælianus lib. IV. Variar. cap. I. ubi vitiosè legitur Βερβίκιοι, pro Δερ-

pro Δερβίκκαι. De Massagetis vide Herodot. lib. I. postremo. Theodoret. serm. De Legibus. Chrysostom. homil. x. in Matth. Euseb. de præparat Evangel. lib. I. cap. III. Tertull. contra Marcion.

Notandum etiam, fuisse quosdam, qui mortuos quidem comederint, sed *excepto capite*, *quod inaurabant*: quem morem SIDONIBUS tribuit Zenobius Centur. V. Proverb. Νόμος καὶ χώρα: Οἱ Σιδῶνες, inquit, σὺν γονεῖς ἐσθίουσι, χωρὶς τῆς κεφαλῆς· τὴν δὲ κεφαλὴν χρυσοῦσι. *Sidones parentes devorant, excepto, quod inaurare solent, capite.*

Et ESSEDONIBUS Herodotus lib. IV. Νόμοισι δὲ Ἰσσηδόνες τοῖσδε λέγονται χρᾶσθαι. ἐπεὰν ἀνδρὶ ἀποθάνοι πατὴρ, οἱ προσήκοντες πάντες προσάγουσι πρόβατα, καὶ ἔπειτα τοῦτα θύσαντες καὶ κατατεμόντες τὰ κρέα, κατατέμνουσι καὶ τὸν τοῦ δεσπόζοντος τεθνεῶτα γονέα. ἀναμίξαντες δὲ πάντα τὰ κρέα, δαῖτα προτιθεῖσι. τὴν δὲ κεφαλὴν αὐτοῦ ψιλώσαντες καὶ ἐκκαθήραντες, κατακρυσοῦσι· καὶ ἔπειτα ἅτε ἀγάλματι χρέωνται, θυσίας μεγάλας ἐπετείους ἀποτελέοντες. hoc est. *Issedones porrò talibus moribus uti feruntur: Quoties pater alicui decessit, omnes ejus propinqui pecora adducunt, qui ubi mactaverunt concidunt & mortuum patrem illius, à quo in convivium accipiuntur, commix-*

mixtisq; omnibus carnibus convivium exhibent. Caput autem defuncti pilis nudatum purgatumq; inaurant, eoq; pro sigillo utuntur, agentes illi quotannis majores hostias ceremoniasq;. Videntor & Pomp. Mela lib. II. & Solinus cap. XXV. Idem ferè de PANEBIS Libyæ populis commemorat Stobæus, quos ait Regum corpus sepeliisse, caput verò abscissum & inauratum in templo suspendisse ac consecrasse.

Atq; hi fuerunt Populi, quorum quidem ego jam memini, qui mortuorum corpora ipsimet devorabant: Sequuntur qui *defunctos, imò adhuc semivivos, canibus, vulturibus, alijsq; feris aut avibus dilaniandos projiciebant.* In eorum numero fuêre

HYRCANI & CASPII. De Caspijs Strabo lib. XI. Κάσπιοι δ' οὖν ὑπὲρ ἑβδομήκοντα ἔτη λιμοκτονήσαντες, εἰς τὴν ἐρημίαν ἐκβιβάσιν· ἔπειθεν δὲ σκοπεύοντες, ἐὰν μὲν ὑπ' ὀρνίθων κατασπωμένους ἀπὸ τῆς κλίνης ἴδωσιν, εὐδαιμονίζουσι· ἐὰν δὲ ὑπὸ θηρίων ἢ κυνῶν, ἧττον· ἐὰν δ' ὑπό μηδενὸς, κακοδαιμονίζουσι. h. e. *Caspij eos, qui septuaginta amplius annos vixerunt, fame enectos in solitudinem ejiciunt: eminusq; spectantes, si à feretro detrahi eos ab avibus videant, prædicant beatos:*

tos: sin à feris aut canibus, non item: infelices, si omnino non detrahantur. Porphyrius, περὶ τῶν ἐμψύχων ἀποχῆς. lib. IV. Υρκανοὶ δὲ καὶ Κάσπιοι, οἱ μὲν οἰωνοῖς καὶ κυσὶν παραβάλλουσι ζῶντας: οἱ δὲ τεθνεῶτας. Quod D. Hieronymus ita interpretatur: *Hyrcani volucribus & canibus semivivos proijciunt: Caspij etiam bestijs mortuos.* Sex Philosophus lib. III. Pyrrhon. Hypothes. cap. XXIV. *Hyrcani defunctos canibus devorandos exponunt.* Hinc Diogenem dixisse ferunt, si canes cadaver suũ lacerarent, Hyrcanam sepulturã fore; si vultures, Iberam, teste Stobæo serm. 122. Notatu verò dignum, quod Cicero ait in 1. Tuscul. canes ab illis in hunc usum fuisse educatos: *In Hyrcania*, inquit, *plebs publicos alit canes, optimates domesticos. nobile autem genus canum illud scimus esse: sed pro sua quisq; facultate parat, à quibus lanietur, eamq; optimam illi esse censent sepulturam.* Idem tradit Theodoretus serm. De Legib. οὐκ ἔτι δ' οὔτε Υρκανοὶ οὔτε Κάσπιοι τοὺς κυνὰς τοῖς τῶν τεθνεότων ἐκτρέφουσι σώμασιν. Silius Ital. lib. II. Punicor: *probatum est Hyrcanis adhibere canes.*

De BACTRIIS etiam memoriæ proditum

ditum est, eos hunc morem usitasse. Strabo lib. XI. ex Onesicrito refert, οὗτ' ἀπειρηκότας διὰ νόσον ἢ γῆρας ζῶντας παραβάλλεσθαι τρεφομένοις κυσιν, ἐπίτηδες δὲ πρὸς τοῦτο, οὓς ἐνταφιαστὰς καλοῦσι τῇ πατρῴᾳ γλώττῃ. *Eos qui senio confecti sunt aut morbo vivos proijci canibus, dedita opera ad hoc nutritis, quos sua lingua Entaphiastas, quasi vespillones vocant.* Fuerunt autem hujus ritus adeo tenaces, ut cum Nicanor barbaram istam consuetudinem abrogare vellet, parum abfuerit, quin totam illam provinciam amiserit. Porphyrius id scribit dicto libro: Καὶ Βάκτριοι μὲν τοῖς κυσὶ παραβάλλουσι ζῶντας οὗτ' γεγηρακότας: καὶ τοῦτ' ἐπιχειρήσας καταλῦσαι Στασάνωρ ὁ Αλεξάνδρου ὕπαρχος, μικροῦ τὴν ἀρχὴν ἀπέβαλεν: D. Hieronymus: *Bactrij canibus ad hoc ipsum nutritis obijciunt senes: quod cum Alexandri præfectus Nicanor emendare voluisset, penè amisit provinciam.*

Vulturibus autem mortuos proijciebant IBERI: de quib. Silius Italicus lib. II. Punicor:

Tellure, ut perhibent, is mos antiquus Ibera,
Exanima obscœnus consumit corpora vultur,
Regia cum lucem posuerunt membra, probatum est
Hyrcanis, adhibere canes.

De BARCHÆIS idem ſcribit Ælianus lib. x. Animal. c XXII. Βαρκαῖοι, γένος δὲ τοῦτο ἑσπέριον, τῶν ἀποθανόντων νόσῳ σοῦ νεκρὸς ὑβρίζοντες, ὡς ἀνανδρῶς καὶ μαλακῶς τεθνεώτων, θάπτουσι πυρί: σοῦ δὲ ἐν πολέμῳ βίον καταστρέψαντας, ὡς καλοὺς καὶ ἀγαθοὺς καὶ ἀρετῆς μετειληχότας, γυψὶ προβάλλουσιν, ἱερὸν τὸ ζῶον εἶναι πεπιστευκότες. hoc eſt. *Barcæj, gens Heſperia, ex aliquo morbo mortuos ut muliebriter & ignaviter defunctos ad notandam mortis ignominiam, igni cremant. Eos verò, qui in bello vitam amiſerunt, ut ſumma virtute ornatos, Vulturibus devorandos obijciunt, quòd eas aves ſacras exiſtiment.* Ad hanc claſſem etiam

INDI referendi ſunt, quos ipſos etiam mortuorum corpora vulturibus objeciſſe, autor eſt Sextus Philoſophus lib. III. Pyrrhon. hypothes. cap. XIV.

At verò hos ritus feris aut avibus defunctos obijciendi poſtremis temporibus quoq; apud PERSAS in uſu fuiſſe teſtatur Procopius libr. I. de bello Perſic. Theodoretus ſerm. de Legib. Agathias libr. II. quorum loca vide apud Barn. Briſſonium libr. II. De Perſar. regno pag. 283. Nam aliàs Perſæ antiquiſſimi mortuos ſuos huma-

mabant: nisi quod Magi in Persia illos feris priùs laniandos objecerint, de quo ritu Cicero I. Tuscul: *Magorum mos erat non humare corpora, nisi à feris essent antè laniata.* Herodotus lib. I. οὐ πρότερον θάπτεται ἀνδρὸς Πέρσεω ὁ νεκὺς, πρὶν ἂν ὑπ' ὄρνιθος ἢ κυνὸς ἑλκυσθῇ. Μάγους μὲν γὰρ ἀτρεκέως οἶδα ταῦτα ποιέοντας: ἐμφανέως γὰρ δὴ ποιέουσι. Strabo lib. XV. Τοὺς δὲ μάγους οὐ θάπτουσιν, ἀλλ' οἰωνοβρώτους ἐῶσι. Quem morem postea PARTHOS etiam usurpasse docet Justinus lib. XLI. *Sepultura vulgò aut avium aut canum laniatus est: Nuda demum ossa terra obruunt.*

Transeo jam ad eos, *qui in aquam & paludes vita functos proijciebant:* quod POEONES facere tradit Laertius in Pyrrhone. ÆTHIOPES quoq;, qui ἰχθυοφάγοι dicuntur, *mortuos in paludes conjecisse, piscibus escam futuros*, autor est Sextus Philosophus lib. III. Deniq; HYPERBOREOS vitæ saturos semetipsos in mare præcipitasse, literis memoriæq; mandavit Plinius lib. IV. cap. XII. ubi de his populis sic loquitur: *Mors non nisi sacietate vitæ epulatis delibutisq; senibus luxu ex quadam rupe in mare salientibus. Hoc genus sepulturæ beatissimum.*

Reperio etiam quasdam gentes *mortuos, interdum etiam vivos ex arboribus vel patibulo suspendisse:* quem ritum COLCHIS tribuit Nicolaus de Morib. gent. apud Stob. serm. CXX. Κολχοὶ τοὺς τελευτήσαντας οὐ θάπτουσιν, ἀλλὰ κρεμῶσιν ἐπὶ δένδρων. Et Ælianus libr. IV. Var. hist. cap. I. Κολχοὶ δὲ τοὺς νεκροὺς ἐν βύρσαις θάπτουσι, καὶ καταῤῥάψαντες ἐκ τῶν δένδρων ἐξαρτῶσι. hoc est. *Colchi mortuos suos in pellib. sepeliunt & insutos ex arboribus suspendunt.* Idipsum quoq; de TIBARENIS narrat Porphyrius, loco sæpe laudato: Τιβαρηνοὶ δὲ ζῶντας κατακρυμνίουσι τοὺς ἐγγυτάτους γέροντας D Hieronymus: *Tibareni quos dilexerint senes suspendunt in patibulis.* A quibus tamen dissentit Theodoretus serm. de Legib. ubi senes ex altissimo loco fuisse præcipitatos affirmat: Καὶ τιβαρηνοὶ τοὺς πρεσβύτας κατὰ κρημνῶν βαθυτάτων εἰθικότες ὠθεῖν. &c. Et cum hoc convenit Eusebius lib. I. præpar. Evangel. cap. III. Similem autem ritum SCYTHIS quibusdam attribuit Statius lib. XIII.

At gente in Scythicâ suffixa cadavera truncis,
Lenta dies sepelit putri liquentia tabo.

Sed quis omnes omnium barbararum gentium barbaros ritus enumerare valeat?

Fini-

Finiam igitur hoc caput oppidò ridicula consuetudine TROGLODYTARUM, *quibus morem esse ajunt, ut defunctum in aliquem collem adducant: deinde religato ejus capite ad pedes, saxis non sine risu petant: cum autem aggere jactorum lapidum operuerint, discedunt*. ut scribit Sextus Philosophus libr. III. Pyrrhoniar. Hypotheseωn. cap. XXIV. Sed magis signatè hunc ritum depingit Strabo libr. XVI. ubi Κέρας αἴγειον *capræ cornu* mortuis saxorum cumulo cooportis fuisse superimpositum memorat: θάπτουσι δέ τινες τῶν Τρωγλοδυτῶν ῥάβδοις παλιουρίνοις δήσαντες τὸν αὐχένα τῶν νεκρῶν πρὸς τὸ σκέλη. ἔπειτα λίθοις καταβάλλουσιν ἱλαροὶ, γελῶντες ἅμα, ἕως ἂν δὲ σώματος τὸ ὄψιν ἀποκρύψωσιν. εἶτ' ἐπιθέντες κέρας αἴγειον, ἀπέασιν. h. e. *Quidam Troglodítæ sepeliunt suos virgis paliurinis mortui cervicem pedibus alligantes: postea subitò lapidibus obruunt, læti ac ridentes, quousq; corporis faciem occultent: deinde impositò capreæ cornu discedunt.* Ejusdem ritus meminit Photius in Bibliotheca pag. 738. ex libr. V. Agatarchidis histor. περὶ τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν cap. XXX. cujus hæc sunt verba: ὅτι ἡ τρωγλοδύτης περὶ τοὺς μετηλλαχότας, φησὶν, οὕτω πράττουσι: ταῖς ἐκ τῶν παλιούρων λύγοις τὸν αὐχένα πρὸς τὰ σκέλη συνέδησαν.

εἶτα ἐπ' ὄχθον ἐπιθέντες βάλλουσι χειρο πληθέσι λίθοις, τωθασμῷ χρώμενοι καὶ γέλωτι τέως ἀποκρύψωσι τοῦ τετελευθηκότος τὴν μορφήν. Κἄπειτα ἄνωθεν ἐπιθέντες κρέας αἰγὸς, ἀπαθεῖς ἀπολύονται καὶ παντελῶς ἱλαροί.

h. e. *Troglodytæ circa defunctos hæc agunt: Laqueis ex paliuro contextis colla mortuorum cruribus alligant. Tunc colli aut tumulo alicui impositos manuarijs lapidibus obruunt, non absq; salso joco & derisu, donec de forma ejus nihil amplius videatur. Capreæ dehinc cornu in cippum fixo, sine perturbatione omnino hilares discedunt*, ut reddidit doctissimus Andreas Schottus.

CAP. III.

Sepulturam esse juris gentium & prope divini: cujus etiam in bellis accurata ratio habita. Imperatoribus incumbere curam sepeliendorum militum in bello cæsorum. Athenienses id neglectum in belli ducibus graviter punivisse.

VEtus verbum est, *jura inter arma silere.* Quam vocem verissimam esse de jure scripto, non autem de non scripto, hoc est, de jure gentium & naturali, norunt omnes, qui primoribus saltem labris civilem doctrinam gustarunt. Ejus rei multa exempla coacervare quid opus? en præclarissi-

rissimum in ipsa Sepultura, qua hujus interpretationis veritatem stabilivit ipse Dio Chrysostomus in oratione περὶ ἔθους, ubi disertis verbis gravissimus auctor dicit, sepulturam esse juris gentium non scripti, quod ipse ἔθος vocat & in bellis etiam ab infensissimis hostibus observari. Verba ejus hæc sunt. Καὶ τῶν μὲν ἐγγράφων οὐδὲν ἐν τοῖς πολεμίοις ἰσχύει. τὰ δὲ ἔθη φυλάττεται παρὰ πᾶσι, κἂν εἰς τὴν ἐσχάτην ἔχθραν προέλθωσι. τὸ γὰρ μὴ κωλύειν τοὺς νεκροὺς θάπτειν, οὐδαμῆ γέγραπται. περὶ γὰρ ἄν, ὑπήκουον οἱ κρατοῦντες τοῖς τῶν ἡττωμένων ἐπιτάγμασιν. Ἀλλ' ἔθος ἐστὶ τὸ ποιοῦν τῆς φιλανθρωπίας ταύτης τοὺς κατοιχομένους τυγχάνειν. h. e. *Tum scriptarum legum nulla in bellis valet: consuetudines autem servantur apud omnes, etiamsi ad extremas inimicitias progrediantur. Quippe ne mortui prohibeantur sepeliri, nusquam scriptum est: nam alioqui circa hoc victores succumbentium parerent mandatis: sed consuetudo est, quæ defunctos facit ea humanitate potiri.* Sed & Sophocles cadaverum sepulturam juris non scripti aut divini h. e. ut P. Faber in Semestribus interpretatur, juris gentium esse docet, ubi Antigonen Regi Creonti de sepulto ab ipsa contra suum

um edictum Polynice conquerenti, his verbis respondentem introducit:

οὐ γάρ τι μοι ζεὺς ἦν ὁ κηρύξας τάδε
οὐδ' ἡ ξυνοικὸς τῶν κάθω θεῶν δίκη,
οἱ σοῦ δ' ἐν ἀνθρώποισιν ὥριζαν νόμους,
οὐδὲ στένειν τοσοῦτον ὠόμην τά σα
Κηρύγμαθ', ὡς ἄγραπτα κἀσφαλῆ θεῶν
Νόμιμα δυνάσθαι θνητὸν, ὄνθ' ὑπερδραμεῖν.
οὐ γὰρ τι νῦν γε κἀχθὲς, ἀλλ' ἀεί ποτε
Ζῇ ταῦτα, κοὐδεὶς οἶδεν ἐξ ὅτου φάνη. h. e.

Non enim mihi Iupiter hæc mandaverat
Neq; socia inferorum Deorum vindicta,
Qui leges has hominibus dederant;
Neq; posse tantum putavi tua
Edicta, ut non scriptas & certas Deorum
Leges possit mortalis violare.
Non enim nunc & heri, sed semper
Valent, & nullus scit, unde edita sint.

In hanc sententiam extat etiam elegans Isocratis testimonium in Panathenaico, ubi narrat Adrastum Argivorum Regem, cum à Thebanis ad Cadmæam bello superatus esset, suorumq; cadavera projecta sepelire per hostes victores non posset, ad Theseum & Athenienses confugisse, ab ipsisq; petijsse, ne tales viros inhumatos jacere, nec veterem consuetudinem patriumq; jus dissolvi sinerent, quo videlicet omnes homines tanquam divino uteren-

tur,

tur, auxilio deniq; ab Atheniensibus impetrato, Thebanis invitis, suos tandem tumulasse. Verba Isocratis hæc sunt: Τίς γὰρ οὐκ οἶδεν, ἢ τίς οὐκ ἀκήκοε τῶν τραγῳδιδασκάλων ἐν Διονυσίοις τὰς Ἀδράστῳ γενομένας ἐν Θηβαίοις συμφορὰς; ὅτι κατάγειν βουληθεὶς τὸν Οἰδίπου μὲν υἱὸν, αὐτοῦ δὲ κηδεστὴν, παμπληθεῖς μὲν Ἀργείων ἀπώλεσεν, ἅπαντας δὲ τοὺς λοχαγοὺς ἐπεῖδε ἐπιφθαρέντας: αὐτὸς δ' ἐπονειδίστως σωθεὶς, ἐπειδὴ σπονδῶν οὐχ οἷός τ' ἦν τυχεῖν, οὐδ' ἀνελέσθαι τοὺς τετελευτηκότας, ἱκέτης γενόμενος τῆς πόλεως, ἐπὶ Θησέως αὐτὴν διοικοῦντος, ἐδεῖτο μὴ παριδεῖν τοιούτους ἄνδρας ἀτάφους γενομένους, μηδὲ παλαιὸν ἔθος καὶ πάτριον νόμον καταλυόμενον: ᾧ πάντες ἄνθρωποι χρώμενοι διατελοῦσιν, οὐχ ὡς ὑπ' ἀνθρωπίνης κειμένῳ δυνάμεως. h. e. *Quis enim ignorat, aut Bacchanalibus è Tragicis auctoribus non audivit, quas Adrastus clades ad Thebas acceperit? Qui Oedipi filium suum generum in regnum restituere conatus, maximas Argivorum copias amisit & omnes Centuriones vidit interemptos, ipse per dedecus servatus. Et quia nec fœdus impetrare nec cæsos afficere sepultura poterat, supplex urbi nostræ factus, Theseo adhuc eam gubernante, oravit ne tales viros insepultos jacere aut vetus institutum & patriam legem apud universos homines receptam abrogari sineret, quæ non mor-*

mortali prodita ingenio, sed à divina potentia imperata videretur. Et paulò pòst hinc planum fieri ait, quàm potens fuerit urbs Attica, quæ Thebanorum duces eò redegerit, ὡς ἐλέσθαι μᾶλλον αὐτοὺς ἐμμεῖναι τοῖς λόγοις τοῖς ὑπὸ τῆς πόλεως ἐκπεμφθεῖσιν, ἢ τοῖς νόμοις τοῖς ὑπὸ τοῦ δαιμονίου κατασταθεῖσιν. hoc est. *ut maluerint nostræ urbis sermonibus, quàm legibus à Deo latis obtemperare.* Porrò Sepulturas esse ex Jure quidem non scripto, sed omnibus scriptis certiore innuit Seneca libr. 11. Controvers. *Affectus nostri in nostra potestate non sunt. Quædam enim jura non scripta, sed omnibus scriptis certiora sunt. Quamvis filius familias sim, licet mihi & stipem porrigere mendico & humum cadaveri.*

Sed quorsum hæc? ut nimirum ostendamus, sepulturam, quæ juris gentium est, etiam in bellis, ubi leges silent, non fuisse ab antiquis insuperhabitam. Nam cum primùm à pugna respirare licuit, hæc una statim cura tam militibus quàm belli ducibus incumbebat, ut cæsi terræ mandarentur. Cujus consuetudinis Athenienses adeo observantes fuére, ut etiam capitis pœnam inflixerint ducibus, qui milites

in

in prœlio cæsos non sepelivissent. Valerius Maximus libr. IX. cap. VIII. *Jam Atheniensium civitas ad vesaniam usq; temeraria, quæ decem universos imperatores suos & quidem à pulcherrima victoria venientes, capitali judicio exceptos necavit; quod militum corpora, sævitia maris interpellante, sepulturæ mandare non potuissent.* Vide Xenophontem libr. I. Ἑλληνικῶν. Quæ etiam causa fuit, cur Chabrias Atheniensium Dux Lacedæmonios victos in fugam versos non fuerit prosecutus: Ἀπέσχετο παντελῶς τοῦ διωγμοῦ, ἀναμνησθεὶς τῆς ἐν Ἀργινούσαις ναυμαχίας, ἐν ᾗ τοὺς νικήσαντας στρατηγοὺς ὁ δῆμος ἀντὶ μεγάλης εὐεργεσίας θανάτῳ περιέβαλεν αἰτιασάμενος, ὅτι σοῦ τετελευτηκότας κατὰ τὴν ναυμαχίαν οὐκ ἔθαψαν. Εὐλαβήθη μήποτε τῆς περιστάσεως ὁμοίας γενομένης κινδυνεύσῃ παθεῖν παραπλησίον. Διόπερ ἀποστὰς τοῦ διώκειν, ἀνελέγετο τῶν πολιτῶν διανηχομένους, καὶ σοῦ μὲν ἔτι ζῶντας διέσωσε, σοῦ δὲ τετελευτηκότας ἔθαψεν, ut ait Diodorus Siculus libr. XV. Biblioth. Histor. hoc est. *Ab insequendo tamen abstinuit, memor pugnæ ad Arginusas olim factæ, in qua ducibus victoria potitis ingens beneficium morte populus compensaverat, hoc tantùm illis improperans, quod pereuntes in prælio sepultura non affecissent. Veritus igitur ne si quid ejusmodi contin-*

tingeret, simile discrimen subiret, omissa persecutione, cives hîc illic natantes collegit, & servatis, quos adhuc superstites invenisset, defunctos inhumavit. Sed quàm studiosè Græci cæsorum in prœliis corpora sepeliverint, notum est ex Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Diodoro Siculo & alijs. Nec desunt exempla apud Romanos, Livius lib. XXXIX. de pugna L. Manlij Acidini cum Celtiberis: *Incerta victoria discessum est; nisi quôd Celtiberi castra inde nocte proxima moverunt. Romanis & suos sepeliendi & spolia legendi ex hostibus potestas facta est.* Cæsar de Bello Gallico libr. I. *Cum & propter vulnera militum, & propter sepulturam occisorum nostri triduum morati, eos sequi non potuissent.* Commendatur hoc nomine Trajanus Imperator, quem Xiphilinus scribit τοῖς τελευτήσασι τῶν στρατιωτῶν ἐν τῇ μάχῃ βῶμόν τε στῆσαι καὶ κατ' ἔθος ἐναγίζειν κελεῦσαι. h. e. *Cæsis in prœlio statuisse aram, qua quotannis parentari jussit.* Apprime verò notatu dignum est, quod Vegetius libr. II. de Re Militari cap. XX. memoriæ prodidit, milites dimidium donativi apud signa sequestrare consuevisse, & ei rei decem fol-

licu:

liculos vel ſacculos per ſingulas cohortes poſitos, additum dein ſaccum undecimũ, *in quem tota Legio particulam aliquã conferebat, ſepulturæ ſcilicet cauſa, ut ſi quis ex contubernalibus defeciſſet, de illo undecimo ſacco ad ſepulturam ipſius promeretur expenſa.* Præcipuè tamen hæc cura ad belli Duces pertinebat, quibus ſæpe fraudi fuit, eos qui in prœlio occubuerant, ſepultura non affeciſſe. Quare Antiochus ut Philippum Macedonibus inviſum redderet, cum ad Theſſaliæ locum, qui Κυνὸς κεφαλαὶ nuncupatur, perveniſſet, oſſa & reliquias Macedonum illic à Romanis cæſorum, qui in hunc uſque diem ſepulchri honore caruerant, legi & magnificè tumulari juſſit, teſte Appiano Alexandrino de Bellis Syriacis: ὁ δ' Ἀντίοχος ἤλαυνεν ἐπὶ θετταλοὺς, καὶ γενόμενος ἐν Κυνὸς κεφαλαῖς (ἔνθα τὸ πταῖσμα τοῖς μακεδόσιν ὑπὸ Ρωμαίων γεγένητο) τὰ λείψανα τῶν τότε πεσόντων, ἄταφα ἔτι ὄντα, μεγαλοπρεπῶς ἔθαψε, δημοκοπῶν ἐς μακεδόνας, καὶ φίλιππον διαβάλλων, οὐ θάψαντα τοὺς ὑπὲρ αὐτοῦ πεσόντας. h. e. *Antiochus autem movit in Theſſaliam, & poſtquam pervenit ad Cynoscephalas, ubi cladem Macedones à Romanis acceperant, reliquias cæſorum*

insepultos etiam tum, sepelijt magnificè, captans favorem Macedonum & Philippo invidiam faciens, quòd stratos sepeliri non curaverit. Tale quid legimus etiam de Cn. Pompejo, qui cum incidisset in inhumata adhuc cadavera eorum, qui duce Triario infeliciter adversus Mithridatem dimicaverant, ceciderantq́; , illos omnes splendidè & magnificè tumulavit, quod neglectum militum animos imprimis putatur à Lucullo abalienasse. Plutarchus in Pompejo: pag. 637. Αναλαβὼν δὲ τῆς στρατιᾶς τὴν πλῆθυν συχνὴν προῆγε, καὶ τῶν μετὰ Τριαρίου πρὸς Μιθριδάτην ἀτυχῶς ἀγωνισαμένων καὶ πεσόντων, ἐντυχὼν ἀτάφοις ἔτι τοῖς νεκροῖς, ἔθαψε λαμπρῶς καὶ φιλοτίμως ἅπαντας. ὁ δοκεῖ παραλειφθὲν οὐχ ἥκιστα Λευκούλλῳ μίσους αἴτιον γενέσθαι.

Sed cur tanta sollicitudine mortuos sepulturæ mandandos curare debeant Imperatores, elegantissimè docet Onosander in Strategico cap. XXXVI. προνοείσθω δὲ τῆς τῶν νεκρῶν κηδείας, μήτε καιρὸν, μήθ' ὥραν, μήτε τόπον, μήτε φόβον προφασιζόμενος, αὔτε τύχῃ νικῶν, αὔτε ἡττώμενος. Ὁσία μὲν γὰρ ἡ πρὸς τοὺς ἀποιχομένους εὐσεβεία, ἀναγκαία δὲ καὶ ἡ πρὸς τοὺς ζῶντας ἀπόδειξις. ἕκαστος γὰρ τῶν στρατιωτῶν ὡς αὐτὸς ἀπελούμενος, εἰ πεσὼν ἔτυχε, παρ' ὀφθαλμοῖς ὁρῶν

τὴν

τὴν τύχην καὶ ὑπὲρ τοῦ μέλλοντος καταμαντευόμενος, ὡς οὐδ' αὐτὸς, οὐ τεθναίη ταφησόμενος, ἐπαχθῶς φέρει τὴν ἀτύμβευτον ὕβριν. hoc est, interprete CL. Nicolao Rigallio: *Imperator sive vicerit, sive victus fuerit, militum occisorum funeribus & exsequiis prospiciet, neq; incuriam aut occasionis, aut temporis, aut loci, aut metus nomine prætexat. Sancta enim hæc & religiosa circa eos, qui sic abierunt, pietas est, ejusq; necessaria inter superstites demonstratio. Etenim unusquisq; militum sibi ante oculos ponit, eodem modo se, si fortè in bello ceciderit, ludibrio despectuiq; fore, & insepultum remansurum præsagiens, mortis honore carere, non ferendam putat contumeliam.*

CAP. IV.

Inducijs factis corpora cæsorum in prælio ad sepulturam postulata, & ab hostibus non iniquis data. Morem hunc ab Hercule originem ducere. Habere jus in cadavera cæsorum victoriæ signum habitum. νεκροὺς ὑποσπόνδους δοῦναι, & ἀπολαμβάνειν.

UTigitur supremum hoc humanitatis officium militibus cæsis præstarent, si fortè illos in sua potestate non habebant, solebant magna religione corpora occiso-

rum factis inducijs per præcones ad sepulturam postulare. Quem ritum tangit Virgilius lib. XI. Æneidos, cum inquit.

Iamq; oratores aderant ex urbe Latina
Velati ramis oleæ veniamq; rogantes,
Corpora per campos ferro quæ cæsa jacebant
Redderet, & tumulo sineret succedere terræ.
Nullum cum victis certamen & æthere cassis.

Memorabile est Niciæ factum, quod recitat Plutarchus in ejus vita, pag. 527. editionis Francofurtanæ. Εἰς δὲ τὴν Κορινθίαν ἀποβὰς, ἐνίκησε μάχῃ καὶ διέφθειρε Κορινθίων πολλοὺς καὶ Λυκόφρονα τὸν στρατηγόν. ἔνθα δὴ αὐτῷ συνέβη τῶν οἰκείων δύο νεκροὺς ἀπολιπεῖν, ἀπολαθόντας περὶ τὴν ἀναίρεσιν. ὡς οὖν ταῦτ' ἔγνω, τάχιστα τὸν στόλον ἐπιστήσας, ἔπεμψε κήρυκα πρὸς τοὺς πολεμίους περὶ ἀναιρέσεως. hoc est. *In fines Corinthiorum facta descensione, acie victor magnum eorum numerum cum Prætore Lycophrone occidit. Ibi ille duos fortè ex suis, dum sustollit cadavera, mortuos reliquit imprudens, quod ubi rescivit, inhibito statim cursu caduceatorem misit ad hostes recuperandorum cadaverum causa.*

Nec verò admodum difficile erat, cæsorum cadavera ab hostibus non planè iniquis & crudelibus impetrare. Unde ad Cajum Grachum Licinia uxor de insepul-

to

to Tiberii fratris cadavere apud Plutarchũ in Gracchis, p. 841. Κεκράτηκεν ἤδη τὰ χείρω, βίᾳ καὶ σιδήρῳ τὰς δίκας ἤδη πράττουσιν. εἰ περὶ Νουμαντίαν ὁ σὸς ἀδελφὸς ἔπεσεν, ὑπόσπονδος ἂν ἡμῖν ἀπεδόθη νεκρὸς. h.e. *Viget improbitas, vis & ferrum dominantur jam in subsellijs. Si apud Numantiã frater tuus occubuisset, cadaver petitis induciis reddidissent nobis.* Et Vibulenus gregarius quidã miles ad Blæsum castris Pannonicis sub Tiberio præfectum in hæc verba erumpit apud Tacitum lib. 1. Annal. de patre suo per ipsius satellites jugulato: *Responde Blese, ubi cadaver abjeceris, ne hostes quidem sepulturam invident.* Sic Achilles Hectorem occisum Priamo patri ad sepulturam restituit, teste Homero Iliad. ω. De Antigono Æmilius Probus in vita Eumenis: *Antigonus autem Eumenem mortuum propinquis ejus sepeliendum tradidit. Hi militari honestoq; funere, comitante toto exercitu, humaverunt.* Crebra hujus ritus mentio est apud veteres scriptores. Xenophon. lib. 1. ἑλληνικῶν pag. 434. οἱ δὲ Ἀθηναῖοι σπὸν νεκρὸς ὑποσπόνδους ἀπολαβόντες, ἀπέπλευσαν ἐς Νοτιον. κἀκεῖ θάψαντες αὐσπὸν ἔπλεον ἐπὶ Λέσβου καὶ Ἑλλησπόντου. *Athenienses mortuis per inducias receptis Notium*

tium petivêre: ubi illis sepultis, in Lesbum & Hellespontum profecti sunt. Et libr. IV. pag. 523. Μετὰ μὲν τοίνυν τοῦτο οἱ μὲν Κορίνθιοι καὶ Ἀργεῖοι τοὺς νεκροὺς ὑποσπόνδους ἀπήγοντο. *Secundum hæc Corinthij & Argivi per inducias interfectos auferunt.* Et libr. IV. pag. 586. Καὶ τότε μὲν τρόπαιόν τε ἔστησαν οἱ Κερκυραῖοι, καὶ τοὺς νεκροὺς ὑποσπόνδους ἀπεδίδοσαν. h. e. *Ac tum quidem erecto tropæo Corcyrenses etiam mortuorum cadavera per inducias reddebant.* Et libro eodem pag. 597. Ἐπεὶ δὲ πᾶσιν ἐδόκει ὑποσπόνδους τοὺς νεκροὺς ἀναιρεῖσθαι, οὕτω δὴ ἔπεμψαν κήρυκα περὶ σπονδῶν. οἱ μὲν Θηβαῖοι μετὰ ταῦτα καὶ τρόπαιον ἐστήσαντο, καὶ τοὺς νεκροὺς ὑποσπόνδους ἀπεδοσαν. hoc est. *Posteaquam omnes censuissent, interfectorum cadavera per inducias esse tollenda, caduceatorem mittunt, qui de inducijs ageret. Secundum hæc Thebani tropæum excitant, ac per inducias mortuos reddunt.* Idem in oratione de Agesilao. pag. 660. οἱ δὲ Θηβαῖοι ἔπεμψαν κήρυκα ὑποσπόνδους τοὺς νεκροὺς αἰτοῦντες θάψαι. καὶ οὕτω δὴ αἵτε σπονδαὶ γίνονται, καὶ ὁ Ἀγησίλαος οἴκαδε ἀπεχώρει. hoc est. *Thebani misso præcone, mortuorum cadavera per inducias ad sepulturam poscunt. Itaq; fiunt induciæ & domum Agesilaus discedit.* Thucydides lib. V. pag. 395. οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι προθέμενοι

τῶν

τῶν πολεμίων νεκρῶν τὰ ὅπλα. τρόπαιον εὖθυς ἵστασιν, καὶ τοὺς νεκροὺς ἐσκύλευον, καὶ τοὺς αὐτῶν ἀνείλοντο καὶ ἀπήγαγον εἰς Τέγεαν, ὅπερ ἐτάφησαν. Καὶ τοῖς τῶν πολεμίων ὑποσπόνδους ἀπέδοσαν. hoc est. *Post pugnam Lacedæmonii hostium interfectorum arma in medium conferebãt, & statim tropæum erigebant atq; cæsorum corpora spoliabant: suorum autem sublata avehebant in Tegeam, ubi & sepulta sunt: cæsorum verò ex hostium numero factis ad id induciis reddebant.*

Morem verò hunc hostibus interemptorum in prœlio cadavera ad sepulturam concedendi ab Hercule ortum esse, autor est Plutarchus in Theseo pag. 14. ὅτι δὲ Ἡρακλῆς πρῶτος ἀπέδωκε νεκροὺς τοῖς πολεμίοις ἐν τοῖς περὶ Ἡρακλέους γέγραπται. hoc est. *Verùm Herculem hostibus principem mortuorum cadavera concessisse, in ijs, quæ de Hercule prodita sunt, invenies.* Ælianus aliquantò clarius lib. XII. Var. Hist. c. XXVII. ἡμερώτατα φάσι τὴν Ἡρακλῆν προσενεχθῆναι τοῖς ἑαυτοῦ πολεμίοις. πρῶτον γὰρ τῶν ἐξ αἰῶνος νεκροὺς ὑποσπόνδους ἀποδοῦναι ταφησομένους. εἰωθότων τῶν τότε ὀλιγωρεῖν τῶν ἀνῃρημένων, καὶ ἀπολείπειν αὐτοὺς κυνῶν δεῖπνον εἶναι. h. e. *Singulari mansuetudine ferunt Herculem in suos hostes fuisse. Primùm*

enim ante hominum memoriam mortuos suis sepeliendos reddidisse, ac liberè secureq; cadavera permisisses, cum eo tempore parùm occisos curare solerent & canibus ad vescendum relinquere,

Erat autem antiquitus, ut hoc quoq; moneamus, certissimum victoriæ signum, jus & potestatem habere in cadavera peremptorum in aciè: quod Diodorus Siculus testatur libr. XIX. Bibliothecæ p. 677. ubi de Eumene sic ait: Ευμένης μὲν ἔν ἐπεχείρει ἀναζωγυρεῖν ἔτι τῶν νεκρῶν, ἀπὸ δὲ τούτων κρατεῖν τῆς τούτων ἀναιρέσεως: καὶ τὴν νίκην ἀναμφισβήτητον κατασκευάσασθαι. h. e. *Ibi Eumenes ad cæsos regredi proposuerat, tollere eos maturans, ut ancipitem hactenus victoriam certò sibi assereret.* Et de Antigono paulò pòst: Εβιάσατο μὲν τὸ πλῆθος ἔτι τῶν νεκρῶν στρατοπεδεύσαι. Κύριον δὲ νομίζων τῆς τούτων ταφῆς, ἀμφισβητεῖ τῆς νίκης ἀποφαινόμενον βεβαιότερον ἐν ταῖς μάχαις εἶναι τὸ τῶν πεσόντων κυριεύσαι. h. e. *Antigonus verò viturbam compulit, ut prope interfectos castra ponerent. Et sepultura ipsorum potitus, controversam hoc modo victoriam reddidit, potiri mortuis præstabilius in pugnis esse confirmans.* Ea propter qui cadavera occiso-

rum

rum in pugna abs alio petebat, is se ab eodem superatum profitebatur: quod expressè dicit Plutarchus in Nicia, ubi narrat ipsum quantumvis victorem, tamen quia duos milites insepultos reliquerat, mississe ad hostes caduceatorem, qui mortuorum cadavera ad sepulturam peteret, καίτοι κατὰ νόμον τινὰ καὶ συνήθειαν ἐδόκουν οἱ νεκρῶν ὑποσπόνδων λαβόντες ἀναίρεσιν, ἀπολέγεσθαι τὴν νίκην. καὶ τρόπαιον ἱστάναι τοὺς τούτου τυχόντας, οὐκ ἔνθεσμον ἦν. Νικᾷν γὰρ τοὺς κρατοῦντας, μὴ κρατεῖν δὲ τοὺς αἰτοῦντας, ὡς λαβεῖν μὴ δυναμένους. ἀλλ' ὁμῶς ἐκεῖνος ὑπέμεινε μᾶλλον προέσθαι τὸ νίκημα καὶ τὴν δόξαν, καὶ καταλιπεῖν ἀτάφους δύο τῶν πολιτῶν. hoc est. *quamvis de more & usu, qui per inducias cæsorum corpora petijssent, renunciare viderentur victoriæ. neq; legitimum erat, ut id qui fecissent, erigerent tropæum. Quippe victores esse eos, qui prævalerent, nec prævalere qui peterent, quod capere non possent. Maluit tamen profundere ille lauream & decus, quàm duos cives relinquere inhumatos.* Justin. lib. VI. *In eo prœlio Archidamus Dux Lacedæmoniorum vulneratur: qui cum cædi suos jam ut victor videret, per præconem corpora interfectorum ad sepulturam poscit. Hoc est enim signum apud Græcos victoriæ traditæ.*

Qua confessione contenti Thebani, signum parcendi dedêre. Diodorus Siculus lib. XVII. Bibliothecæ, ubi de Alexandri copiis ab Ariobarzane fusis agit: p. 542. Αἰσχρὸν εἶναι νομίσας ἀτάφους ἀπολιπεῖν τοὺς τετελευτηκότας, καὶ τὴν αἴτησιν τῶν νεκρῶν οὖσαν ὁρῶν αἰσχήμονα, καὶ περιέχουσαν ἥττης ὁμολόγησιν, προσέταξεν ἀπαγαγεῖν ἅπαντας τοὺς αἰχμαλώτους. h. e. *At Rex turpe sibi ducens, si militum cadavera insepulta relinqueret, eaq; ad sepulturam expetere ignominiosum sibi ac manifestam victoriæ concessionem fore, animadvertens, quotquot tum captivi adessent, ut ad se adducerentur, imperavit.* Hinc Pausaniæ vitio datum fuit, quòd ὑποσπόνδους, ἀλλ' οὐ μάχῃ ἐπειρᾶτο τοὺς νεκροὺς ἀναιρεῖσθαι. h. e. *per inducias, non commissa pugna tollere mortuornm cadavera conatus fuisset,* teste Xenophonte libr. III. Ἑλληνικῶν extremo.

Ex his verò autorum locis clarum est, νεκροὺς ὑποσπόνδους δοῦναι vel ἀποδοῦναι de victoribus dici: At verò ὑποσπόνδους ἀπολαμβάνειν seu ἀναιρεῖν τοὺς νεκροὺς de victis: quia mos erat apud Græcos pactis cum victore induciis & fide publica ab eo accepta, cæsos terræ mandare.

CAP. V.

CAP. V.

Cæsorum in prœlio cadavera etiam ab ipsis hostibus sepulturæ mandata, probatur variis exemplis.

NOn autem ὑποσπόνδους solùm δοῦναι mortuos solebant antiqui: sed & ipsimet hostibus in prœlio occisis sepulturæ honorem exhibere, vel sponte sua vel precibus aut literis rogati. Ab Atheniensibus autem olim Medos sepulturæ honore affectos, tradit Pausanias in Atticis, ubi de pago Marathonio agit: Τοὺς δὲ Μήδους Ἀθηναῖοι μὲν θάψαι λέγουσιν, ὡς πάντως ὅσιον ἀνθρώπου νεκρὸν γῇ κρύψαι. hoc est. *Ac Persæ quidem in pugna cæsi ut humarentur se curasse dicunt Athenienses, quod semper pium esse existimarint, mortuos terræ mandare.* Philippum Alexandri Magni patrem tanta humanitate & clementia usum erga superatos ad Cheronæam Athenienses, ut sine ullo redemptionis prœlio captivos dimitteret, peremptorum sepulturam curaret, ossibus Antipatro commendatis, autor est Polybius libr. v. Alexandrum quoq; Philippi filium post superatum Darium *sepultis cum cura militibus, quorum corpora invenerat, Persarum quoq; nobilissimis eundem honorem haberi jussisse,*

sisse, matriq; Darij permisisse, quos vellet, patrio more, sepelire, memoriæ proditum est à Qu. Curtio lib. III. Sic Demetrius Poliorcetes Antigoni F. fuso fugatoq; navali prælio ad Salamina Ptolomæo, ipsaq; urbe, navibus ac toto exercitu in suam potestatem redacto, hanc adeo claram & insignem victoriam multò magis facilitate & humanitate sua decoravit, dum hostes, qui occiderant, magnificè funerari captivosq; dimitti jussit: οὕτω δὲ λαμπρὰν καὶ καλὴν γενομένην ἔτι μᾶλλον ἐπικοσμῶν ὁ Δημήτριος εὐγνωμοσύνῃ καὶ φιλανθρωπίᾳ· τοὺς νεκροὺς τῶν πολεμίων ἔθαψε μεγαλοπρεπῶς καὶ τοὺς αἰχμαλώτους ἀφῆκεν, ut ait Plutarchus in Demetrio pag. 896. Celebratur ob hanc facilitatem & clementiam etiam Antigonus Demetrii F. qui cum filius Alcyoneus caput Pyrrhi hostis à Zopyro milite abscissum attulisset, atq; ad pedes ejus abjecisset, confestim filium sceptro percussum abegisse, eumq; barbarum & scelere contaminatum appellasse: tum verò Demetrii patris & Antigoni avi, (quæ domestica habebat commutatæ fortunæ exempla) recordatus, chlamyde oculis admota, illacrumasse, corpusq; Pyrrhi

unà

unà cum capite honestè exornatum cremavisse, scribitur à Plutarcho in vita Pyrrhi: θεασάμενος δὲ γνοὺς ὁ Ἀντίγονος τὸν μὲν υἱὸν ἀπήλασε τῇ βακτηρίᾳ παίων καὶ καλῶν ἐναγῆ καὶ βάρβαρον. Αὐτὸς δὲ τὴν χλαμύδα προσθέμενος τοῖς ὄμμασιν ἐδάκρυσεν, Ἀντιγόνου τοῦ πάππου μνησθεὶς καὶ Δημητρίου πατρὸς, οἰκείων παραδειγμάτων εἰς τύχης μεταβολὴν. Τὴν μὲν οὖν κεφαλὴν καὶ τὸ σῶμα τοῦ πύῤῥου κοσμήσας ἔκαυσεν. Nec omittendus hic Pausanias Lacedæmoniorum Rex, qui cum victo & in prœlio occiso Mardonio Lampson è primoribus Æginetarum suaderet, ut hostis cadaver in crucem ageret, sicut ipse Leonidæ fecisset; ὦ ξεῖνε Αἰγινῆτα, inquit Pausanias, τὸ μὲν εὐνοεῖν τε καὶ προορᾶν, ἄγαμαι σεδ. γνώμης μὲν τοι ἡμάρτηκας χρηστῆς. ἐξάρας γὰρ μὲ ὑψοῦ καὶ τὴν πάτρην καὶ τὸ ἔργον, ἐς τὸ μηδὲν κατέβαλες, παραινέων νεκρῷ λυμαίνεσθαι. καὶ ἦν ταῦτα ποιέω, φὰς ἄμεινον με ἀκούσεσθαι, τὰ πρέπει μᾶλλον βαρβάροισι ποιέειν ἤπερ Ἕλλησι, κἀκείνοισι δὲ ἐπιφθονέομεν. Ἐγὼ δ' ὧν τούτου εἵνεκα μήτε Αἰγινήτῃσι ἄδοιμι μήτε τοῖσι ταῦτα ἀρέσκεται. ἀποχρᾷ δὲ μοι, Σπαρτιήτῃσι ἀρεσκόμενον, ὅσια μὲν ποιέειν, ὅσια δὲ καὶ λέγειν. hoc est. *Tuam, hospes Ægineta, benevolentiam atque providentiam amplector: tamen ab æquitate judicandi deeras. Nam & me & patriam tuam, quos in altum extulisti*

ob

ob hæc gesta ad nihilum redigis, quum suadeas mihi sævire in mortuum, aisq; me auditurum meliùs, si istud fecero, quod barbaros decet potius facere, quàm Græcos, quodq; in illis exprobamus. Quare ego neq; Æginetis, neq; iis, quibus ista probantur assentior, contentusq; sum Spartiatis placere, ut honestè agam honesteq; dicam. Herodotus in Calliope pag. 618.

Sed jam Romanorum quoque exempla advocabimus, quos ipsos etiam huic virtuti studuisse historici memoriæ prodiderunt. Ac recuperata urbe, quam Galli Senones possederant, ipsos ossa Gallorum coacervasse, & in media urbe condidisse, testatur ipse locus, qui *Busta Gallica* dictus fuit, apud Varronē lib. iv. de Lingua Latina. Hanc humanitatem L. Cornelius Consul Hannoni Carthaginensium Duci præstitit. Nam cum is pro Olbia oppido fortissimè dimicans occubuisset, *corpus ejus è tabernaculo suo amplo funere extulit, nec dubitavit hostis exsequias ipse celebrare, tum demum victoriam & apud homines minimum invidiæ habiturum credens, cum plurimum humanitatis habuisset*, ut ait Valer. Maximus. lib. v. cap. 1. Quid Cn. Pompejum referam? qui

missum

missum ad se Mithridatis cadaver à Pharnace non modò humandum, sed & regiis Sinopensium sepulchris sumptu etiam suo inferri jussit: quod Appianus his verbis memorat: Πομπήϊος δ' ἐς μὲν τὸ σῶμα τοῦ Μιθριδάτου χορηγίαν ἔδωκε, καὶ θάψαι βασιλείῳ τάφῳ τῆς θεραπευτῆσιν αὐτοῦ προσέταξε, καὶ ἐν Σινώπῃ τοῖς βασιλείοις ἐνθεῦθα τάφοις: ἀγάμενος αὐτὸν τῆς μεγαλουργίας. ὡς τῶν καθ' αὑτὸν βασιλέων ἄριστον. in Mithridaticis. & Dio lib. XXXVII. Nec Antonium præterire possum, qui hac eadem humanitate etiam in Archelai corpore ad regium modum funerando usus est. Plutarchus in ejus vita: οὐ διέλαθε δὲ τοῦτο πολλοὺς οὐδὲ ἡ πρὸς Αρχέλαον αὐτοῦ τεθνηκότα φιλανθρωπία. γεγονὼς γὰρ αὐτῷ σαυήθης καὶ ξένος ἐπολέμει μὲν ἀναγκαίως ζῶντι. τὸ δὲ σῶμα πεσόντος ἐξευρὼν καὶ κοσμήσας βασιλικῶς, ἐκήδευσεν. h. e. *Nec verò obscura ad vulgus humanitas ejus adversus Archelaum defunctum extitit. Nam quum familiaritas ei cum illo & jus hospitij intercessisset, bellum cum vivente gessit necessariò, corpus interfecti requisitum regio cultu funeravit.* Eodem animo idem erga Brutum hostem affectus fuit: cujus occisi *corpus liberto suo sepeliendum tradidit: quôq; honestius cremaretur, inijci ei suum paludamentum jussit,*

sit, jacentem non hostem, sed civem deposito æstimans odio. Cumq; interceptum à liberto paludamentum comperisset, ira percitus protinus in eum animadvertit, hac antè præfatione usus: Quid? tu ignorasti cujus tibi viri sepulturam commiserim? ut ait Valer Max. lib. v. cap. 1. Videndus & Plutarchus in ejus vita & Appianus Alexandrinus lib. iv. extremo. De M. Antonini Imp. Philosophi mansuetudine erga Cassium imperium affectantem simile quid narrat Jul. Capitolinus in ejus vita: *Cassius statim interfectus est: caput ejus allatum ad Antoninum. Marcus tamen non exultavit interfectione Cassij, caputq; ejus humari jussit.* Julianus quoq; Imperator post Argentoratensem pugnã *sollicitus, ne diræ volucres consumerent corpora peremptorum, sine discretione cunctos humari mandavit*, teste Ammiano Marcellino lib. xvii. Extat etiam insigne pietatis hujus exemplum in Cornelij Taciti Annalib. lib. 1. ubi sermo de clade Variana, quam perpessi Romani in Germania: *Romanus exercitus*, inquit, *sextum post cladis annum trium legionum ossa, nullo noscente aliena an suorum humo tegeret, omnes ut conjunctos, ut sanguineos*

aucta

aucta in hostem ira mœsti simul ac offensi condebant.

Nec verò Pœnos ab hac humanitate alienos fuisse legimus. Nam & Hasdrubal quantumvis infensissimus Romanorum hostis, nihilominus tamen Tribunos Romanos, qui in pugna occubuerant, rogatu Scipionis tumulavit, sive quod rem humanam & in bellis administrandis communem existimaret, sive Scipionis gloriam coleret, præclaramq; hominum de ipso existimationem vereretur: εἴτε τὸ ἔργον ἀνθρώπινον καὶ κοινὸν ἐν τοῖς πολέμοις, εἴτε τὴν Σκιπίωνος δόξαν ἤδη δεδιώς τε καὶ θεραπεύων, ut ait Appianus in Libycis. Eandem mansuetudinem Annibal quoq; Romano nomini præstitit, de qua audiamus Val: Maximum lib. v. cap. 11. *Annibal Æmilij Pauli apud Cannas trucidati quæsitum corpus, quantum in ipso fuit, inhumatum jacere passus non est. Annibal Tiber. Gracchum Lucanorũ circumventum insidijs cum summo honore sepulturæ mandavit & ossa ejus in patriam portandæ militibus nostris tradidit. Annibal M. Marcellum in agro Brutio, dum conatus Pœnorum cupidius, quàm consideratius speculatur, inter-*

emptum legitimo funere extulit, Punicoq; sagulo & corona donatum laurea, rogo imposuit. Vide & Livium libr. XXII. & libr. XXV. & Plutarchum in Marcello.

Cap. VI.

Sepultura honorem exhibitum etiam bestiis, puta Equis, Canibus, Corvis, Cornicibus, Anseribus, Gallo gallinaceo, Luscinia, Piscibus.

AT verò, si rem diligenter consideremus, quid causæ sit, cur hominibus, quantumvis hostibus, sepultura denegari debuerit, cùm inventi sint, qui etiam animalibus omni ratione destitutis eam præstiterint? Cujus rei testimonia plurima passim occurrunt, quorum nonnulla, ut laborem quærendi occupatis labor noster nonnihil minueret, capiti huic illinenda duxi.

Ordiar autem ab Equis, quos qui sepultura affecerint, inter eos facilè principem invenio Alexandrum Magnum, quem exquisitissimis exequiis equum suum Bucephalum honorasse, urbe insuper ejus nomini dicata, autores sunt Plutarchus in ejus vita, Diodorus Siculus lib. XVII.

Cur-

Curtius lib. v. Arrianus lib. v. Justinus lib. XII. Plinius libr. VI. cap. XX. & libr. VIII. cap. XLII. Agellius lib. v. Attic. Noct. cap. II.

Post hunc autem D. Augustum Imp. quem equo tumulum fecisse, de quo Germanici Cæsaris carmen est, memorat Plinius lib. VIII. cap. XLII.

Sequitur Adrianus Imp. qui Boristheni equo, quo plurimùm inter venandum usus fuerat, mortuo & monumentum ædificavit, & columnã erexit, inscripto epigrammate: sic enim Xiphilinus in ejus vitâ: Ἀποθανόντι γὰρ αὐτῷ καὶ τάφον κατεσκεύασε, καὶ στήλην ἔστησε καὶ ἐπιγράμματα ἐπέγραψεν. Et Ælius Spartianus in Adriano: *Equos sic amavit ut eis sepulturam constitueret.* Idem etiam factitavit Commodus Verus Imp. Adriani adoptivus filius, de quo Jul. Capitolinus: *Equo Prasino mortuo sepulcrum in Vaticano fecit.* Porrò Agrigentinam regionem equorum sepulcris frequentem fuisse, tradit Solinus cap. XLVII. Imò complurium Equorum tumulos ibi Pyramides habuisse testis est Plinius libr. VIII. cap. XXII. Extat etiam Ausonii Poëtæ carmen in Bosphorum equum:

Hunc titulum vani solatia sume sepulcri,
Et gradere Elysios.

Pertinent huc inscriptiones equorum, videlicet Abigei, Cotyni, Galatæ, Parati: quæ extant in Thesauro Smetiano pag. 47.

Apud Græcos verò etiam EQUAS, quæ ter ad Olympiam curuli certamine victoriam erant adeptæ, si non publico suffragio, privato tamen præstantissimorum Ducum studio in Ceramico Athenis terrâ fuisse conditas, narrat Ælianus libr. XII. de Animalibus cap. XL. ubi de Miltiadis & Evagoræ equabus sic scribit: Μιλτιάδης δὲ τὰς ἵππους τὰς τρὶς Ὀλύμπια ἀνελομένας ἔθαψεν ἐν Κεραμεικῷ. Καὶ Ευαγόρας δὲ ὁ Λάκων καὶ ἐκεῖνος Ὀλυμπιονίκας ἵππους ἔθαψε μεγαλοπρεπῶς. *Miltiades tres equas Olympiæ victrices sepulturæ honore in Ceramico affecit. Evagoras Lacon itidem Olympionicas Equos magnificè sepelivit.* De Cimonis equabus idem tradit Plutarchus in Catone Censorio: Τῶν δὲ Κίμωνος ἵππων, αἷς ὀλύμπια τρὶς ἐνίκησεν καὶ ταφαὶ πλησίον εἰσι τῶν ἐκείνου μνημάτων.

Referri huc debet MULA, cui à Pub. Crasso monumentum positum cum Inscriptione, quæ hodieq; Romæ visitur. Ea verò talis:

DIS.

DIS. PEDIBUS. SAXUM.
CHIUCHIÆ. DORSIFERÆ. ET. CLUNIFERÆ AC PESSUETÆ. ET. MANSUETÆ. CUIUS. UT. INSULTURA. DESULTURÆ. COMMODETUR. PUB. CRASSUS. MULÆ. SUÆ. CRASSÆ. BENE. FERENTI. SUPPEDANEUM. HOC. CUM. RISU. POS.
VIXIT. ANN. III. MENS. XV. DI. ET. NOCT. II.

Quid jam CANES memorem? de quorum sepultura elegans locus est Pollucis libro v. cap. v. περὶ κυνῶν καὶ τῶν κατ' αὐτὰς; ubi inter alia de Cane Gargittio: Καὶ ἔχει μνῆμα ἐν Ιβηρίᾳ. Xantippi canem sepultum & locum istum Κυνοσσῆμα appellatum, memorat Plutarchus in Themistocle & in Catone Censorio. Affecit etiam canes hoc honore ipse Imp. Adrianus, teste Spartiano: *Equos & canes sic amavit, ut eis sepulcra constitueret.* De Poliarcho quodam idem tradit Ælianus lib. VIII. Var. histor. cap. IV. cujus verba modicò post adscribemus. Theophrastus hoc factum inter τῆς μικρολογίας notas refert: Καὶ κυναρίου δὲ τελευτήσαντος, αὐτῷ μνῆμα ποιῆσαι, καὶ στηλίδιον ποιήσας, ἐπι-

ἐπιγράψαι: Κλάδος Μελιταῖος. *Quumq; illi parvulus aliquis canis fuerit mortuus, monumentum ei faciet, adscriptis etiam in columella his verbis: Soboles Melitensis.*

Ad Avium sepulturam me confero, inter quas hunc honorem CORVIS & CORNICIBUS tributum observavi. Statius lib. II. Sylvar. in Epicedio Pileti:

—— gemit inter bella peremptum
Parthus equum, fidosq; canes flevére Molossi:
Et volucres habuere rogos, corvusq; Maronis.

Corvum aliquando præcedente tibicine & coronis exornatum ac Æthiopum humeris esse elatum asserit Plinius libr. X. cap. XLIII. De Cornicis, quæ sic edocta, ut literas quaqua versus, indicio tantum loci facto, præpete volatu deferret, sepulcro à Marrhe Ægypti Rege exstructo Ælianus lib. VI. Animal. c. VII. in hæc verba scribit. Ἐν τῇ Αἰγύπτῳ περὶ τὴν λίμνην τὴν καλουμένην Μύριδος, ὅπου κροκοδείλων πόλις, κορώνης τάφος δείκνυται. Καὶ τὴν αἰτίαν ἐκείνην Αἰγύπτιοι φασὶ. Τῷ βασιλεῖ τῷ τῶν Αἰγυπτίων, Μάῤῥης δ' οὗτος ἐκαλεῖτο, ἦν κορώνης θρέμμα πανήμερον: καὶ τῶν ἐπιστολῶν, ἃς ἐβούλετο οἱ κομισθῆναί ποι, θᾶττον ἐκόμισεν αὕτη, καὶ ἦν ἀγγέλων ὠκίστη. Καὶ ἀκούσασα, ᾔδει ἔνθα ὀθύναι δεῖ τὸ πτερὸν, καὶ τίνα χρὴ παραδραμεῖν χῶρον, καὶ ὅπου ἥκουσαν ἀναπαύσασθαι. Ἀνθ' ὧν ἀποθανοῦσαν ὁ

Μάῤῥης

Μάῤῥης ἐτίμησεν αὐτὴν καὶ στήλῃ καὶ τάφῳ. hoc est. *Ad nuncupatum lacum Myridis, ubi Crocodilorum oppidum est, Cornicis sepulcrum ostenditur: cujus causam Ægyptij eam afferunt; quod eorum Rex, Marrhes nomine, cornicem valdè cicurem habuerit: quæ postquam audisset, quo perferenda esset Epistola, mox quò volatus dirigendus & quænam regio transeunda & ubi terrarum requiescendum esset, cognoverit, eoq; Regis literas ocyus, quàm quivis nuncius, perferre solita sit. Eam mortuam & sepulcri honore & cippi à Rege affectam ajunt.* Vide Suidam.

De ANSERE, quem Lacydes Philosophus effusis lacrymis elatum sepeliverit, Ælianus lib. VII. Anal. cap. XLI. sic loquitur. Λακίδῃ τῷ περιπατητικῷ κτήμα ἦν χηνός τι χρῆμα θαυμάσιον. ἐφίλει γοῦν τὸν τροφέα ἰσχυρῶς, καὶ βαδίζοντι μὲν συνεβάδιζε, καθημένου δὲ ἀνεπαύετο, οὐκ ἀπελείπετο δὲ αὐτοῦ ἐν βραχεῖ. Ὅνπερ καὶ ἀποθανόντα ὁ Λακίδης ἔθαψε καὶ πάνυ φιλοτίμως. ὡσπεροῦν ἢ υἱὸν ἢ ἀδελφὸν ἐκεῖνος θάπτων. *Lacidem Peripataticum altorem suum Anser tantopere amavit, ut & cum ipso simul ambularet, & cum ille sederet, hic quoq; ab ambulando quiesceret, nec ipsum unquam relinqueret. Eum igitur Lacidas mortuum non mi-*

nùs ambitiosè quàm aut filium aut fratrem sepulturæ honore affecit.

Sic GALLOS publicè extulisse Poliarchus scribitur ab Æliano libr. VIII. Var. cap. IV. cujus verba superiùs promissa hæc sunt: Πολίαρχον, φασι, τὴν Αθηναῖον εἰς τοσοῦτον προελθεῖν τρυφῆς, ὥς τε καὶ κύνας καὶ ἀλεκτρύονας, ἐκείνους οἷς ἔχαιρεν, ἐκκομίζειν ἀποθανόντας δημοσίᾳ. καὶ ἐπὶ τὴν ἐκφορὰν αὐτῶν παρεκάλει σοῦ φίλους, καὶ ἔθαπτεν αὐσοῦ πολυτελῶς, καὶ ἐπιστήματα αὐτοῖς ἀναστήσας, ἐπιγράμματα κατ' αὐτῶν ἐνεκόλαπτεν. h. e. *Poliarchum ferunt ad eam mollitiem pervenisse, ut canes etiam & gallos, si quibus delectatus fuisset, mortuos efferret publicè, & amicos suos convocaret ad funus, splendideq; eos sepeliret, atq; erigeret in illorum monumentis columnas, quibus epitaphia eorum insculperet.*

Penè præterieram LUSCINIÆ tumulum, de quo Martialis lib. VII. Epig. LXXXVI. sic canit:

Lusciniæ tumulum si Telesina dedit.

Deniq; inter PISCES, qui sepultura sint affecti, MURENAM reperio, quam Crassus non solùm atratus luxit, sed etiam terra condidit, si fides habenda vulgi sermonibus, quos refert Ælianus libr. VIII. Animal. cap. IV. Ταύτην [μύραιναν] καὶ ἔκλαυσεν ὁ Κρασ-

ὁ Κρασσος, ὡς ἀκούω, τὴν βίον καταστρέψασαν καὶ ἔθαψε. Καὶ ποτε Δομετίου πρὸς αὐτὸν εἰπόντος· ὦ μωρὲ, μύραιναν ἔκλαυσας τεθνεῶσαν· ὁ δὲ ὑπολαβὼν· Ἐγω θηρίον, ἔφατο· σὺ δὲ τρεῖς γυναῖκας θάψας οὐκ ἔκλαυσας. *Hanc ille mortuam flevit atq; ut audio, honore sepulturæ affecit. Et cum aliquando Domitius in hunc dixisset: Stulte Crasse, Murænam flevisti mortuam: Ad hæc respondens Crassus; Equidem,* inquit, *ob bestiæ mortem flevi; tu verò ne quidem ob tres uxores, quas terræ mandasti.* Eadem tradit Plutarchus Libello De Capienda ex hostibus utilitate. p. 89. Sed & Delphinum illum, qui pueri, quem amaverat, mortui desiderio tabuit & examimatus fuit, ab ijs, qui rem cognoverant, in sui pueri sepulchro humatum esse, ex Appione refert Agellius libro VII. Noct. Attic. cap. IIX.

De ritu Ægyptiorum, qui boves, feles, canes, ursos, lupos & alias bestias sepeliebant, vide Herodotum lib. II.

CAP. VII.

Sepultura quibus denegata, ac primò de Hostibus patriæ & qui sub horum appellatione comprehendebantur. Romanorum severitas in Impp. Tyrannos, Atheniensium in Sacrilegos & Proditores. Alio crimine damnatis sepultura con-

ra concessa à Magistratibus æquioribus, ab iniquioribus denegata; quod etiam Christianis olim contigit.

SEd nunc de illis etiam aliquid dicemus, quibus ipsæ Leges sepulturam denegarunt. Horum tria potissimum genera reperio: Hostes patriæ, Suspendiosos & Αὐτόχειρας; quos ipsos olim lugeri non fuisse solitos, docet nos Neratius Jurisconsultus in L. Liberorum. D. De ijs qui not. infamia: *Non solent*, inquit ille, *lugeri hostes vel perduellionis damnati, nec suspendiosi, nec qui sibi manus intulerunt, non tædio vitæ, sed malâ conscientia:* Nam ut rectè Ælianus ait lib. IV. Var. Histor. cap. VII. οὐκ ἦν ἄρα τοῖς κακοῖς οὐδὲ τὸ ἀποθανεῖν κέρδος, ἐπεὶ μηδὲ τότε ἀναπαύονται: ἀλλ' ἢ παντελῶς ἀμοιροῦσι ταφῆς, ἢ καὶ ἐὰν φθάσωσι ταφέντες, ὁμῶς καὶ ἐκ τῆς τελευταίας τιμῆς καὶ τοῦ κοινοῦ πάντων σωμάτων ὅρμου καὶ ἐκεῖθεν ἐκπίπτωσι. hoc est. *Ne in morte quidem scelerosis hominibus aliquid lucri propositum est, quoniam neq; tunc possunt quiescere. Sed aut prorsus destituuntur, aut quamvis sepeliantur, tamen supremum honorem & communem omnium corporum portum amittunt.*

Hostes patriæ appello perduellionis & læsæ majestatis reos, pacis publicæ perturba-

turbatores, proscriptos & quicquid est hujus farinæ, quorum pœnæ ad exemplum aliorum pertinebant. Hos sepultura olim prohibitos, clarum est exemplo Gracchorum, de quibus Valerius Max. lib. VI. cap. III. *Viguit in nostra civitate Tiberij & Caij Gracchorum summa nobilitas ac spes amplissima. Sed quia statum civitatis conati erant convellere, insepulta cadavera jacuerunt, supremusque humanæ conditionis honos filijs Gracchi & nepotibus Africani defuit.* Nec non militum illorum, *qui Rhegium injusto bello occupaverant, mortuoq; duce Jubellio M. Cæsium scribam ejus sua sponte Imperatorem delegerant:* quos omnes *Senatus Romanus carceri inclusit, quinquagenos per singulos dies virgis cæsos, securi percuti jussit, eorumq; corpora sepulturæ mandari, mortemq; lugeri vetuit*, teste Valer. Maximo lib. II. cap. VII. Hinc Cloantillæ tanquam crimen objectum, quòd *virum, qui inter rebellantes fuerat, sepelivisset*, refert Quintilianus lib. IIX. cap. V. Et ex hoc jure T. Fl. Vespasianus adhuc Prætor *pœnæ conjuratorum addendum censuit, ut insepulti proijcerentur.* teste Suetonio in ejus vita cap. II. Qui tamen locus

cus non obscurè indicat, sepulturam interdum conjuratis fuisse concessam: quod testatur exemplum Lentuli & Catilinariæ conjurationis consciorum, quos quidem jussu Ciceronis in carcere securi percussos, at sepultura non esse prohibitos, disertè scribit Plutarchus in Antonio: οὐδεὶς, inquit, εἴρχθη ταφῆς τῶν τότε κολασθέντων ὑπὸ Κικέρωνος. Nisi fortè id ideo factum, quòd de indemnatis deq; inauditis, licet sontibus, extra ordinem sumptum fuit supplicium. Nam aliàs majestatis vel perduellionis rei post ultimum supplicium in Gemonias scalas abjici & unco in Tiberim pertrahi solebant: quod M. Clodio, circa annum Urbis IOXVII. accidisse testatur Valerius Max. lib VI. cap. III. *M. Clodium Senatus Corsis, quia turpem cum his pacem fecerat, dedidit: Quem ad hostibus non acceptum, in publica custodia necari jussit. Semel læsa majestate imperij, quot modis ira pertinax vindex: factum ejus rescidit, libertatem ademit, spiritum extinxit, corpus contumelia carceris & detestanda Gemoniarum scalarum nota defœdavit.* Eadem pœna circa annum ab V. C. 648. affectus & Qu. Cœpio, qui etsi quidem præturæ

turæ ſplendore, triumphi claritate, conſulatus decore, maximi pontificatus ſacerdotio, ut Senatus patronꝰ diceretur, aſſecutus erat: tamen cũ ejus culpa exercitus Romanus à Cimbris & Teutonibus deletus videretur, *in publicis vinculis ſpiritũ depoſuit, corpusq́ ejus funeſti carnificis manibus laceratum, in ſcalis Gemoniis jacens, magno cum horrore totius fori Romani conſpectum eſt*, teſte eodẽ Valerio Max. lib. VI. cap. IX. De Seiano ejusq́; familiaribus in Gemonias abjectis uncoq; tractis, vide Sueton. in Tiberio cap. LXI. & Dionem lib. LVIII.

Nec immunes fuêre ab hac pœna ipſi Imperatores, ſi in tyrannos degeneraſſent: id quod non obſcurê indicat Antonius in oratione, quam habuit in Senatu pro actis Cæſaris, apud Appian. Alexandrinum lib. II. de Bellis Civilibus pag. 509. Δόξαντος δ' ἐπὶ βίᾳ τυραννῆσαι, τὸ τε σῶμα ἄταφον τῆς πατρίδος ὑπερορίζεται. hoc eſt. *quod ſi ut tyrannus damnabitur, cadaver inſepultum extra patriam exterminabitur.* Et paulò pòſt in alia oratione pag. 512. τὸ δὲ σῶμα τοῦ Καίσαρος συρόμενον καὶ αἰκιζόμενον καὶ ἄταφον ῥιπτόμενον, (καὶ γὰρ ταῦτα ἐκ τῶν νόμων τοῖς τυράννοις ἐπιτέτακται) περιόψεσ-

ρίοψεσθαι νομίζετε τοῦ ἐστρατευμένους αὐτῷ. hoc est. *Putatis neglectim spectaturos lacerum Cæsaris corpus trahi unco (sic enim legibus in tyrannos animadvertitur) in Tiberim? quasi id nihil ad se quondam ejus milites pertineret.* Tale quid minitabatur populus Tiberio Imp. teste Suetonio in ejus vita cap. LXXV. Et Vitellium Imp. post varia ludibria, quibus affectus fuit, *tandem apud Gemonias minutissimis ictibus excarnificatum atq; confectum, & inde unco tractum in Tiberim*, tradit Suetonius. cap. XVII. Quod judicium Senatus fuerit de Commodo Imp. unco trahendo Lampridius, & de Maximino eadem pœna afficiendo Jul. Capitolinus videndus est. Heliogabalus præter hæc etiam in cloacam missus est, testibus Sex. Aurelio Victore & Lampridio, cujus hæc sunt verba: *Solus omnium Principum & tractus est & in cloacam missus & in Tyberim præcipitatus: Quod odio communi omnium contigit, à quo speciatim cavere debent Imperatores: siquidem nec sepulchra mereantur, qui amorem Senatus, Populi ac militum non merentur.* Sic Alexandri primi Pheræorum tyranni, ab uxore sua Thebe sublati,

cada-

cadaver cum contumelia à Pheræis projectum conculcatumq; narrat Plutarchus in Pelopida: Τῷ μὲν τάχει τῆς τελευτῆς, πρότερον ἴσως ἢ προσῆκον ἦν ἀποθανόντα· τῷ δὲ μόνῳ, πρῶτον τύραννον ὑπὸ γυναικὸς ἰδίας ἀπολέσθαι, καὶ τῇ μετὰ θάνατον αἰκίᾳ τοῦ σώματος, ῥιφέντος καὶ πατηθέντος ὑπὸ τῶν Φεραίων, ἄξια πεπονθέναι δόξαντα τῶν παρανομημάτων. hoc est. *Ac mortis quidem celeritate citius fortassè, quàm oportuit, defunctus est: Uno verò hoc, quòd primus omnium tyrannorum à propria sit uxore sublatus, & post obitum cadaver cum contumelia projectum à Pheræis conculcatumq;, dignum facinoribus suis exitum visus est invenisse.*

Eadem severitate Athenienses etiam in Proditores & Sacrilegos usi sunt, quos nefas fuisse in terra Attica sepeliri, discimus ex Xenoph. libr. 1. ἑλληνικῶν, ubi Euryptolemus in oratione pro Ducibus, qui in pugna ad Arginusas naufragorũ rationem non habuerant, sic loquitur: Τοῦτο δ' εἰ βούλεται κατὰ τοῦτον τὸν νόμον κρίνατε, ὅς ἐστιν ἐπὶ τοῖς ἱεροσύλοις καὶ προδόταις, ἐάν τις ἢ τὴν πόλιν προδιδῷ, ἢ τὰ ἱερὰ κλέπτῃ, κριθέντα ἐν δικαστηρίῳ, ἂν καταγνωσθῇ, μὴ ταφῆναι ἐν τῇ Ἀττικῇ, τὰ δὲ χρήματα αὐτοῦ δημόσια εἶναι. h. e. *Si id vultis, eadem illos lege judicate, quæ contra sacrilegos & proditores*

lata

lata est, qua nimirum ij, qui civitatem prodere, vel sacra clepsisse judicari solent in foro, & si convincantur, non sepeliuntur in Attica & illorum bona publicantur. Atque hæc est causa, cur Themistoclis Magnesiæ mortui ossa clam ab amicis in terra Attica sepulta sint, quoniam legibus non concedebatur, quod proditionis esset damnatur, teste Thucydide libro 1. & Æmilio Probo in ejus vita. Idem accidisse Antiphonti & Hyperidi tradit Plutarchus in vita Decem Rhetorum. De Phocione proditionis damnato idem narrat Plutarchus: Ἔδοξε δὲ τὸ σῶμα Φωκίωνος ἐξοίσαι, καὶ μηδὲ πῦρ ἐναῦσαι μηδένα πρὸς τῶν τὰ φίλα Ἀθηναίων. Διὸ φίλος μὲν οὐδεὶς ἐπήψησεν ἅψασθαι τοῦ σώματος, hoc est, *visum est, ut etiam corpus Phocionis extra fines proijceretur, ac ne quis Atheniensis rogum funeri incenderet. Quamobrem nemo amicorum corpus fuit ausus attingere.* Vide Æmil. Probum. Imò si quis post mortem aut sepulturam primùm proditionis damnatus fuerat, ejus ossa erui & extra Atticam transferri solita, clarum est ex oratione Lycurgi contra Leocratem, ubi disertissimus autor de Phrynicho proditio-

ditionis post exsequias damnato in hæc verba scribit: Καὶ ψηφίζεσθαι ὁ δῆμος κεῖσθαι εἶπεν τὸν μὲν νεκρὸν κεῖνον προδοσίας, κἂν δόξῃ προδότης ὤν, ἐν τῇ χώρᾳ μὴ τεθάφθαι, τάφῳ ὅσῳ αὖθις ἀνορύξαι καὶ ἐξορίσαι ἔξω τῆς Ἀττικῆς. Causam verò, cur proditores Athenis non sepelirentur, Dio Chrysostomus in Ῥοδιακῷ hanc esse ait, ne quod scelerati & nefarij hominis indicium posteritati relinqueretur: Καθάπερ οἶμαι, inquit, τὸ μὴ θαπτεσθαι τοὺς προδότας, ὅπως μηδὲν ᾖ σημεῖον εὐτυχίας ἀνδρὸς πονηροῦ.

Lacedæmonios quoque eandem pœnam statuisse in Pausaniam, amicitiæ cum Persis clanculum initæ atq; adeo proditionis Peloponensium manifestum, memoriæ prodidit Ælianus lib. IV. Var. hist. cap. VII. Λακεδαιμόνιοι γὰρ Παυσανίαν Μηδίσαι μόνον λιμῷ ἀπέκτειναν, ἀλλὰ καὶ τὸν νεκρὸν ἐξέβαλον αὖθις ἐκτὸς τῶν ὅρων, φησὶν Ἐπιτιμήδης. hoc est. *Lacedæmonij Pausaniam cum ad Medorum partes animum deflexisset non solùm fame ad mortem adegerunt: sed insuper etiam cadaver ipsius extra terminos ejecerunt, ut refert Epitimedes.* Quanquam Diodorus Siculus libro II. Bibliothecæ ait, ipsum cognatis esse concessum, ut terra obrueretur: τὸ μὲν σῶμα, inquit ille, τοῦ πένητος συνεχωρήθη τοῖς

προσήκουσι καταχῶσαι. Quod ipsum etiam, ut tunc erant mores, ignominiosum fuit habitum: nec enim terra condebant, sed igne consumebant corpora mortuorum. Arcades etiam Aristocratem proditorem lapidibus obrutum extra fines suos insepultum abjecisse, tradit Pausanias in Messenicis: Τὸν δὲ Ἀριστοκράτην οἱ Ἀρκάδες καταλιθώσαντες, τὴν μὲν τῶν ὅρων ἐκτὸν ἐκβάλλουσιν ἄταφον.

In hujusmodi igitur sceleratos tali modo fuit animadversum: Qui verò alio crimine se adstrinxerant, eorum corpora propinqui à magistratibus æquioribus ad sepulturam non difficulter impetrabant. Ulpianus D. De Cadaveribus punitorum: *Corpora eorum, qui capite damnantur, cognatis ipsorum neganda non sunt. Et id se observasse etiam D. Augustus lib. X. de vita sua scribit. Hodie autem eorum, in quos animadvertitur, corpora non aliter sepeliuntur, quàm si fuerit petitum & permissum.* Et post tria, quatuor verba: *Eorum quoq; qui exurendi damnantur, peti possunt, scilicet ut ossa & cineres collecta sepulturæ tradi possint.* Quod autem Augustum Imp. de se scripsisse ait Ulpianus, id aliter de ipso narrat Suetonius

cap.

cap. XIII. *Nec successum victoriæ* (Philippēsis) *moderatus est, sed capite Bruti Romam misso, vt statuæ Cæsaris submitteretur, in splendissimum quemq; captivum non sine verborum contumelia sævijt: vt quidem simpliciter uni sepulturam precanti respondisse dicatur, jam istam in volucrum potestatem fore.* Sed sæpe fit ut iræ vehementia nobis duriora quædam verba extorqueat, quæ tamen non statim res ipsa consequitur.

Nec verò cognatis solùm *corpora animadversorum*, sed & *quibuslibet petentibus ad sepulturam danda esse* monet Paulus lib. I. Sententiar. Quo pertinet humanissimum illud Diocletiani & Maximiani Impp. Rescriptum, quod extat in L. XI. C. De Religiosis: *Obnoxios criminum digno supplicio subjectos sepulturæ tradi non vetamus.* Ex quo ritu Postumius Junior Declamat. VI. *Dicendum est, quod hoc ipso admoneor exemplo, in honorem pietatis etiam damnati sepeliuntur.* Sed & in Concilio Moguntiensi definitum, ut Cadavera punitorum post peractam Deo confessionem telluri mandarentur: *Si de omnibus peccatis suis*, inquit Concilium, *puram confessionem agentibus*

& dignè pœnitentibus communio in fine secundum Canonicum jussum danda est, cur non eis, qui pro peccatis suis pœnam extremam persolvunt? Scriptum est; Non vindicat Deus bis inidipsum. Vide Decreti causam XIII. quæst. II. cap. XXX.

Dixi autem superiùs, *à magistratibus æquioribus*, capitis damnatos ad sepulturam facilè impetrari solitos. Nam quibus animus erat crudelior, ij sine ulla scelerum distinctione omnes animadversos sepultura arcebant. Ob quam rem inhumanitatis accusant Locrenses Plemnium Scipionis legatum, qui tribunos militum *laceratos omnibus, quæ pati corpus ullum potest, suppliciis interfecit, nec sauciatus vivorum pœna, insepultos projecit*, ut ait Livius lib. XXX. Et Cicero sepeliendorum liberorum potestatem pretio à parentibus redemptam Verri in Sicilia Prætori exprobrat his verbis in Verrina V. *Nam illorum liberi cum erunt securi percussi ac necati, corpora feris obijcientur. hoc si luctuosum est parentibus, redimant pretio sepeliendi potestatem. Onasum Segestanum hominem nobilem dicere audistis, se ob sepulturam Heraclij*

Nauar-

Nauarchi pecuniam Timarchidi numerasse. Ideo etiam quasi novum in Tiberij sævitia notat Suetonius cap. LXI. *Interdictum ne capite damnatos propinqui lugerent*. Et de eodem Tacitus in Annalibus: *Damnati publicatis bonis sepultura prohibebantur*. Atq; hanc crudelitatem Christiani antiquitus crebro experiebantur, quos corpora martyrum nullis precibus impetrare potuisse ad sepulturam legimus. Lugdunensium & Viennensium martyrum corpora sub Vero Imp. cum sex dies sub diu jacuissent, diligentissimè observata, ne à fidelibus surriperentur, neq; precibus, neq; magna pecuniæ vi obtineri possent, tandem *ab impijs illis & facinorosis carnificibus exusta in cineres redacta, in Rhodanum fluvium, qui illic in proxima defluit, spargebantur, quo nullæ quidem illorum reliquiæ super terram amplius extarent*. teste Eusebio lib. v. cap. 1. Quod cum ægerrimè ferrent Christiani reliqui, martyrum corpora feris avibusq; objecta, si quando minùs accuratè custodirentur, etiã capitis periculo noctu solebant surripere, ut annotavit Marcus Velserus Commẽtario ad passionẽ S. Afræ & sociarũ.

Cap. IX.

Sepulturâ prohibiti Suspendiosi & Αὐτόχειρες. Suspendiosi qui? Tadio vitæ se interficientibus sepultura concessa, non illis, qui mala conscientia. Αὐτοχειρία *omnis damnata à Christianis.*

HActenus de primo: sequitur alterum genus eorum, qui legibus à sepulturæ honore excludebantur. Eos Neratius dicto loco *Suspendiosos* vocat, hoc est, ut Petrus Faber in Semestribus interpretatur, cruciarios vel in patibulo suspensos vel cruci affixos. Nam qui hoc supplicio afficiebantur, illos tabo diffluere & à Sole ac pluvia corrumpi sinebant, ut docuit Lipsius lib. II. de Cruce cap. XV. Imò hoc fine custodes à magistratu additi, qui viderent, ne cadavera ad sepulturam detraherentur. Clarum id ex Petronii Satyrico, ubi lepidissimus auctor sic ait: *proxima ergò nocte cum miles, qui cruces asservabat, ne quis ad sepulturam corpora detraheret.* Et aliquantò pòst: *Ut postero die vidit unam sine cadavere crucem, veritus supplicium, mulieri quid accidisset, exponit: nec se expectaturum judicis sententiam, sed gladio jus dicturum ignaviæ suæ:* Hinc igitur videre est, ex indulgentia potiùs

potiùs & clementia quadam præsidis Pilati, quàm ex veteri Romanorum more corpus Servatoris nostri in cruce suspensi Josepho Arimathæo & Nicodemo ad sepulturam esse concessum, ut est apud SS. Evangelistas. Nisi fortè præses Romanus satisfacere voluit Judæorum juri, quod extat Deuteronomij cap. XXI. *Quando peccaverit homo, quod morte plectendum est, & adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo: non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur.* Nostris verò moribus etiam in exemplum relinquuntur cadavera suspensorum ac rotæ supplicio affectorum: contra quos mores Petrus Ravennas JCtus ut improbatos invehitur in fine Compendii Juris Canon. & in Dictis Notabil. Extravag. in princip.: Quem duobus libris confutat Hochstraten Provincial Monachor. Prædicator in Justificatorio Principum Aleman. ut notat Georgius Erhardus in Symbolis Annotationum ad Petron. Arbitrum.

Tertij generis sunt Αὐθέντες, h. e. qui ipsi sibi manus violentas intulerunt. Hos apud antiquissimos Græcos non crematos,

qui tunc mos erat, ſed terra obrutos, ſuprà lib. I. cap. III. oſtendimus. Ignominia certè affectos ſcribit Ariſtoteles lib. V. Ethic. extremo: ὁ δὲ δι' ὀργὴν ἑαυτὸν σφάττων, ἑκὼν ἔστι δρᾷ παρὰ τὸν ὀρθὸν νόμον, ὃ οὐκ ἐᾷ ὁ νόμος. Et mox: διὸ καὶ ἡ πόλις ζημιοῖ, καὶ τις ἀτιμία πρόσεστι τῷ ἑαυτὸν διαφθείροντι, ὡς τὴν πόλιν ἀδικοῦντι. id eſt. *Qui per iram ſeipſum jugulat, lubens contra rectam legem id agit, quod lex non permittit.* Et mox: *Vnde etiam ipſum civitas mulctat, eiq; ignominia quædam irrogatur, qui ſeipſum necavit, quaſi civitatem injuria affecerit.* Romani verò hujuſmodi αὐτόχειρας, & potiſſimum eos, qui ex ſe literam longam, ut Plautus ait, feciſſent, collum ſuum laqueo obſtringentes, primis illius Reipub. temporibus, ſepultura omnino prohibuerunt: Servius ad illud Virgilii libro XII. Æneid. Et nodum informis lethi trabe nectit ab alta: *Sanè ſciendum*, inquit, *quod cautum fuerit in Pontificalibus libris, ut qui laqueo vitam finiſſet, inſepultus abijceretur: unde benè ait*, Informis lethi, *quaſi mortis infamiſſimæ.* Origo hujus ritus à Tarquinio Priſco, qui αὐτοφονευτὰς non ſolùm inſepultos abijci; ſed & corpora eorum cruci affigi juſſit.

Sic

Sic enim Plinius libr. XXXVI. cap. XV. ubi de cloacis ab ipso primùm structis: *Cum id opus Tarquinius Priscus plebis manibus faceret, esset q; labor incertum longior an periculosior, passim conscita nece, Quiritibus tædium fugientibus, novum & inexcogitatũ antea posteaq; remedium invenit ille Rex, ut omniũ ita defunctorum figeret crucibus corpora, spectãda civibus simul & feris volucribusq; devoranda.* Eadẽ tradit Servius, nisi quod id Tarquinio Superbo adscribit. Sic enim pergit dicto loco: *Cassius Emina ait Tarquinium Superbum cum cloacas populum facere coegisset, & ob hãc injuriam multi se suspendio necarent, jussisse corpora eorum cruci affigi. Tunc primum turpe habitum est mortem sibi consciscere.* Verè autem Plinius id remedium neque antea neq; postea usurpatum scribit. Nam eos qui suspendio se necassent, funeratos fuisse testatur exemplum D. Silani, qui cum à patre M. Manlio Torquato abdicatus esset, etsi tam tristi patris sententia perculsus lucem ulteriùs intueri non sustinuit, suspendioq; se proxima nocte consumsit, funus tamen ipsi ductum esse scribit Valer. Maximus lib. V. cap. IIX. Mitigata enim fuit

hæc pœna & restricta ad eos, qui facinoris alicujus sibi conscii è medio se sustulissent. Nam aliàs qui mortis accersitæ justam causam habuisset, ille gloriosè & honestè obijsse putabatur: Erat autem justa causa accersendæ mortis tædium vitæ, quod tam ex secunda quàm adversa fortuna oriri potest. Utriusq; meminit Strabo lib. xv. ubi cum enumerasset dona à Poro Indorum Rege per Legatos Augusto Cæsari missa, subjũgit: Συνῆν δε, ὡς φασὶ, καὶ ὁ Ἀθήνησι κατακαύσας ἑαυτὸν, ποιεῖν δὲ τοῦτο τοὺς μὲν ἐπὶ κακοπραγίᾳ ζητοῦντας ἀπαλλαγὴν τῶν παρόντων, τοὺς δὲ ἐπ' εὐπραγίᾳ καθάπερ τοῦτον. Ἅπαντα γὰρ κατὰ γνώμην πράξαντα μέχρι νῦν, ἀπιέναι δεῖν, μήτι τῶν ἀβουλήτων χρονίζοντι συμπέσῃ. Καὶ δὴ καὶ γελῶντα ἅλλεσθαι γυμνὸν ἐπαληλειμμένον ἐν περιζώματι ἐπὶ τὴν πυρὰν. h. e. *Aderat etiam ille, ut ajunt, qui se Athenis concremavit. quod alij in rebus adversis facere dicuntur, ut præsentia mala effugiant; alij in rebus secundis, quemadmodum hic. Nam cum omnia ex sententia adhuc successissent, abeundum sibi è vita censuisse, ne quid adversi accideret immoranti. Adeoq; ridentem eum & nudum & unctum in regum isse.* Apud Massilienses quoq; obutramq; causam sine infamia quis mortem

acce-

accelerare potuit, si eam Senatui probasset. Valerius Max. libr. II. VI. *Venenum cicuta temperatum in ea civitate publicè custoditur, quod datur ei, qui causas Sexcentis (id enim Senatus ejus nomen est) exhibuit, propter quas mors sit illi expetenda. Cognitione virili benevolentia temperata, quæ nec egredi vita temerè patitur, & sapienter excedere cupienti celerem fati viam præbet: ut vel adversa, vel prospera nimis usis fortuna (utraq; enim finiendi spiritus, illa ne perseveret, hæc ne destituat, rationē præbet) comprobato exitu terminetur.* Quam consuetudinem etiam in Ceo Græciæ insula observari testatur idem Valerius d. l. Et Strabo libr. x. citat versus Menandri hunc ritum prædicantes: Παρὰ τούτοις δὲ δοκεῖ τεθῆναί ποτε νόμος, οὗ μέμνηται καὶ Μένανδρος:

Καλὸν τὸ Κείων νόμιμον ἐστι Φανίαν,
Ὁ μὴ δυνάμενος ζῆν καλῶς, οὐ ζῇ κακῶς.

προσέταττε γὰρ, ὡς ἔοικεν ὁ νόμος, οὗτ' ὑπὲρ ἑξήκοντα ἔτη γεγενότας κωνειάζεσθαι οὗ διαρκεῖν τοῖς ἄλλοις τὴν τροφήν. h. e. *Apud hos videtur lex fuisse posita, cujus Menander etiam meminit:*

Cejensium hoc bonum institutum est Phania,
Qui non potest vivere bene, non moritur malè.

Mandato enim, ut apparet, legis qui sexaginta annos excessissent, cicutam bibebant, ut reliquis

victus

victus sufficeret. Meminit & Heraclides Ponticus De Politiis: οὐ περιμένουσι γηραιοὶ τελευτὴν, ἀλλὰ πρὶν ἀσθενῆσαι ἢ πηρωθῆναί τι, οἱ μὲν μήκωνι, οἱ δὲ κωνείῳ ἑαυτοῦ ἐξάγουσι. hoc est. *Senio confecti mortem non expectant, sed antequam adversa valetudine corripiantur, alij papavere, alij cicuta sibi ipsis mortem accersunt.* Ceterùm qui fortunam secundam spontanea morte finiverint, priusquam in adversam inciderent, pauciores reperiuntur. Ex hoc tamen more intelligendum est illud Plauti in Pœnulo. Act. I. Sc. II. v. XCVI.

—— AG. *Abi domum, ac suspende te.*
MI. *Quamobrem?* AG. *quia nunquam audibis verba tot tam suavia.*
Quid tibi opus est vixisse? ausculta mihi modò ac suspende te.

Et illud Terentij in Eunucho Act. III. Sc. v. ubi Chærea loquitur:

Iamnè erumpere hoc licet mihi gaudium? pro Iupiter
Nunc est profectò interfici, cum perpeti me possum.
Ne hoc gaudium contaminet vita ægritudine aliqua.

Eorum verò qui ob res adversas, hoc est, vel dolorum corporis adversæq; valetudinis impatientia, vel æris alieni aut violatæ pudicitiæ aut alio aliquo pudore, vel amoris & desiderij vehementia, vel metu imminentis periculi, vel ira & furore, vel alia animi

nimi perturbatione vel deniq; aucupatione gloriæ & immortalis nominis ferro aut quovis alio lethi genere se trucidarunt, tot exempla passim in priscorum monumentis extant, ut qui ea colligere velit, videatur oleo & opera abuti. Cum his igitur mitius actum; quemadmodum & Chorus Troadum captivarum censet apud sapientissimum poëtam Euripidem in Hecuba:

Σύγγνωθ' ὅταν τις κρείσσον' ἢ παθεῖν κακὰ
Πάθῃ, τλαίνης ἐξαπαλλάξαι ζωῆς. hoc est.
Ignoscite huic, si quis conflictans cum malo
Majore quàm pro viribus sese enecet,
Vitaq; ab arumnosa semet extrahat.

Nam non solùm sepulturæ honore afficiebantur, lugebanturq; : sed & testamenta illorum valebant, donationes conjugi factæ morte confirmabantur & si intestati decederent, bona eorum ordinario successori relinquebantur, nec à fisco inquietabantur. At verò qui sceleris conscientia obstricti, ut supplicium de se sumendum anteverterent, ipsi de se statuerunt, & quasi αὐτοκατάκριτοι sententiam tulere, his sepulturæ honorem plerumq; denegatum puto. Id enim non obscurè indicat illud

Quin.

Quintiliani. Declam. IV. *Qui causas voluntariæ mortis in Senatu non reddiderit, insepultus abijciatur.* Et vulgatum illud in scholis Rhetorum: *Homicida sui insepultus abijciatur.* Et Cedreni: Κἀκεῖνον ἄταφον ῥίπτουσι, κατὰ τὴν βιοθανάτων νόμον. Atque ideo tanquam novum in Tiberij sævitia notat Tacitus libro VI. Annal. *Promptas ejusmodi mortes metus carnificis faciebat & quia damnati, publicatis bonis, sepultura prohibebantur, eorum qui de se statuebant, humabantur corpora, manebant testamenta, pretium festinandi.* De his etiam capio verba Josephi apud Hegesippum libro III. de Bello Hierosolymitano cap. XVII. *Hæc non solùm moribus hominum, sed etiam legibus interdicta accipimus. Namq; alij insepultos proijci jubent eos, qui se in ferrum dejecerunt. Dignum est enim, ut qui patris imperium non expectaverunt, priventur quasi quodam matris gremio, terræ sepulchro. Alij dextram manum abscindunt defunctis, vt separent à membris sui corporis, quod adversum corpus suum vesano militavit furore.* Quod autem hic de manu abscissa scribit Hegesippus, id apud Athenienses usitatum fuisse, colligere est

est ex oratione Æschinis contra Ctesiphontem non procul à fine: Καὶ γὰρ ἂν εἴη δεινὸν, ὦ Ἀθηναῖοι, εἰ τὰ μὲν ξύλα καὶ τοὺς λίθους καὶ τὸν σίδηρον τὰ ἄφωνα καὶ ἀγνώμονα, ἐάν τιν' ἐμπεσόντα ἀποκτείνῃ ὑπερορίζομεν· καὶ ἐάν τις αὐτὸν διαχρήσῃ τὴν χεῖρα τὴν τοῦτο πράξασαν χωρὶς τοῦ σώματος θάπτομεν. hoc est. *Absurdum enim fuerit, nos ligna, lapides, & ferrum, quæ voce & mente carent, si quem delapsa occiderint, exterminare: & si quis seipsum occiderit, manum quæ id fecit, seorsim à reliquo cadavere sepelire.*

Quod si fortè sepulturæ participes fiebant, reperta tamen alia pœna fuit, qua hujusmodi αὐτόχειρες afficerentur. Unde Seneca libr. VIII. Declam. VI. *Nescio cujus criminis conscius confugit ad mortem. cujus inter scelera etiam hoc est, quod damnari non potest. Contra hos inventum est, ut aliquid post mortem timerent, qui nec mortem timent: nihil non ausurus fuit, qui se potuit occidere.* Veteri quidem jure nullam pœnam fuisse constitutam in reos, qui ante latam sententiam se interficerent, testatur exemplum C. Licinij Macri, qui repetundarum reus, dum sententiæ diriberentur, in Mænia-

niannm conscendit, & *cum M. Ciceronem, qui id judicium cogebat, & prætextam ponentem vidisset, misit ad eum qui diceret, se non damnatum, sed reum perijsse: nec sua bona hastæ posse subjici. Ac protinus sudario, quod forte in manu habebat, ore ac faucibus coartatis, incluso spiritu pœnam morte præcurrit. Qua cognita re Cicero de eo nihil pronunciavit*, ut ait Valer. Maximus. libr. IX. cap. XII. Sub Impp. verò horum omnis tam ex testamento, quàm ab intestato cessabat successio, & bona heredibus erepta in fiscum redigebantur, ut videre est ex Fragmentis priscorum Jurisconsultorum, qui, quòd ferè Stoicorum doctrina imbuti essent, mitius egêre cum iis, qui ipsi se rebus humanis eximebant. Sed Christianæ religionis antistites facti hujus atrocitatem ad sacrarum literarum obrussam exigentes, omnem αὐτοχειρίαν, quæ consultò fit, damnant & eadem, quod dicitur, pertica metiuntur omnes, qui semet ipsos exanimât, sive conscientia sceleris, sive tædio vitæ ad mortem sibi accelerandam adducantur. Damnata igitur est omnis αὐτοχειρία à Concilio Braccarensi I. quod Canone

ne XXXIV. ita statuit, *Item placuit, ut, qui sibi ipsis aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut suspendium aut quolibet modo violentiæ inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat, neq; cum psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur.* Quam pœnam etiam Romani Pontifices ad eos extenderunt, qui velitando vel ambitionis ergo decurrendo vulnerati in ludicro certamine caderent, ut videre est ex C. I. Libri V. Decretal. Greg. tit. XIII. De Torneamentis. & C. II. libri ejusdem tit. XVII. De Raptoribus.

Atq; hæc sunt, quæ libris de Funeribus Romanorum addere volui, cujus generis quidem plura habebam, sed illa aliorum industriæ relinquo.

FINIS.

JOHANNES KIRCHMANNUS

Benevolo Lectori,

S.

ECCE tibi BREVIARIUM OPERIS, in quo sub uno oculi ictu habes, quid quoque libro & quo ordine tractetur. Ut minuta folia omnia, quæ sub istis arbusculis adhuc latent, persequeremur, nimis quam laboriosum fuisset: Ideoq; maluimus Cosmographos imitari, *qui terrarum orbem unius tabulæ ambitu circumscribunt aliquanto detrimento magnitudinis, nullo dispendio veritatis*, ut ait Ausonius. Non poterit quidem te hoc docere, à memoria tamen futurum confido. Hoc volui nescius ne esses.

BRE-

IN LIBRO PRIMO DE FUNERIbus Romanorum

Ostenso, & quodnam Sepulturæ genus Romani potissimùm usurparent. Cap. 1. 2. 3. & quæ fuerint Funerum discrimina. 4. explicantur.

RITVS, quibus Romani usi sunt olim

- Ante funerationem circa
  - Morientes & in vicinia mortis constitutos, quibus
    - *Oscula dabant.* } c. 5.
    - *Annulos digitis detrahebant.* } c. 5.
    - *Oculos claudebat.* c. 6.
  - Mortuos, ubi notanda
    - *Lotio & Unctura: ad quam adhibiti Pollinctores & Libitinarij.* c. 7. 8. 9.
    - *Vestitus.* 10.
    - *Coronæ.* 11.
    - *Collocatio.* 12.
    - *Conclamatio.* 13.
    - *Indicia domo funestæ.*
- In funeratione: cujus duo capita.
  - Elatio cadaveris. *A.*
  - Sepultura. *B.*
- Post Funerationem. *C.*

A. ELATIO, in qua observa præsipuè

- Diem, quo to sc. post mortem Funus sit elatum, c. 1.
- Tempus, nocturnum ne id fuerit, an diurnum, Vbi de Facibus & Cereis c. 2. 3.
- Personas, quæ Funus sive sponte sive mercede conducta vel
  - Præcesserunt.
    - Cantores
      - Sitticines
        - Tubicines. c. 4. Tibicines. c. 5.
      - Præficæ. c. 6.
    - Ludij & Mimi. Servi manumissi, item q; Latores lectorum, imaginum, &c. c. 7.
  - Extulerunt c. 8. sive
    - Lectica
    - Sandapila
    - c. 9.
  - Prosequutæ sunt, videlicet tam Viri quam Fœminæ. c. 10. luctum festinantes
    - Lacrimis, planctu, Laceratione genarum & lacertorum. c. 11.
    - Conviciis & quæretis in Deos, capillis passis, laceratis, pulvere sparsis, c. 12.
    - Capillis modò promissis, modò tonsis. c. 13. 14. & mortuo oblatis. c. 15.
    - Inusitato incessu. c. 16.
    - Depositione ornamentorum & vestium mutatione ac laceratione. c. 17.
- Locum
  - Per quem Funus efferebatur. qui erat Forum, ubi habitæ orationes in laudem
    - Virorum. c. 18.
    - Mulierum. c. 19.
  - In quem & is quidem erat
    - Ordinariè extra urbem. c. 20. 21.
      - Privatus in agris vel hortis propter vias publicas. c. 22. 23.
      - Publicus
        - Pauperum c. 24.
        - Illustrium & clarorum hominum. c. 25.
    - Extra ordinariè verò & rarò intra urbem. cap. 26. 27.

B. SEPULTURA, in qua observa

IN

B. SEPVLTVRA, in qua observa

- Combustionem: hic notanda
  - Rogi extructio. Cap. 1.
  - Rogi incensio. c. 2.
  - Decursio circa rogum c. 3.
  - Animalia ad rogum mactata. c. 4.
  - Dona in rogum conjecta. c. 5.
  - Rogi extinctio & Ossilegium. c. 6. 7.
- Reliquiarum vel Corporis integri compositionem in Ossuaria & Sepulcra. c. 8. 9.
- Monumenta, quæ duplicia
  - Sepulcra c. 10. in quorum consideratione observo
    - Qui Sepulcra extruxerint, videlicet
      - Vivi ipsi c. 10.
      - Hæredes
        - Vltrò. c. 11.
        - Ex Testamẽto. c. 12.
    - Quibus extruxerint
      - Sibi solis, quæ Singularia voco. c. 13.
      - Aliis etiã, quæ Communia. c. 13. 14.
    - Cujusmodi fuerint, videlicet
      - Ædificia subterranea. c. 15.
      - Modo altiora, modò humiliora. c. 16.
      - Sepimentis circumvallata, & ex qua materia. c. 17.
      - Ornata.
        - Simulacris varijs. c. 18.
        - Inscriptionibus. c. 19. 20.
    - Religio Sepulcri
      - Quando cœperit Sepulcrum esse religiosum, & quatenus se extenderit. c. 21.
      - Quot modis violetur. 22. 23. 24. 25.
      - Quæ pœna violati sepulcri. c. 26.
  - Cenotaphia. c. 27.

C. Post Funerationem, certi quidam dies erant quibus mortuos parentabant. cap. 1. Hic nota.

- Inferias: *quæ constabant Liquoribus & Victimis. c. 2.*
- *harum Appendix* Coronæ & Flores, *quibus sepulcra sparsa. c. 3.*
- Epulas
  - *Privatas* c. 4. 5. 6.
  - *Publicas* 7.
- Ludos *Funebres. c. 8.*
- Luctus
  - *Tempus c. 9.*
  - *Signa c. 10.*
  - *Causas, cur minueretur. c. 11.*
- Consecrationis
  - *Ceremonias. c. 12.*
  - *Honores. c. 13.*

IN-

INDEX AUCTORUM,

Qui in Libris de Funeribus Romanorum & Appendice laudantur, illustrantur, emendantur.

A

Accius. pag. 205.
Acron Horatij interpres 82. 208. 244. 287. 290. 487.
Ado Viennensis. 517
Ælianus. 3. 44. 53. 83. 86. 116. 118. 277. 318. 333. 334. 337. 370. 432. 484. 626. 663. 664. 666. 668. 677. 678. 680. 695. 708. 710. 711. 712. 714. 721.
Æmilius Probus 64. 306. 693. 720
Aemilius Portus 246.
Æschylus 150. 182. 221 554.
Æschyli Scholiastes 117 150. 511.
Æschines 753.
Æsopus 148
Afranius 567
Agathias 221. 380. 434 533
Agellius 42. 135. 142. 153 209 254. 267. 280. 327 387. 391. 464. 467. 550 707 713.
Agennus Urbicus 289
Aimoinus 360
Albinus Flaccus 82
Alcæus 444
Aldus Manutius 404. 436 503.
Alexand: Aphrodisæus 134.
Alfenus ICtus 281. 407 408. 412. 474
Amalarius Fortunatus 82
Ambrosius 121. 129. 216
Ammianus Marcellinus 26 169. 271. 359. 367. 380 390. 437. 501. 704
Ammianus Poeta 380
Anacreon 56. 559. 563
Andr: Schottus 682
And: Tiraquellus 355
Antipater 130. 206. 444
Ant: Augustinus 48
Ant: Muretus 66. 124
Apollonius Rhodius 326. 587.
Apulejus 26. 31. 52. 54. 57. 75. 77.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767782267/phys_0789
DFG

75. 77. 78. 98. 105. 109 128. 146. 174. 182. 183 184. 239. 240. 244. 261 271. 345. 352. 394. 398 433. 441. 496. 497. 546 553. 558. 580. 607. 621 627. 635.
Appianus Alexandrinus 81 137. 157. 177. 245. 250 274. 293. 319. 322. 328 378. 593. 639. 703. 704 705. 717
Aristænetus 41. 42
Aristophanes 38. 91. 114. 361. 660.
Aristophanis Scholiastes. 202. 376.
Aristoteles 144. 185. 520. 553 728.
Arnobius 2. 65. 75. 193. 308 432. 592. 594.
Arrianus Dissert. Epicteti 200
Arrianus Historicus 707
Artemidorus 16. 79. 84. 92 99. 118. 136. 140. 194 197. 207. 210. 212. 248 325. 392. 461. 581. 588 628. 645
Asconius Pœdianus 273
Astrampsychus 210. 232
Athenæus 56. 63. 80. 144. 152. 211. 435. 459. 477. 545. 554. 586. 593
Autor de Viris illustribus 27. 467. 584
Augustinus 241. 388. 546. 576. 588. 589. 590
Ausonius 24. 37. 39. 108. 418 517. 535. 543. 559. 570 597. 707.
Athanasius 638.

B.

Barnabas Brissonius 224. 428 463. 658. 678
Baruch Propheta 585
Basilius 198
Bion 49. 202. 240
Bonan: Vulcanius 467.
Broissardus 458

C.

Cæcilius 567. 573. 579
Cæsar Baronius 67. 68.
Cajus JCtus 418. 421. 422 442. 451.
Callimachus 125. 381. 465 534.
Calpurnius Flaccus 128.
Capitolinus 14. 36. 37. 51 158. 260. 274. 414. 415 470. 557. 600. 612. 630 638. 643. 647. 652. 654 659. 704. 707. 718
Cassianus Bassus 111
Cassiodorus 390. 394. 507 509. 514
Catullus 201. 303. 351. 565 480. 516. 578. 593. 612
Celsus JCtus 482. 488
Cedrenus 108. 500. 734

Chari-

Charisius. 18. 387
Chion. 92
D. Chrysostomus. 131. 148 155. 189. 190. 491. 674
Chronicorum liber. 300 518.
Cicero 2. 10. 18. 29. 31. 39. 60. 64. 76. 87. 91. 116. 120 123. 135. 141. 149. 151. 159. 160. 183. 185. 186. 195 202. 207. 244. 253. 256 259. 264. 266. 272. 273 275. 292. 295. 302. 314. 317. 320. 333. 340. 344 358. 386. 388. 390. 391 443. 444. 458. 461. 462 463. 466. 468. 480. 483 488. 489. 493. 494. 502 513. 520. 540. 544. 549 550. 551. 557. 558. 579. 582 587. 595. 596. 600. 602 604. 605. 607. 626. 657 676. 679. 724.
Cintius Alimetus. 573
Claudianus. 199.
Claudius Guichardus. 160. 414
Clemens Alexandrinus. 39 298. 335. 537
Codex Justiniani. 98. 157 260. 310. 403. 414. 418 421. 422. 481. 488. 495 496. 501. 512. 513. 515. 522 524. 723
Codex Theodosij. 127. 310 521. 530.
Columella. 550.
Concilium Braccarense. 311. 747
Concilium Toletanum. 522.
Concilium Moguntiense. 723
Cornel. Celsus. 107
Cornel. Nepos. 28. 175. 277
Cornel. Tacitus. 12. 24. 28 35. 36. 59. 60. 123. 128 133. 159. 160. 161. 163. 164 166. 168. 175. 176. 180. 208 227. 229. 234. 256. 268 289. 300. 336. 342. 360 365. 381. 445. 446. 497 535. 557. 580. 623. 624 630. 643. 649. 650. 652 655. 656. 658. 659. 693 704. 725. 734.
Corippus. 65. 132. 154. 192
Cornutus Persij Interpres. 22. 135. 281
Crinagorus. 368. 452
Conrad: Rittershusius. 94. 109. 132. 152. 155. 571 648
Curtius. 86. 201. 700. 707
Cyprianus. 41. 234. 271. 589

D.

Daniel Heinsius. 110. 385
David Chimchi. 349.

David Hæschelius 190.
David Regius vates 392
Demosthenes 95. 123. 188. 297.
Desider. Heraldus 53. 361. 555
Dio Cassius 28. 32. 33. 97 98. 160. 161. 162. 164. 165 179. 180. 203. 230. 234 242. 256. 262. 268. 269. 293. 294. 314. 320. 322. 328. 338. 354 374. 385. 426. 437. 448. 469. 477. 497 513. 547. 552. 571. 583. 599 603. 606. 609. 619. 621 629. 642. 644. 646. 649 650. 651. 654. 656. 657. 703 717.
Dionys. Alexand. 21.
Dio Chrysostomus. 146. 291 683. 721
Digesta juris. 25. 74. 78. 168 185. 232. 281. 283. 366. 388 404. 407. 408. 409. 411 412 419. 420. 421. 422 442. 444. 449. 454. 474. 481. 482. 488. 489. 492 493. 494. 508. 509. 530. 655 714. 722.
Diodorus Siculus 44. 60. 61. 215. 226. 333 336. 352 563. 628. 687. 696. 698 706. 721.
Diogenes Laërtius. 3. 12. 13 33. 42. 49. 86. 107. 226. 265. 298. 371. 372. 434. 458. 466. 490. 516. 538 608. 631. 670. 679
Diomedes 150.
Dionysius Halicarnassæus. 26. 71. 89. 90. 122. 156 158. 159. 164. 168. 175 186. 219. 231. 234. 236. 243 244. 245. 248. 254. 255 258. 259. 261. 302. 303 319. 347. 365. 369. 375 486. 584. 619. 637.
Dioscorides 63. 65. 554. 563
Donatus 115. 116. 121. 129 344. 546. 572. 574. 576. 605

E.

Ecclesiastes 580.
Edylus 561.
Egesippus 509. 734
Elias Vinetus 504
Ennius 18. 66. 74. 77. 394
Epictetus 136
Erasmus Roterodamus 151. 588.
Etymologici Magni Autor 347. 361. 368. 435. 558, 567. 586.
Eunapius 62. 117.
Euripides 25. 46. 48. 52. 84 96. 97. 114. 183. 203. 205 218. 220. 221. 240. 270 379. 561. 566. 733
Euripidis Scholiastes 90. 20, 315. 474.
Eusebius 21. 80. 194. 334 674. 680. 725

Eulla-

Eustathius 4. 5. 9. 12. 124. 144 196. 223. 228. 362. 554. 575 586
Eutropius 169. 278. 304. 367 447. 624
Ezechiel 585

F.

Festus 17. 29. 30. 31. 37. 58. 101 110. 122. 142. 147. 149. 169 174. 195. 233. 237. 267. 288 300. 302. 304. 312. 357. 358. 375 384. 387. 464. 480. 481. 542 545. 548. 549. 554. 555. 570. 573 574. 577. 582. 591. 600. 604 622. 628. 630. 659.
Florent: ICtus 387.
Florus 85. 442
B. Fulgentij vita 172.
Fulvius Vrsinus 76. 87. 88.
Franc. Duza 100.
Franc. Iunius 74. 170. 570. 606.
Frider. Lindenbruchius 150. 373
Frid. Morellus 511.
Frontinus 567.
Fulgentius Placiades, 16. 74 174. 176. 573.

G.

Galenus 62. 65. 144.
Gaudentius. 590.
Georg. Fabricius 439. 440. 454.
Georg. Ratall. 561.
Glossarium vetus 74. 147. 150 170. 171. 176. 314. 315. 352 570. 594
Glossæ Isidori. 95. 170. 546 554.
Gregorius Nissenus. 233.
Gregorius I. Pontif. Max. 217
Guntherus. 648.

H.

Hadrianus Iunius. 112. 154. 196 211.
Harmenopulus. 530. 548
Harpocration. 398. 517. 555
Heraclides Ponticus 7. 117. 123 611. 732
Hermogenes. 394.
Heliodorus. 220
Herodianus. 201. 208. 222. 239 319. 329. 366. 562. 638. 647
Herodotus. 13. 60. 62. 63. 64 65. 77. 102. 111. 194. 211. 214 217. 218 342. 573 611. 671. 672 674. 678. 702. 713
Hesychius 114. 144. 151 152. 175 215. 264. 497. 506. 543. 550 574.
Hieremias Propheta. 349. 299
D. Hieronymus 81. 154. 172 228. 336. 366. 435. 465. 568. 572. 393. 664. 667. 673. 676 677. 680.
Hieron. Mercurialis. 55. 107.
Hieron. Magius. 14. 143. 145. 472 566
Homerus. 45. 46. 56 79. 84. 99 125. 191. 196. 202. 203. 222. 227 240. 323. 326 331. 332. 343 350 352. 354. 362. 367. 459. 520 576. 586. 608. 693.
Homeri Scholiastes 8. 366
Horatius. 68. 115. 148. 167. 177 244. 288. 289. 357. 365. 413 414. 478. 479. 483. 486. 531 602. 605. 606. 656.
Hubertus Goltzius. 630.
Hyginus. 133.

I.

Iamblichius. 13. 537.
Ianus Duza. 601.
Ianus Gruterus. 174.
Ianus Gulielmius. 46. 52. 74. 579
Iacobus Cujacius. 82. 171. 482. 492 519. 524. 548. 570. 618. 620. 653
Iacob. Scheckius. 224.
Iavolenus Ictus, 407. 412. 444
Inscriptiones Antiquæ. 27. 33. 65. 126. 181. 235. 276. 279. 282. 283. 284.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767782267/phys_0793
DFG

283. 284. 285. 286. 287. 292 296. 297. 309. 314. 316. 365 356 378. 379. 380. 388. 396. 397 398. 399. 400. 401. 402. 403 404. 405. 406. 407. 409. 410 411. 413. 417. 418. 423. 424 425. 426. 427. 428. 429. 430 431. 432. 437. 446. 448. 449 451. 453. 454. 463. 464. 469 470. 471. 472. 473. 475. 493 495. 508. 512. 513. 514. 525. 526 528. 529. 531. 532. 553. 558. 562 564. 582. 613. 642. 651. 654 709.

Iohannes Evangelista. 58. 263

Iohan. à Vvouuer. 646

Iohan. Caselius. 92.

Iohan. Meursius. 392. 498. 555. 568

Iohan. Passeratius. 564.

Iohan. Bernartius. 239.

Iohan. Gulielmius Stuckius. 224.

Iornandes. 214. 330. 460

Iosephus. 60. 225. 228. 509. 586 614

Ioseph. Scaliger. 21. 30. 37. 101. 107 113. 150. 311. 352. 341. 548. 567. 570. 574. 594. 630

Isaac Casaubonus. 19. 50. 107. 114 143. 158. 253. 343 357. 363 372 374. 415. 448. 545. 633. 639.

Isidorus. 82. 100. 129. 173. 174 230. 272. 389. 392. 447.

Isæus. 427.

Isocrates. 685.

Iulianus Archiepiscopus Toletanus. 38.

Iulianus Imper. 379. 412. 418

Iul. Firmicus. 215. 438.

Iul. Obsequens. 580.

Iul. Paulus. 266.

Iul. Pollux. 96. 114. 150. 151 176. 709

Iustinianus Imp. 157. 171. 418 547

Iustinus. 13. 34. 85. 679. 697. 707

Iuvenalis. 16. 38. 78. 117. 163. 169. 176. 193. 211. 254. 279 346. 380. 391. 448. 476. 532. 581. 593. 624. 627.

L.

Labienus. 465

Lactantius. 80. 140. 161. 394. 460. 499. 500. 520. 633. 637

Lævinus Torrentius. 442.

Lampridius. 262. 520. 533. 607 692. 718

Leonidas. 275. 559

Leo Imp. 171. 260

Levitic. 272

Lex XII. tabul. 12. 76. 87. 159 254. 259. 317. 320. 340. 357 358. 507

Lex Caroli M. 310

Lex Mœnia. 48

Lex Numæ. 17. 351.

Libanius. 193

Lipsius. 17. 18. 38. 89. 100. 130. 139 152. 162. 178. 229. 234. 236 240. 263. 268. 290. 340. 351 535. 580. 581. 597. 598. 604 608. 624. 652. 654. 726

Livius. 26. 69. 81. 85. 157. 185 200. 207. 231. 248 251 257. 258 264. 271. 273. 301. 327. 329 543. 546. 583. 584. 598. 599. 618 619. 622. 631. 637. 688. 706 724

Livii Epitome. 25. 160. 293. 597

Lucanus. 46. 58. 109. 113 134 165. 169. 177. 314. 319. 328. 340 385. 447. 499. 501. 623. 653

Lucas Fruterius. 16 18. 19. 169

D. Lucas Evang. 236

D. Lucas in Actis. 53. 213. 263

Lucianus. 6. 49. 58. 61. 77. 96 192. 196. 202. 215. 270. 333 340 490. 502. 556. 561. 562 587. 608. 670

Lucil-

Lucillius. 43.348.174.202.466
Lucretius. 5.
Lycophron. 208. 390. 393.446 520
Lysias. 97. 187

M.

Macrobius. 24. 42. 77. 234. 325.465.551. 607.133.134.325 551.617.
Macer. 54. 449.523
Mæcianus. 187.
Maffeus. 66.
Manilius. 104.
D. Marcus Evangelista. 451
Marc. Antonin. Imper. 222 193. 414.
Marcus Vuelserus. 65.512.
Marius Victorinus. 548
Marlianus. 438.
Martialis. 54. 78. 116. 128.177 178. 235. 274. 278. 279. 316 352. 356. 359. 378. 379. 380 381. 461. 467. 472. 476. 491 502. 628. 712
Martianus ICtus. 442. 496 508. 511. 538
D. Mattheus Evangelista. 58 140. 194. 263. 299. 438
Maximus Tyrius. 101. 219
Meleager. 129.379
Minutius Felix. 15. 60.93.271 568.634.637.657
Moschius. 245.367.484
Moses. 56.282.613.727.

N.

Nævius. 148.231
Nemesianus. 347
Niarchus. 176.339
Necandri Scholiastes. 62
Nieod. Frischiinus. 361.
Nonius Marcellus. 74. 149 174 205.213.238.441.579
Nonnus. 58.74.485
Nicolaus Rigaltius. 691.

O.

Onuphrius Panvinius. 309. 518. 637. 651
Onosander. 690
Oppianus. 152.315
Optatus Afer. 392
Origenes. 537
Ovidius. 8. 10. 36. 46. 47. 48 103. 112. 128 131.136.141.143 176.183.187.191.192.193.197 200 201.219.220.231.232.235 261. 318. 319 350.355.359.382 393. 419. 433. 452. 461. 462 465. 467. 477. 537. 540. 543 544. 559. 560. 581. 616. 618. 652.653.659.

P.

Papinianus ICtus. 404. 408
Passio Afræ. 725. 66
Paul. Diaconus. 441. 536
Paulus ICtus. 78.235.408.426 482.512.518.522.615.622.626.
Paulinus. 590
Parthenius. 444
Pausanias. 34. 265. 448. 536 699. 722
Paulus VVarnefridus. 209
Pedo Albinovanus. 40. 47.49 50.166.200.437.623
Persius 57 99.101.117. 128. 135 167.380.569 602
Petronius Arbiter. 3. 116. 136 197 201.213.219.352.389.436 442.448.571.670.726
Petrus Arvernus Venet. ab. 236
Petrus Colvius. 78.
Petrus Daniel. 313.
Petrus Faber. 131. 683. 726
Petrus Victorius. 30. 91. 137. 183 308.560
Phædrus. 69. 506.
Philo Carpathiorum Episcopus. 64
Philo Iudæus. 228. 334

Phle-

Phlegon Trallianus. 3 436.
Philostratus. 23.298.564
Philip. Camerarius. 181
Phocylides. 484.531
Pindarus. 315 446
Pindari Scholiastes. 35.361
Plato. 6.42.67.95.214.221.258 275.443
Plautus. 73. 75.76.116.148.152 153. 174.290.291.503.579.581 600.606.732
Plinius Historicus 7.9.10. 11 16.27. 43.49.55.56.62.63 72 87.80.90.99.103.194.107.110 113.118.130 140. 161.167.169 186.195.215. 225.258.263.277 278. 317. 321.331.335 337.338 344.351.363.381 389.292.299 400. 441.242. 452. 463.467 469 470. 474 478. 560.565 570.578 592.600.608.627.649 662.667 671.707.710.729
Plinius Secundus. 28. 54.209 250. 281
Plutarchus. 3.11.24.26.36.68. 69.70. 76. 79.82.86.105.126 128 237.139.145.146.167.168 175.182.185.187.192.195.200 205.207.214.215. 218.221.223 224.225. 226 227. 228. 233. 239. 242. 244 245. 247.249 251.252.254.255.258.265.290 293.302.303.305.306.307.320 323.324. 327.340.341.343.354 367. 371. 445. 458. 459. 462 469.508.543.544.552.565.566 567. 591. 593. 608. 614. 615 618. 620. 634. 636.659. 663 667. 690. 692. 693. 695.697 700. 701.704. 705. 708. 709 713.716.719.720
Polybius. 34.81.165. 245.248. 307. 699
Polyenus. 34. 81. 165. 245.248 255.307 (326.
Pomponius ICtus. 412. 493.
Pomponius Mela. 60. 334.612 675.
Porphyrio Horatii interpres. 149. 159. 276. 546. 673. 676 677.680 (291
Possidonius in vita Cypriani.
Priscianus. 18.
Procopius. 337.396.678
Propertius. 37. 43. 44. 83. 103 117. 128. 136.137.160.176.193 219.232.234.236.280.323.333 345. 352. 347. 354. 356. 363 368. 373. 378. 381. 462. 464. 476.499.559
Prudentius. 64. 280. 300.464 499.540.568.653
Pythagoras. 13.477

Q.

Quintilianus. 8.13.118.149.197 225.232.250 254.262.336 382 393. 419. 480. 484. 496. 506 604.605.611.628.715.734
Q. Smyrnæus Calaber. 214 326. 331.350.364

R.

Ravardus. 18.19.169.352
Regum libri. 272.299.584
Rufinus. 103
Radulph. Fornerius. 513. 526.
Rutil. Geminus. 16

S:

Salvianus. 233
Scævola ICtus. 409. 602
Scipio Gentilis. 539
Seneca Patef. 47. 276.336.459 521.626.686.735
Seneca Philosophus. 26.35.36 37.38. 39. 40.72.73.108.140 182. 185. 200. 210. 211. 232 268. 354.356.357.389.395.465 471. 474. 602. 604.610.617 621.646.

Senecà

Seneca Tragicus. 40. 222. 343 650
Servius. 7. 8. 50. 67. 74. 82. 101 103. 104. 110. 112. 113. 118. 119 121. 122. 123. 127. 129. 136. 140 159. 166. 167. 170. 174. 195 224. 225. 233. 258. 260. 262 270. 302. 313. 315. 317 318. 322 333 339. 344. 373. 376. 387. 447 460. 467. 553. 556. 574. 583. 596 629. 635. 728
Servius Sulpitius. 264. 453
Sextus Philosophus. 60. 306 676 678. 619. 681
Sex. Aurelius Victor. 277
Siculus Flaccus. 275
Sidonius Apollinaris. 68. 75 170. 172. 235. 390. 616
Silius Italicus. 6. 8. 61. 129. 164 183. 198. 203. 242. 295. 318. 319 339. 435. 558. 676. 677
Solinus. 335. 420. 611. 707
Sophocles. 212. 220. 221. 331 554. 561. 683
Sophoclis Scholiastes. 485. 497.
Sozomenus. 518
Spartianus. 36. 44. 277. 280. 367 396. 603. 629. 638. 647. 650 797. 709
Statius. 23. 63. 140. 144. 148 151. 155. 199. 219. 239. 242. 277 278. 318. 327. 339 345. 346. 351 377. 450. 497. 539. 547. 613. 680. 710
Statij interpres. 140. 460
Stobæus. 94. 484. 585. 675. 676 680
Strabo. 63. 64. 102. 365. 293. 314 334. 385. 434. 450. 452. 671 672. 673. 675. 676. 681. 730. 731
Suetonius. 28. 29. 32. 37. 39. 43 50. 71. 81. 98. 120. 131. 140. 156 157. 168. 169. 177. 199. 206 267. 218. 214. 225. 229. 242 249. 256. 274. 278. 279. 289 293. 304. 314. 330. 338. 341. 344 354. 355. 365. 374 396. 400. 419 426. 435. 445. 449. 450. 454 462. 477. 519. 532. 533. 541. 552 557. 562. 572. 583. 600. 603 627. 630. 642. 649. 715. 717 718 722. 725
Suidas. 94. 114. 116. 152. 153. 236 297. 376. 379. 432. 533. 552. 565 711
Symmachus. 325. 625. 648
Symphosius. 27
Synesius. 9. 189. 506.

T.

Terentius. 30. 182. 183. 184. 187 191. 206. 330. 377. 419. 503
Tertullianus. 15. 16. 53. 59 93 139. 227. 228. 254. 332. 382. 389 391. 395. 442. 500. 578. 579 593. 594. 596. 602. 605. 640 657. 670. 671. 674
Thallus. 366
Theocritus. 116. 125. 276. 361
Theocriti Scholiastes. 134
Theodorus Marsilius. 18. 22. 76 97. 133
Theodoretus. 103. 216. 271. 308 330. 523. 640. 674. 676. 678 680
Theophrastus. 272. 466. 565 709.
Thucydides. 5. 305. 369. 694 720
Thucydidis Scholiastes. 5. 305 370. 372
Tibullus. 43. 201. 321. 339. 353 356. 378. 381. 382. 390. 453. 467 476. 499. 560. 578. 613. 628
Trebellius Pollio. 445. 461 469.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767782267/phys_0797
DFG

Triclinius. 212
Turnebus. 21. 74. 76. 321. 328. 151 263. 414. 491. 549. 553. 578

V.

Valer. Flaccus. 328 338. 433
Valer. Maximus. 27. 32. 44. 47 69. 72. 80. 81. 99. 105. 160. 167 177. 225. 227. 254. 308. 334. 335 345. 391. 393. 420. 433. 484 597. 610. 631. 668. 687. 702. 704 705. 715. 716. 729. 731. 736
Valer. Probus. 385. 398. 404
Varro. 7. 30. 48. 63. 75. 104. 153 237. 238. 274. 287. 288. 301. 317 341. 453. 483. 543. 549. 566. 550 611. 659. 702
Vegetius. 51. 688
Vellejus Paterculus. 86. 180 419. 651
Victor Vticensis. 154
Virgilius. 10. 40. 47. 83. 98. 116 118. 123. 125. 127. 136. 165. 166 183. 197. 203. 224. 242. 277 316. 318. 319. 321. 322. 326. 331 332. 339. 344. 346. 351. 361. 365 368. 375. 376. 377. 383. 390. 419 447. 450. 459. 462. 464. 468 520. 539. 546. 555. 556. 560. 562 577. 662. 692
Vlpianus ICtus. 25. 74. 232 260. 272. 281. 283. 366. 404 407. 411. 419. 420. 421. 449 454. 488. 489. 493. 494. 509 515. 538. 603. 622. 658. 722
Vopiscus. 437. 445. 457. 653

X.

Xenophon. 69. 113. 305. 337. 536. 687. 693. 694. 698. 700.
Xiphilinus. 32. 33. 35. 98. 141 319. 322. 329. 339. 368. 395. 396 471. 478. 490. 591. 607. 690 591. 607. 609. 643. 688. 707

Z.

Zenobius. 153. 674.
Zonaras. 180. 228.



INDEX RERUM ET VERborum memorabilium, quæ in his quatuor libris de Funeribus Romanorum & Appendice continentur.

A.

ACerra mortuo apposita pag. 58
Accipitres studiosi sepulturæ 666
Aegyptij sepeliebant boves, feles, canes, &c. 713
AEgyptij detestabantur cremationem & quare 12.
mortuos ungebant 60
mensis adhibebant unctos mortuos 62
eosdem creditoribus oppignorabant 61
sese radebant in luctu 215
nigris vestibus omnium primi in luctu usi 233
Ægyptiorum ςερνοτυπία 194
AEthiopes gypso condiebant mortuos 65
ad regis sui rogum se interficiebant 336
Æthiopes Ιχθυοφάγοι *in paludes conijciebant mortuos* 679
AEtatis habita ratio in funeribus 24
in Agrum pedes tot 482
Alexander M. melle conditus 63
Albæ vestes fœminarum in luctu 238
Amarantho sepulcra sparsa 564
Amomum in rogum conijciebatur 345
Αμύσσειν παρειὰς 196
Αμφιδρυφεῖς παρειαὶ 196
Animalia varia ad rogum mactata 330
Animam in primo ore, *vel* in primis labris tenere 40
Antigenidæ judicium de Siticinibus 146
Annuli morientibus detracti 43

Annuli mutati in luctu 229
Annuli cum mortuo combusti 44
Anser sepultus 711
Antigenidæ dictum de siticinibus 146
Ἄωροι θάνατοι 38
Apio sepulcra sparsa 565
Apium in cœna funebri 592
Ἀποφράδες 552
Ἀπονίμματα 554
Apum pietas erga defunctos 662
Aqua lustralis ante fores funestas 114
Aqua aspergebantur redeuntes à funere 375
Aqua inferis libatum 554
Aquila in virginem nutriciam suam amor 338
Aquilæ vehi consecratorum animæ existimabãtur 644
Aræ in sepulcris 558
Arca 442
Ἀρδάνιον 114
Argeus ab Hercule crematus 3
Argei 301
Arferia, Arferial 554
Ἁρπαγὴ ἡμέρας 124
Arma in rogũ conjecta 343
Arma sepulcris affixa 459
Aruspices sepeliebant fulguritos 21
Asphalti usus in condiendis mortuis 63
Assyrij collocabant desperatos ante januas 102
Athenienſium mos 2. 3. 190 271. 305 *& passim alibi.*
Atræ vestes in luctu 232
Aurelijs quomodo mortui efferantur 19
Aurum positũ in luctu 230
Ἄξιος τοῦ πέπλου 675
Aurum cum mortuis reconditum 503
Αὐτόχειρες *apud Græcos non cremati* 23
Αὐτόχειρες *quidam sepultura prohibiti* 728. 734
Αὐτοχείρων *pœna* 735
Αὐτοχειρία *omnis à Christianis damnata* 736

B.

Babyloniorum mos 63
Bactrij canibus obijciunt mortuos 676
Balsamo conditi mortui 65
Barba rasa in luctu 210
Barbaræ gentes studiosa sunt sepulturæ 669
Barchæi mortuos vulturibus obijciebant 678
Barginnæ 171
Bruta sepulturæ studiosa 661
Bustum 313

Busta

Busta Gallica 301
Bustuariæ mœchæ 491
Busta frequentabant venefica 498
Bustirapi 579
prope Bustum quam diu durarint qui funus prosequebantur 375

C.

Cadavera mortuorum supina ponebantur in sepulcro 372
Cadaveris spoliatio 501
ad Cantum elata funera, & quare 233
Cadavera cæsorum in prælio ab ipsis hostibus sepulta 699
Cadavera cæsorum in prœlio per præcones ad sepulturam postulata 691
Cadaveribus punitorum sepultura concessa 722
Calce conditi mortui 65
Canum in dominos mortuos amor 337
Canes sepulti 709
Capilli mortuorum foribus appensi erant signum domus funestæ 114
Capilli passi luctus indicium 200
Capillos lacerabant in luctu 201
pulvere aspergebant 203
mortuis offerebant 218
Capite operto Dij salutabantur 224
Capitib. velatis filij parentum funera comitabant 223 *& filiæ apertis* 224
Captivi ad rogum mactati 332
Capulum 174
Capulus 451
Capularis 174
Carum consuetudo 151. 369
Καρῖναι 151
Καρικὴ Μοῦσα 151
Καρυῶαι 210
Christiani ungebant mortuos 59
Christianis sepultura denegata ab Imp. Ethnicis 725
Carbasa 238
Carnifices extra urbem habitabant 291
Carmen sepulcri 462
Καταγεῶτες 264
Casia in rogum conjecta 345
Castellum S. Angeli 396
Caspij mortuos bestijs obijciunt 676
Καταμύειν *pro mori* 49
Καθέδραι 550
Calcis usus in condiendis mor-

mortuis 65
Cecrops Athenis humatus 2
Cedri usus in conditura mortuorum 62
Ceraulæ monumentarij 146
Cerei funeribus prælati 127
Cera conditi mortui apud Persas 64
in Ceramico publicè sepeliebantur Athenis viri clari 297
in Ceo insula sexagenarij ticutam bibebant 731
Celtæ busta frequentabant 500
Cenotaphia 533
Cenotaphia quibus extrui solita 533
Cenotaphia Pythagoreorum 537
Cenotaphij indicium apud Athen 535
Cenotaphia an religiosa 538
ob Cereris sacra luctus minuebatur 631
Χθόνια λουτρὰ 554
Χοαὶ 553
Χερνιψ 554
Cineres & ossa combustorum quomodo dignosci potuerint à cineribus lignorum 362
Cineres & ossa in urnas condita 366
Cineraria 366
Cinerarij 366
Cibi in epulis funerib. 591
Collato ære elati viri clari sed pauperes 26
Collocato mortuo custos appositus 98
Collocatio mortuorum, quibus ceremonijs peracta 95. seq.
Columna in sepulcro 447
Colchi suspendebant mortuos è patibulo 680
Combustio vide Crematio
Comam nutriebant viri in luctu 207
Coma rasa in luctu 209
Commodare lacrymas alteri 584
Comitare funus 182
Componere 365
Conclamati mortui & quare 103
Convitijs onerabant Deos in luctu 298
Conditorium 389
Conditivum 389
Contrectare cadaver sepulcro illatum nefas 496
Coorum mos 611
Convivijs abstinebant inluctu 626
Consecrationis origo 633
Consecratio pub. & privata 635

Consecrata etiam fœmina 642
Consecrationis publica ritus 636
Consecratorum anima ab aquila vehi existimabantur 644
Consecratus quis honor habitus 649
Consules vulgari sede sedebant in luctu 624
Corinthiorum mos 265
Κορικὸς ἀὴρ 170
Corpus mortui condebatur in in arcam cum omni ornatu funebri 369
Corpora in sepulcris an ad orientem posita vel occasum 370
Corpora supina ponebantur in sepulcris 372
Coronati mortui 87. *& quare* 93
Coronis sparsus lectus funebris 88. 89
Cœna funebres vide Epula
Cœmiteria extra urbem 317
quando cœperint esse in urbe 309
Cœnam è rogo rapere 578
Corvus sepultus 710
Cornicis sepulcrum 710
Crematio antiquissima 5
Crematio quibus gentibus usitata 10
Cremationis causa 7. 8. 10
Crematio quando desita 14
Crines vide *Capilli*
Crocus in rogum conjectus 345
Cupressus indicium domus funestæ 110. *& quare* 113
de Cupresso fabula 111
Cupresso rogus circumdatus 317
Culina quid 289

D.

Dalmatica 82
Dardanensium mos 53
Dapes in rogo combustæ 346
Decrepitus quis?
Deliorum sepulcra ubi 265
Democriti de servandis in melle mortuis opinio 7
Decursio funebris circa rogum quo ritu celebrata 326. 337
usurpata etiam in parentalibus 330
Demoliri sepulcrum nefas 488
Denicales feriæ quæ? 548
quid ijs factum. Ibidem
Desperati qui 100
Desperatos ad januam ponere quibus gentibus usitatum 101
Deos convitijs onerabant in luctu 198

Delphini ſtudent ſepulturæ 665. 667
Delphini ſepulchrum 713
Derbices ſenes cadunt & comedunt 672
Deorum templa lapidabant aras ſubvertebant in luctu 199
Deus viduus extra urbem cultus 271
Diei raptus 125
Digitus mortuo abſciſſus & quare 357
Dignitatis ratio habita in funeribus. 25. 26
D. M. S. 463
Deſignator 605
Divi Imperat 648
Domus funeſta indicia 110
Domi an ſepulta funera 258
Domus æterna 390
Domus pro ſepulchro Ibid.
Dona in rogum conjecta 338
Δῶρα 339
Δρύπτειν παρειὰς 196
Ducere 118
Ducere funus, exſequias 117. 118

E.

Εγκυλείσθαι 555
Εκπέμπειν 182
Εκκομίζειν 116
Εκφέρειν 116
Efferri 115
Elatio mortuorum 115
Elati interdum revivixerunt 104
Elationis dies 119. tempus nocturnum & diurnum 121
hora 126
Elugere 622
Elephantes ſtudioſi ſepulturæ 665
Ενταφιαι 339
Επιταφή 461
Epulæ funebres publicæ & privatæ 569. quando celebratæ 580. Chriſtianorum luxurioſæ 588
in Epulis funerib. cœnabant albati 595
Epulæ funebres Judæorum 584 & Græcorum 586. in Epulis funebribus laudes mortui recitatæ 587
Epularum funebrium cibi qui? 591
Equi in luctu raſi 217
Equi honorificè ſepulti 706
Equi in magnatum exſequijs 190
Eſſedones capita mortuorum inaurant 674
Extra Exquilinam portam ſepulti pauperes 288. ſupplicia ſumi ſolita 289
Exſequias ire, venire 182
Exſequi funus Ibid.

Exsequiæ ignoto homini ire, vitio datum 185
Exuviæ hostium sepulcris affixæ 460
Exverriator, Exverræ 548
Ἐυαγγέλιον 390

F.

Faba in cœna funebri 591
Faces in funeribus 128
in parentalibus 131
à Christianis cur usurpatæ 131
Facere pro vivere 474
Facultatum habita ratio in funeribus 25
Fasces cum honorum insignibus lectum mortui anteferrebantur sed inversi 165
Fasces inversi luctus signum 166
Februario mense celebrata parentalia 545
Femina clara in honestiss: veste elata 83 in funus cognati prodire solita Romæ & Athenis 187 cum viris combusta 333
Feminarum vestis lugubris quo colore 236
Femina Græcia in luctu an semper tonsa 205. faciem velabant in publico apud varias gentes 226
Femina & Virgines apud priscos Christianos non ibant exsequias 189
Feralia 543
Feraliorum origo, dies, mensis 543
Filij velatis capitibus funera parentum comitabantur, filiæ apertis & quare 223
Flaminicæ non licitum morticinas soleas habere 267
Flamini Diali nefas audire tibias funebres 142
non licebat bustum ingredi aut mortuum attingere 267
Floribus sparsus lectus, quo mortuus efferrebatur 88
Focum non instruebant in luctu 627
Formicæ student sepulturæ 662
in Foro sepeliebantur viri clari apud Græcos 305
per Forum ducebantur Funera 243
in Fronte pedes tot 482
Fulguriti non combusti sed humati 16. quibus ceremonijs 17, 22
Fulminis pro fulmen 17
Funeris etymon 129
Funera cum cantu elata 132

humeris 107
interdum apertè interdū tectè 179
à quibus 107
Funus acerbum 37
censorium 35
commune 37
imaginarium 36. 643
imperatorium 36
indictivum 29
larvatum 181
plebeium 37
publicum 31
regium 36
simplus arium 37
tacitum 36
translatitium 37
vulgare 37
Funus indicere 29
Funus ducere 117
Funeris indictivi formula 30
Funus locare 72
Funere publico elati viri clari 32. Item femina 33
Funeris pulici honos apud Græcos 33
apud Massilienses 34
Funereæ mulieres 67
Funera laudata pro rostris 244
Funera extra urbem sepulta 258
apud quas gentes 263
quare 266
Funeris domini insignia 604
à Fumere redeuntes aqua aspergebantur 375
ignem supergrediebantur 384

G.

Galli combusserunt mortuos 12
Galli cum mortuo varia comburebant 332
Galli gallinacei à quo sepulti 712
Garamantum sepulcra 435
Germani combusserunt mortuos 12
Germani in luctu barbam submittebant 208
Gena radebantur in luctu 194
Gingriæ 144
Glebæ injectio faciebat sepulcrum religiosum 483
Γόησσα 500
Græci & humarunt & cremarunt mortuos 2
Græci in templis sepeliebant sæpe mortuos 308
Græci in urbe sepeliebant sæpe mortuos 305
Græci coronabant mortuos 90
Grues student sepulturæ 604
Gypso conditi mortui apud AEthiopes 65

Habi-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767782267/phys_0806
DFG

H.

Habitare in sepulcro dolo malo nefas 489
D. Hadriani sepulcrum 396
Heraclitus & Heraclides Ponticus cremationē mortuorum probarunt 7
Hercules cremationis autor 3
Herulorum fœmina ad tumulos maritorum se suspendebant 337
H. E. T. F. 404
Hic jacet 466
Hîc situs est 466
Hirundines sepultura student 662
Hibernia insula habitatores devorant mortuos 671
Hostibus cæsorum cadavera ad sepulturam concessa primum ab Hercule 695
Hostibus non denegata sepultura 692
Hostes ipsi hostibus sepultura honorem præstiterunt 699
Hostibus patria sepultura denegata 714
Homicidis sui manus abscissa 734
Homicidæ sui non sepulti 733
Hoc monum. heredes non sequitur 423
Humeris elata funera 167
Humatus quis 483
Hymni cantati in funeribus Christianorum 154
Hyperborei vitæ satiati præcipitabant se in mare 679
Hyrcani semivivos vulturib. & canibus objiciunt 676

I.

Ιαλεμὸς 152
Ιαλεμωδὴ 153
Ιαλέμα ψυχροπότης 153
Iberi parvulos desperatos ostiatim circumferebant 102
Iberi mortuos vulturibus objiciunt 677
Ιηλεμίζειν 152
Ιηλεμισμὸς 153
Ilicet 373
Imagines damnatorum fractæ 163
Imagines in funeribus prælatæ 159 quæ & quæ nō 161
Imagines consecratorum in magna veneratione habita 652
Imperatores in urbe sepulti 293
Imperatoribus incumbit cura sepeliendorum militum in bello cæsorum 686. & quare 690
Incantatores mortuos mutilabant 406
Indorum fœmina cum viris mortuis comburi optabant 333
Indi vulturib. objiciunt mor-

tues 678
Inducijs factis cæsorum corpora ad sepulturam postulata 691
Inferiæ unde dictæ 552
constabant liquoribus & victimis 553
Infantes non combusti sed humati 16
Inferendi jus impetrandum ab aliis, si quis proprium monumentum non haberet 431
Inferre in sepulcrum alienum nefas 492
Inscribendorum sepulcrorum mos 461
Inscriptionum formulæ solennes 463
Inscriptiones cavebant interdum de personis quæ inferri debebant, & quæ non 422
Inscriptiones continebant defuncti nomen 464 parentes, patriam & familiam 465 elogia & res gestas 468 spatium vitæ 471 conjugii annos 473 mortis causam 476 testamenta & legata, &c. 478
Inscriptiones concipiebantur vel prosa oratione vel versu 462
Insignia magistratus in luctu posita 229
Iohan. Duns Scotus ecstasi correptus effertur 117
Ire exsequias 182
Ismenia judicium de Siticinibus 146
Iter ad sepulcrum 492
Iudæi ungebant mortuos 58
Iudæi extra urbem sepeliebant mortuos 263
Iudæorum sacerdotibus non licebat ad mortuos accedere 272
Iudæi observabant discrimen locorum sepulcro destinatorum 299
Iudæi aromata super lectos Regum comburebant 348
Iuramenta per nomina consecratorum sanctissima 665
Iustitium indici solitum in luctu 623

L.

Lacedæmonij in purpura efferebant mortuos 82
Lacedæmoniorum virgines aperta facie, nupta velata in funus prodibant 228
Lacedæmonij in urbe sepeliebant mortuos 306
Lacedemonij parcius utebantur inscriptionibus monumentorum 461
Lacertos lacerabant in luctu 192
Lacryma funus prosequentium 191

Lacrymas commodare alteri 571
Latus, Latura *pro feretro* 173
Lacte inferis libatum 566
Lactuca in cœna funebri 592
Laqueo qui vitam finierunt non sepulti 728
Laudata funera pro rostris 244
Lausus 151
Lata omnia vitata in luctu 625
Lectica elati mortui honestiores 175
Lectica à quot hominib. portata 178
Lectica hæ interdum erant apertæ interdũ tectæ 179
Lecticarij Ecclesiæ Constantinopolitanæ 171
Lecti plures uni mortuo prælati 159
Lectus, quo mortuus efferebatur, floribus & coronis sparsus 88
Leones studiosi sepulturæ 667
Lessus 151
Lens in cœna funebri 593
Lex Solonis de matutinæ funerum elatione 123
Lex Iuliani contra diurnas elationes 127
Lex Severi contra creditores, qui debitoribus suis sepulturam denegant 120
Libitina *quid?* 68
Libitina funerum Dea ibid.
in Libitinæ ærarium mortuo aliquo nummus conijciebatur ex instituto Servij Tullij 70
in Libitinæ templo τὰ πρὸς ταφας *venalia & quare* 69
Libitinarij homines viles 73
Libitinarij numerum morientium observabant 71
Libitinensis porta quæ 262
Liberti novi funebrem lectum domini sui præcedebant 157
Libum in cœna funebri 593
Lictores in fascibus præcedebant lectum mortui 165
Locrenses luctu abstinebant 610
Loca sepulcrorum privata in hortis vel agris propter vias publicas 237
Loca publica sepulcrorum duum generum 287
Loculus 441
Loculis conditi in sepulcra subterranea collocabantur mortui. 441
Longobardi perticas statuebant in sepulcris 536
Lotio mortuorum 52
Lucernæ in sepulcris 572
Luctus legitimum tempus apud

pud Iudæos 613
Lacedemonios & Romanos. 614
Luctus muliebris tempus annum & quare 616
Luctu quæ gentes abstinuerint 61
Luctus ob quas causas minui solitus 628
Luctus amat inusitata 225
Ludi in funeribus Indicti vis 600
Ludorum funebrium origo 596
Ludi ex testamento dati in funeribus privatorum 602
Ludi in funeribus mulierum 603
Ludorum funebrium spectatores sedebāt penulati 606
ob Ludos Iovis Opt. Max. luctus minuebantur publicè 630
Ludij & Mimi funeribus adhibiti 156
Lugubria coloris nigri 232
Lugubria sumere, ponere, induere, exuere 232
Luscinia tumulus 712
Lustrabantur aqua redeuntes à funere 376
Lydia harmonia lugubris 145

M.

Majestatis læsarei non sepulti 714
Magi cremabant mortuos 13
Magi Persarum humabant mortuos à feris laniatos 679
Massagetæ senes cadunt & comedunt 672
Massilienſibus publica funera usitata 34
Massil. duo genera feretrorum habebant 177
Massil. luctu abstinebāt 610
Massilienses ἀνωχελίαν probarunt 730
Manus abscissa homicidij sui 734
Matutino tempore elati mortui 123
ob Megalensia luctus minutus 630
Melle conditi mortui 63
Memoria 387
Mensæ in sepulcris 558
Meretrices stabant in sepulcris 491
Messeniorum mulieres non prodibant in funus 188
Metia porta quæ 290
Milites ad tubam elati 139
Monumentum 387. vide sepulcrum
Mortualia pro vestibus lugubribus 231
Mortui in honestissima veste elati 80
Mortuis collocatis pueri muscas abigebant, vel ventulum faciebant 98
Mortuorum vita redditorum exem-

exempla 104
Mortui à quibus gentibus devorentur 669
de Mortuis sive in urbe sive extra urbem sepeliendis lex Leonis Imp. 260
Mortuos in urbe sepelire quando licuerit 260 & 307
Mortuum sepulcro illatum nefas contrectare 496
mutilare 496 spoliare 501
transferre 511
Mortuorum animæ ab inferis evocari credita 499
Mortuorum translatio 511
Mulæ monumentum 708
Mulieres lavabant mortuos 67
Mulieres funereæ ibid.
Muliebres vestes induere turpe habitum 225
Munera 338
Munera in rogũ conjecta 338
Murana sepulta à quo 712
Myrrhæ usus in condiendis mortuis 64
Myrrha in rogũ conjecta 345
Myrto sepulcra sparsa 566
Mysi funebribus pompis adhibiti ad luctum ciendum 150

N.

Nardus in rogũ conjectus 345
Nasamones busta frequentabant 500
Naufragi radebantur 212
Νεκροκορίνθια 454
Νεκρὸς ὑποσπονδοὺς δοῦναι. καὶ απολαμβάνειν de quibus dicatur 698
Nenia 149
Neniæ nugis plenæ 153
Nenia an vox Phrygia 150
Nenia ad tibiã cantata 149
Νηνυρίζεσθαι 150
Nigræ vestes in luctu usurpatæ 232
Nitri usus in conditura mortuorum 62
Noctu elata funera acerba & quare 121
Novemdialia quæ 554

O.

Obba quid 594
Oculi morientibus clausi, & à quibus 45. & quare 50
in rogũ positis reserati 321
Oculorum pupillæ morituris albescere solitæ 51
Odores in rogũ conjecti 344
Ollæ sepulcrales donatæ 286
etiam interdũ publicè 297
Ὀμφακίαι νεκροὶ 38
Οφθαλμοὺς καθαιρεῖν, συγκλείειν, συναρμοττειν 45
Orationum funebrium origo 245
Orationes funebres à quibus habitæ

habita 248. feminis quando decreta 251
Orationibus funebrib. historia vitiata 256
Orciniana sponda 175
Oscula data morientibus & quare 39. item mortuis & in rogum ponendis 43
Ossilegij ceremonia 352 & se.
Ossilegium 352
Ossa militia & peregrè mortuorum lecta & in patriam reportata 359
Ossa & cineres quomodo dignosci potuerint ab ossibus animalium 362
Ossa & cineres in urnas condebantur 366
Ossuaria 366
Ὀστοθήκαι 366
Ὀστοδοχεῖα Ibid.
Ova in cœnis funeb. 593

P.

Padai ægrotos cadunt & devorant 671
Pœones in aquam proijciebãt mortuos 679
Pagæ quid? 447
Panebi Libyæ populi regum capita inaurata suspendunt in templis 675
Panis in cœna funebri 593
Papyrus rogo adhibita 316
Parthi avib. & canibus obijciunt mortuos 679
Parentalia annua sacrificijs honorata 151
Pavone vehi fingebantur fœminæ consecratæ 644
Παραπεμπτὴν 182
Parentare atro die nefas 551
Parentalia quibus diebus celebrata 542
Pax sepultis 383
Pectora lacerabant in luctu 192
Pecunia cum mortuis recondita 503
Περιδρομὴ 326
Περίδειπνον 586
Περιδειπνήσαι ibid.
Persæ detestabantur cremationem 12
Persæ cera mortuos oblinunt 64
Persæ postremis temporibus mortuos feris obijciebant 678
Perduellibus sepultura denegata 715
Pheretrorum discrimen pro qualitate defunctorũ 175
Pheretrum 178
Phryges pompis funebribus adhibiti ad ciendum luctum 150
Phryges tibias funebres invenerunt 151
Picea indicium funestæ domus 110

Pica tubicinum sonos imitata 137
Pix rogo adhibita 316
Planctus in luctu 192
Polire agros 74
Polinceo. Polingo 74
Pollinctores mortuos ungebant 74
Pollinctor *pro ustore* Ibid.
Πολυάνδριον 432
Pontici populi devorant mortuos 671
Pontifici Max. an licitum intueri mortuos 268
Porca præcidanea Cereri mactata 549
Potho sepulcra sparsa 564
Præficæ 147
Præficæ neniã cantabãt 149
Præfica dicente, Ilicet, *domuitionem parabant* 373
Præficæ modum plangendi alijs dabant 194
Præcidaria *vel* Præcidanea porca 594
Prætexta mortuorum 81
Πριαμωθῆναι 215
Proditoribus sepultura denegata 719
Prolugere 622
προπέμπειν 182
Prosequi funus, qui soliti 184
Prosequi funus 182
προθέσις 95
Psalmi cantati in funeribus Christianorũ, & quare 154
Psalteriæ in funerib. Ibid.
Ψυχαγωγίας *religio* 361
Publico abstinere luctus signum 624
Publicum funus 31
Pueri muscas abigebant à collocato mortuo 98
Pulticula in cœnis funebrib. 694
Purpura mortuorum 82
in Purpura elati viri clari Lacedæmone 83
Purpuram in luctu gestare nefas 230
Puticulæ *vel* Puticuli 287
in Puticulis sepulti pauperes 287
Puticuli extra portam Exquilinam 288
Pyra 315 *vide* Rogus

Q.

Querelis onerabant Deos in luctu 198
Quies mortuorum 382
Quietem optabant mortuis 382

R.

Rasura virorũ lugubris 209
Rei capillũ submittebant 209
Religiosus locus quis 418
Reliquiæ quomodo condi solitæ 365
Requietorium 389
Reviviscentiũ exempla 104

Rhodio-

Rhodiorum mos de sarnifice 291
Ricinia 237
Rogus ex quibus lignis 316
in modum ara extruebatur 318
pingi solitus 317
cupresso circumdatus & quare 317
à quibus incensus 322
vino respergi solebat 350
modò altiores, modò humiliores 319
Rogos quàm propè alienas ædes extruere licitum 320
Rostis sparsa sepulcra 561
pro Rostris collocabantur funera 244

S.

Sacrilegis sepultura denegata 719
Sal in cœna funebri 593
Salus usus in conditura mortuorum 62
Saliari carmine cani insignis honor habitus 659
Salve & Vale *clamabant discessuri à funere* 376
Sacra aspectu contactuq; rei funestæ contaminabantur 267
Sandapila 176
Sandapelones 170
Sandapilarii *ibid.*
Sandapila elati homines viles & servi 176
Sandapila à quot hominib. portata 178
Sanguine parentatum inferis 556
Sarcophagus 391
Sacrificare funere pollutus nefas 270
Sacerdotia instituta consecratis 650
ob Saturnalia luctus minutus 630
Scurræ funeribus indictivis adhibiti 156
Scytha cum amicis mortuus sepelìri optabant 336
Scytha devorât mortuos 670
Scytha quidam suspendunt mortuos 680
Sella posita mortuis in theatro honoris gratia 609
Sedes *pro sepulcro* 390
Sepulcra avita 419
communia 418
familiaria 421
gentilia 419
gentilitia 419
hereditaria 418
patria 418
priva 417
singularia 417
Sepulcra à quibus extrui solita 395
ab heredibus extructa ultrò 409
ex testamento facta 403
modò humiliora, modò altiora

tiora extruebantur 443
hostium non sunt religiosa 488
lapidea 451
marmorea 453
testacea 452
sancta & sacra quo sensu dicta 481
solitudinis causa frequentata 490
coronis & floribus sparsa 560
sepiri solita 449
variis simulacris ornata 454
Sepulcra in agris 278
in domibus 258
in hortis 273
in montibus vel ad radices 447
in templis 300
in urbe quorū fuerint 306
in viis publicis 274
Sepulcra communia in subterraneis ædificiis conglomeratis 436
Sepulcra singularia olim in cavernis vel fossis 435
Sepulcra in certas partes dispertita 427
Sep. publica pauperum extra portam exquilinam 288
Sep. publica virorum illustrium in Campo Martio vel Exquilino 292
Sepulcra Spartanorum & Tarentinorum in urbe & quare 306
Sepulcra clarorum hominum videre gratum est 384
alienare nefas 494
demoliri nefas 488
in Sepulcra incidere omen inauspicatum 270
in Sepulcris erecta columnæ 447
ara 558
domuncula 447
mensa 558
statuæ 446
in Sepulcris liberti jubebantur morari 489
stabant meretrices 491
habitare dolo malo nefas 489
in Sepulcrum alienum inferre aliquem nefas 492
in Sepulcrum sumptus itemque modus interdum testamento definitus 408
interdum arbitrio heredis permissus 412
Sepulcri carmen 462
Sepulcri etymon 386
Sepulcri locus in alieno fundo emptus 281
etiam donatus 283
Sepulcri religio quando incipiat 483
quot modis violata 488
Sepulcri spacium definitum 482

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767782267/phys_0815
DFG

Sepulcri vox metaphoricè usurpata 392
Sepulcrorum amplitudo Athenis prohibita non Romæ 443
area communes 430
januæ 437
janitores 438
inscribendorum mos 462
sepimenta ex qua materia 449
Sepulcro eodem conditi amici 433
Sepulcri violati pœna sex 521
Sepultura duo genera Romanis & Græcis usitata 9
Sepulti ex are collatitio 26
Sepultura est juris gentium & prope divini 683
Sepultura est ex jure non scripto, sed omnibus scriptis certiore 686
Sepultura ratio in bellis habita 686
Sepulturæ honor quibus denegatus 714
Sequi funus 182
Servi ad rogum mactati 332
Sestertium 290
Sicyoniorum mos 265
Sidones mortuos comedunt, excepto capite quod inaurant 674
Sil. 570
Silitum 570
Silicernij etymon 570
Silicernium duplex 573
Silicernium 570
Simulacra gentium & urbium subactarum in funeribus prælata 164
Sine querela, offensa, &c. 474
Siticines 135
de Siticinibus Antigenida judicium 146
Smyrnæorum mos 264
Solium 442
Sonus gravis feralis 245
Σορέω 175
Σορὸς 176
Σοροπηγὸς 176
Sponda orciniana 177
Spartani in urbe sepeliebant mortuos, & quare 306
Spolia ab hostib. capta lecti mortui antelata 164
Stabula cadaverum 391
στρωτῆρες 192
Strava *Gothorum* 460
de Suo 411
de Sua pecunia 411
Suggrundarium 16
Supercilia rasa in luctu 216
Supra genua tollere 18
Supplicio affectorum cadavera sepulta 722
Suspendiosi *qui?* 726
Suspendiosi sepultura prohibiti 726
Συυεκφέρω 374

Syra-

Syracesanorum mos 265

T.

Tadio vita qui se exanimarunt, sepulti 730
Tarentini in urbe sepeliebant mortuos & quare 307
Τάφος 386
Τάφος ἔμψυχος 394
Taniarũ usus in sepulcris 566
Templa Deorum lapidata in luctu 199
Templa erecta cõsecratis 649
Templorum origo à sepulcris 308
In Teplis sepulti mortui 310
T. E. I. H. F. C. 404
Terram levem vel gravem mortuis precabantur 378
Terram ter injiciebant mortuis in via oblatis 483
Thesaurus orcivus 391
Thraces luctu abstinebãt 611
Thracum fœminæ cum viris comburi optabant 333
Thus in rogum conjiciebatur 345
Tibareni suspendebant mortuos è patibulo 680
Tibiæ an in omnibus funeribus 141
Tibicinum numerus à Decemviris definitus 141
Tibias funebres audire an Flamini Dialí licitũ 142
Tibiæ funebres latiores & longiores reliquis 143
Τιμὴν τῷ νέμειν 202
Titulus monumenti 462
Toga amicti mortui 78
Togæ anthracinæ 238
Tonsus lugubris fœminarum 204
Troglodita mortuos saxis operiunt 681
Τρύχος 80
ad Tubam elata funera 135
& quæ 139
Tubæ funebres latiores & longiores reliquis 143
Tumulus 391
Τυμβάδες 498
Τυμφωρύχοι 506
Tyrannis sepultura denegata 717

V.

Vale inclamabant discessuri à funere 376
Varsij in Aquitania reperta arca plumbea, in qua condita bracteola aurea cum mirabili inscriptione 504
Venire exsequias 182
Ventos optabant rogo incenso 321
Venefica in sepulcris crebrò versabantur 498
Vespillones 170
à Vespillonibus qui elati 169
Vestales in urbe sepultæ 301
Vestis atra luctus indiciũ 232
Vestiebantur mortui 77

Vestes funebres sibi & suis in vita solebant conficere 83
Vestes scindere in luctu 241
Vestes in rogum conjecta 339
Vestis in luctu mutata 250
in Vestibus albis elati mortui 79
sed non pauperes 79
Via publica sepulcris nobiles 277
in Vijs publ. sepulcra & quare 276
Victimis parentabant mortuis 556
Victoriæ signum erat, habere potestatem in cadavera peremptorum in acie 696
Viduus Deus extra urbem cultus 271
Vino rogus respersus 350
Vino inferis libatum 555
Virgines in funus cognati prodire solitæ 187
Viri in luctu comam nutriebant 207
ijdem interdum se radebant 209
apertis capitibus incedebant 228
cum Viris decem comburebatur una tantum mulier & quare 324
Vivi ad mortem splendidè se vestiebant 84
Vivi sepulcra sibi extruebãt, & quare 395
Vivus fecit 397
se Vivo fecit 398
Vltimæ voluntatis habita ratio in Funeribus 28
Vnctura mortuorum 54
Vnctura servilis 76
Vncti mortui ante exsequias & quare 58
Vngendi mos ab Aegyptijs 60
Vnguenta in rogum conjecta 344
Vnguenta sepulcris affusa 559
ob Vota luctus minuebatur 629
Vrna mortales 366
aurea 367
argentea, aenea, fictiles, marmorea 367
extra Vrbem sepulta funera 258
apud quas gentes 263
quare 266
in Vrbe sepulcra quorum fuerint 300
in Vrbe sepeliebant mortuos Spartani & Tarẽtini 306
Ustrina, Ustrinum 314

X.

Ξυρᾶν τὸν γένειον 212

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767782267/phys_0818
DFG

FUNUS PARASITICUM, SIVE L. BIBERII CVRCVLIONIS PARASITI, Mortualia.

Ad ritum prisci Funeris.

Autore

NICOLAO RIGALTIO.

LUBECÆ,

Sumptibus MARTINI JANOVII,

Anno M. DC. XXXVII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767782267/phys_0819
DFG

FUNUS
PARASITICUM,
SIVE
L. BIBERII
CYRCYLIONIS
PARASITI,
Mortualia.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767782267/phys_0820
DFG

FUNUS PARASITICUM SIVE CURCULIONIS PARASITI, Mortualia.

Ad ritum prisci Funeris.

ATLANTES, ut veterum scriptorum memoriæ narrant, placidâ & facili fruuntur quiete, nec insomnia vident, qualia reliqui mortales. Equidem apud eos esse nimis aliquando vellem, ita me noctornæ terrent imagines: ex earumq; rerum, quas vigilans egi aut cogitavi, reliquijs inhærentibus, iisq; permistis ac turbatis, mirabiles existunt species somniorum, adeoq;

Levi somna mens, sonorinas imagines
Adfatur, somno non umbrantur pupulæ.

Id ex mei corporis austeriore temperatura oriri Medici putant: atq; ita adfe-

ctos, ingeniosos, ac πολυφαντάστους esse gravissimi Philosophi adseverant. Itaq; jam ferè discussa noctis caligine, aureus ille totius orbis oculus, singula quæque paulatim ac sine sensu colore reddito distinguens, pulcerrimam nostris oculis varietatem proponebat, ecce in ipso crepusculi momento, personæ terribiles, sive larvæ sint, sive, ut Græci dicunt, μορμολυκεῖα, naturales diurni laboris inducias violare visæ. Item tumultum quasi circumstrepentium ungularum, sonitum etiam asperum dixisses ruditum, inaudivi.

—— ὦ πότνια χθὼν,
Μελανοπτερύγων μᾶτερ ὀνείρων
Ἀποπέμπομαι ἔννυχον ὄψιν.

Horror extemplò me pavidum invasit, & obtulere se mihi Lucius Apulejus & Lucianus, numerosa cincti monstrorum caterva. Ludebant autem, ut mihi tum videbatur, Harpasto, sive ludo cœlesti. Pilam scilicet.

—— ἕτερος ῥίπτασκε ποτὶ νέφεα σκιόεντα
Ἰδνωθεὶς ὀπίσω, ὁ δ' ἀπὸ χθονὸς ὑψόσ ἀερθεὶς,
Ῥηϊδίως μεθέλεσκε πάρος ποσὶν οὖδας ἱκέσθαι.

Atq; in eo ludo is demum Rex audiebat,

qui

qui pilam veluti de cœlo alteri præripiebat, qui nec rapere poterat, Asinus habebatur. Quæ quidem ludendi ratio huc ad nos usq; , puto , transiit. Res enim divinas, quæq; cœlum proximè attinent , plæriq; quasi pilas sparsivas habent , & vicariâ operâ dant , reddunt ; easq; qui subtilius arripit, is admodum quàm sollers , & egregiè cordatus existimatur , ceteri ignavi, stolidi, Asini deniq; censentur. Sed facilè & æquo animo Lucius meus Asini appellationem inter Asinos ferebat. Nam ut arquatis , quæ lurida non sunt , æquè ut lurida videntur,

Et contage suâ palloribus omnia pingunt,

Sic illis perfectis Asinis Lucius videbatur Asinus, quum tamen animo esset verè humano, ac pœne divino. Interea dum hæc mecum attentius considero , visus mihi philosophari Lucius ad hunc ferè modum.

Prò DI immortales ! Etiamne stolidum Asinorum pecus per terras grassatur, & humanam naturam, quam summus ille rerum opifex mentis altæ capacem , & cognatam sideribus fecerat , ignava præcordia deformant ? At enim primævæ beatitatis fructus , quasi perennî

possessione, & naturali potiùs quàm legitima successione, derivandus in posteros, si nec ipsi sese in vitium, sponte atq; exitium induissent, adeoq; in post futuros innumeram monstrorum turbam trajecissent. Nam ex inde corrupta natura nullis elegantioris vitæ fulta præsidijs, imò fœdæ mancipata inertiæ, tandem in Asininam indolem degeneravit. Atq; ut de olivæ nucleo exsurgit oleaster, ita & parentum nostrorum ætas, cùm jam veluti silvestriùs, à majoribus suis defeciſſet, tulit

Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Scio misertum humanæ miseriæ Prometheum, (& sanè is mihi magis quam Epimetheus arridet, ejusq; exemplo prudentia quadam & solertia vitam meam omnem rego) scio eum densissimam ignorantiæ caliginem artium fulgore illustrare voluisse. Nam, ut rumor est, in cœlum quondam admissus, igneum solis vigorem diligentiùs inspexit, eumq; ob mirabiles effectus recreandis Asininis hominibus usui sibi fore putavit. Ferulam igitur quam ad hos usus secum tulerat, admovit, ignemq; ipsa concepit ac celavit. Redijt postea Prometheus ad suos Asinos, & φιλανθρώπῳ τρόπῳ ferulam illis obje-

objecit: ut quo pacto γλυκύπικρα medentium pocula summas oras melle circumlita invalidis ægrotantium sensibus imponunt, interim tamen adflictam valetudinem restituunt, ita illi, simul ac ferulam, Asinorum delicium, adspexissent, avidè eam adpeterent, & simul igneo flore quem intus cluserat, languidos & ignavos spiritus excitaret. Sed inritus Prometheï conatus, nec ulterius ad speratum eventum potuit adspirare. Nam è vestigio conspectâ ferulâ, Asini, quasi satias eos cepisset, fastidire, & nauseare cœperũt: quomodo & ὀνος ἐν μύρῳ excandescit, & porcus margaritas rostro proterit. Ea re iratus Jupiter, & cœlestia dona tam nequiter abusa ægrè ferens, Prometheum diris exemplis, & ἀπανθρώπως πάγω, Caucaso adfigi jussit, bis pedes, bis brachia. Atq; etiamnum penderet, nisi eum à maxima mala cruce Hercules exemisset.

Pausam querelæ fecerat Lucius, quum ego, licet in ipsa somni nebula, confidentior paullò interpellans, Quisnam Deorum, inquam, aut hominum es? Quam rem oratum huc venisti. Ille cum murmure: Tuus sum Lucius, inquit, & fato nescio quo, sive dolo malo, ad Asinos divorteram.

teram. adsum tandem, atq; advenio Onocrene insulà, vel ipsi Herculi invisâ: quippe quæ est ultra Gades. Nec audiendus Pindarus qui, πὶ πόρσω εἶ σοφοῖς ἄβατον καὶ σόφοῖς, putat. Cum enim terrenum hunc orbem Hercules obiret, & quicquid hominum commodis nocivum erat, conficeret, aut certè porrò abigeret, infinitam vim Asinorum, quæ tum fortè succreverat, animadvertit omnia vastantem, ac veluti filicem felicibus agris innatam. Diu multumq; sudavit in subole nequam exstirpanda, sed frustra. Tentavit igitur si eiicere, atq; ad inculta & inhospita loca detrudere posset, nec malè id illi processit. Nam quicquid in orbe toto erat Asinorum, coegit, & in insulam, ex qua nihil aliud nisi χάος καὶ ζόφον, & immensos æquoris tractus prospicere licebat, relegavit: eamq; insulam ignobilem & sine nomine esse voluerat; scilicet, ut quasi cæcis immersi tenebris, enavigare unquam posse desperarent, & vicinorum consortio commercioq; carerent. Enimverò exorti tandem Curiones & mendaciorum loquacissimi Cosmographi, quibus cùm in iis locis venas auri argen-

argentiq; apparuisse renuntiatum esset, tanta fuit audentia, ut hominibus inde novi aliquid apportaturi, in Oceanum simul atque in insulam inquisiverint, viamque Asinis in has oras monstraverint. Hinc ignorantiæ, hinc stultitiæ, hinc desidiæ, hinc asininæ colluvionis facta divortia: hinc deniq; insulæ nomen inditum Onocrene.

Plura narraturum oppressit Lucianus, qui & ipse Asinus aliquando fuerat, imò etiam tum Asinis quoque favebat. Itaq; ut animo erat vario & versipelli, sophisticam enim, struendi ac destruendi artificem, callebat, multa in humanam curiositatem, Philosophico supercilio vultuq; , dicere visus est, & si rectè commemini, ejus hæc fuit oratio.

Sapienter & consideratè Jovem opt. max. feciſſe arbitror, quum in Scythicam rupem Prometheum damnavit, tum audaciæ puniendæ, tum ceterorum curiosæ libidini coercendæ. Iam enim curiositas humanæ genti familiare vitium erat, & liberior inquisitio animos hominum perpruriscentes immodestè titillabat. Unde primùm accuratiùs inspecta tellure, mi-

rari cœperunt tantam frugum vbertatem, florum varietatem, herbarum abstrusas & reconditas vires. universæ terræ mare superfusum & circumfluum. Hinc ubi Thaumantis singula perlustravit, indagatio nata initiorum, unde omnia sint orta, generata, concreta: Qua ratione mare terram undiq; allambendo, & per ejus planitiem veluti pedibus progrediendo, modò caput efficiat, inde in brachia digitosq; ad communem usum diffindatur. Quæsitum etiam quî fiat ut in ijs quæ terra producit, alia nunquam honorem deperdant, semperq; vernantia opes ostentent suas: alia, veluti mutuâ officij præstatione, invicem sibi succedant, alia rursus, ut homo rei suæ inimicus, postquam omnia sua semel bene præbuerint, nuda deinde & deposita prostent. Quæsitum cur ipsa tellus modo vallibus depressa subsidat, modo montibus gibbosa consurgat. Vesuvium ipsum arenas & flammarum globos eructantem, anxia cogitatione sollicitior Plinius quum incautè inspiceret, vapore sulphureo præfocatus concidit exanimis. Ventum jam ad ipsa magnæ Matris viscera, & effossa subinde metalla lucem adspexerant, quum tandem quotidianus usus contemtum peperit: & sordebat jam homini-

minibus terra, quum altiùs sese erigentes, cœlestia illa sidera considerarunt: & qua ratione Sol oriatur & occidat, multiplices illius effectus perscrutari voluerunt. Qua etiam ratione Luna, uti homo, sæpenumero immutetur. eaq; sola, DI boni! quam multiformi ambage torsit ingenia contemplantium. Sed & universam cœli machinam, homulli simiæ, temerario ausu, humano artificio construxerunt. Constat Archimedem sphæram vitream confeciſſe, quæ Solis annuos & Lunæ menstruos labores, astrorum præterea conversiones mirè exprimeret. Neq; hîc etiam humanæ cogitationi posita meta, imò itum ulteriùs, & tentata divinæ naturæ cognitio. Sic accidit, ut non nemo divina omnia humano & audaci animo metiens, supremam illam & dominatricem mentem, quia videre non est, esse neget:

—— & quam non invenit usquam,
Esse putet nusquam. ——

Atq; inde glisciente sciendi ardore, alius superstitiosa curiositate DIs omnia repleverat. eratq; jam Deorum numerus auctior quam hominum. Sed tanta copia & turba satietatem & fastidium cito attulit, & quod superstitiosè colebatur, malitiosè cœpit irrideri. Quin-

etiam

etiam vesana illa cupiditas eò processit audaciæ, ut Deorum numen nomenq; adrogare sibi voluerit. Quis enim non rideat luctuosam Empedoclis ambitionem? qui cùm suorum aliquando se surripuisset oculis, ardentem Ætnam insiluit, ut nullibi terrarum inventus, in Deorum abreptus concilium crederetur.

Alia multa Lucianus cum Asinis suis nequicquam loquebatur. Illi ridere aut rudere (nec enim qualitatem soni discriminare poteram) & risu sive ruditu horrendum nescio quid adclamare. Interea temporis catus Lucius meus, in cetera Asinorum turba & rutuba, notabat Asino Parasitico celebres exsequias parari. Rem totam, quâ fide ille acceptam mihi tradidit, eâdem publico reddam. non tamen sine mercede, nam aurea fabella est. Continuò igitur excitatus Lucius, hæsitabundum me, anxiâq; cogitatione sollicitum admonuit: Heu nescis! Olim ille piscem suum, hodie verò Heliogabulus Imperator Parasitum suum luget atratus. Quis iste, malùm, Parasitus? inquam. Subjecit Lucius: L. Biberius, M. F. Curculio, nova scitamenta Aurelio Antonino Heliogabalo opi-

parè

parè concinnabat, ideoque summus ejus Coëpulonus audiebat. Ego adducta fonte contractoque vultu: Nempe mali seculi mala cupiditas hæc tropica fecit.

—— οὐ γὰρ ἔτ' ἄνδρες ἐπ' ἔργοις, ὡς πάρος, ἐσθλοῖς
Αἰνεῖσθαι σπεύδοντι ——

Scio, inquit Lucius, sed inter istos mussare tutius quàm muttire. Age verò, vides indictivum istud funus? O capitulum inficetum, inquam ego, An quenquam inlustrem virum tam flagranti desiderio celebraret? Iterum mihi ridenti Lucius: Tace tacesis, adhibuit Heliogabalus μετωποσκόπους: Et circumspiciens ne quis nostra auribus verba cleperet, Vidésne hác laurum, inquit, (ea erat in proximo) Festucam decerpito, & folia si sapis admordeto. Prudentis, est animum suum, ubi usus venit, oris confusione posse inumbrare. Simul ipse, ramo ex arbore defracto, prensum me renitentem, lenta manu in forum Cupedinis, ubi L. Biberij ædes, ducit. Quum aliquantulum processissemus, ne essem nescius quid ille nebulo testamento cavisset, totum in aurem meam his ferè verbis insusurravit.

Ego

Ego L. Biberius Curculio, D. Aurelij Antonini Heliogabali adsecula, quum mihi angina vinaria reciprocam spiritûs auram, atq; adeo vocem occluderet, Testamentum meum quantum pote examussim condidi scribsique. Si quid tamen inibi admissum omissumq; obrepserit, Codicilli vicem subire volo sive jubeo. Postquam mortem aptus ero, meamq; animulam agnatus meus M. Lurconius Musca ore suo legerit, tu colenda mihi semper & culta congerronum meorum familia ex semisse heres esto, ea tamen lege, uti accuratè caveatur, ne quid nomini vestro profuturum diu lateat. Ea re, uti familia nostra tres in ordines dispernatur, mando: quos ordines ita indigetare lubet, Gelasimos, Lacones, Laudicenos. Ac singuli è quoque ordine principes legantur, fiantq; tresviri, penes quos summa rerum vestrarum sit; qui discaveant ne quis officio suo desit supersitve: ipsique etiam D. Aurelio delicias perpetuò faciant dicantq;. Hoc amplius. Agnatum meum M. Lurconium Muscam, qui solus omnibus propinquis meis superfuit, mihi etiam superfuturus, ex parte reliqua heredem esse volo, si suprema erga me munera fungatur arbitratu D. Aurelij Antonini. Saturioni liberto, ex fun-

fundis meis, ad mearum reliquiarum tutelam, do lego agri jugera XX. Columellam meum Damam, item Leonidam, Libanum, strobilum, Crucisalum, & Argyrippum, liberos esse volo. Hoc amplius. Argyrippo propter festivitatis vernulæ elegantiam, vestes meas omnes, speculum, calamistrum, dentifricium, ac pulveris Arabici uncias decem, quis pridianas converrat reliquias, ut festivior appareat, dari donari jubeo. Elaphio fugitivo, hoc Testamenti mei kaput, in morem epigrammatis stigmate per totam faciem ducatur: L. Biberius Curculio, Elaphio clavom in morte dimitto. restim induito. ejusq; clavi appendix esto. Si quid manes sentiunt, rogo vos, amici mei, hæc omnia ita servetis, uti quum scriberem affuistis, savistis, obsignavistis.

L. Sorbilius Venter, signavit.
Sp. Trachelius Cancer, signavit.
M. Edacius Peniculus, signavit.
M. Obsonius Mus, signavit.
C. Macrobius Labrax, signavit.
L. Volturius Capito, signavit.
M. Gnathonius Cynicus, signavit.

Ventum in forum Cupedinis erat; & jam ædes Biberij propiùs à nobis aberant, ut

ut prospiceremus funebri signo destitutas ante januam ferales Ditis arbores. Videmus intrantes plusculos, pullis vestibus, sed prætextu tantum adsumptis, atratos; lacrymæ illis quasi in summo pectore supernatantes, in imò verò cordis penetrali gaudium gaudebant genuinum atq; intimum. Ego conversus ad Lucium, dic sodes, inquam, Quinam isti, & quò? Ille locum ab arbitris observans, Particulones, inquit & Volturij ad cadaver. nempe mortui fortunas habebant. Nos quoq; paulò post accessimus, intravimus, vidimus è funesta familia medicum ré infecta discedentem. Lurconem alioquin & κορυφαῖον, nobilem virum ac primarium crederes, ita funebris pompa struebatur. Nec enim Vispillones aut Sandapilarios, sed & Libitinarios, Pollinctores, Lecticarios locaverant. Quumque jam animam L. Biberius, quam pro sale habuerat, fœdo & obsceno vomitu eructasset, putiscebat fœtidum cadaver. Æmilium Catulli diceres è sterquilinio effossum, adeo domus extremo olore & anhelitu replebatur,

Gutture sulfureas lentè exhalante Mephites.

Acce-

Accedunt Pollinctores, corpus aqua perspergunt, quam olim, dum vivebat, non senserat, adeoque insolita elementi aspergine exsangue cadaver non nihil commotum videbatur. Dein odoro unguentorum suffitu nasorum pestem interficiunt, simul & honori cadaveris, cinnamomum, thus, casiamq; acervatim congerunt, totumque Biberium, medicatis condimentis circumlitum, in hexaphoro purpureis vestibus constrato, repositum, & floribus coronatum, solita collocatione, pedibus in publicum versis, ad vestibulum ædium rite admovent. Ac tandem dum cætera exequiarum parantur solennia, jubetur præco populum ciere; qui actutum succinctus contenta voce quiritabat: EXEQUIAS L. BIBERIO M. F. CURCULIONI, QUIBUS EST COMMODUM IRE, IAM TEMPUS EST. OLLUS EX ÆDIBUS EFFERTUR. Derepente audita præconis voce convolant in Biberij domum frequentes. Adest Dissignator: jubet præcedere expressas cera majorum purpuratas imagines. & sanè longo illæ ordine incedebant. Itaque erectior ego, ipsos cerarum apices in-

dicesq; percurrens, animadverti nomina; M. Coquinij Trullæ, Q. Popinij Lurconis, C. Avidij Incitegæ, Q. Bilbitij Profundi, L. Abdominij Dentati, T. Placentarij Carpi. Et continuò ad Lucium, Eugepæ! adeóne nobilis hujus familiæ vena? & tam numerosos proceres, ac longa decora præferentes produxit viros? Mihi Lucius subridens. Fuge suspicari: Simios purpuratos vides, non viros. Scurras enim, homines emtos de lapide, induebat Imp. Scipionum persona. quos si penitiùs inspexisses, aliud nihil, nisi clunas in purpura, deprehendisses, Ἐ πίθηκος ὁ πίθηκος, κἂν χρύσεα ἔχῃ σύμβολα. Rubori mihi fuit Purpuram impunè violari. Et mecum erat fortè musteus Poëta, qui eam in delicijs habebat, ac pleniore ore non ineptissimis versibus elaudabat:

Purpura Pieria non est reticenda corona,
Quando sacri Pater ipse chori, qui lampade clara
Purpureos dat purpureis de sedibus ignes,
Pectora purpureo fulget velatus amictu.
Et qua plena rosis venturi nuntia Phœbi
Tecta aperit, dubio dispellens lumine noctem,
Purpureus cubat ante fores Aurora, Poëtus
Inq; sacros mentem & cœlestia semina rorat.
Est etiam annorum latè revolubilis ordo
Purpureus. Nam vere novo, Zephyroq; secundo,

Pur-

Purpureis variæ vernantia floribus Horæ
Et tessellatâ distingunt prata nitelâ.
Sic Canis æstivi sidus dum rura perurit,
Florida maturos ostendit Purpura fructus,
Pomaq; Purpureo fulgent variata colore;
Et qui Poma legit, non qua Venus aurea légit,
Ridet Purpureo felix Autumnus Lacchо.
Et si tristis Hiems latos vastaverit agros,
Tum nive purpureâ fulget tamen obruta tellus.
Cærulea regnator aqua, qui sæva tridente
AEquora compescit, bipedes si forte timendus
Egit equos, adversa vocans in prælia ventos,
Ebullit, glaucas & turbine Purpurat undas.
Sacra cohors Veneris, Charites, Risusq; Iocusq;
Purpureis hilares rosea sub fronte labellis.
Totaq; Purpurea est ridens Ericyna: Rosamq;
Dum fortasse legit, nec sat sibi provida, molles
Fertq; refertq; manus, eduxit spina cruorem
Vix summâ tremulum delibans cuspide corpus:
Erubuit lasisse Deam Rosa, moxq; colorem
Sumsit Purpureum, tanta sibi conscia culpæ.
Hinc etiam sua fata gemens Venus alma, protervum
Verbere sæva nimis roseo dum cœdit Amorem,
Purpureum rursus cepit Rosa dibapha fucum.
Purpureus niveæ splendet cervice Cupido:
Purpureas gerit ille faces, & plurima torquet
Spicula, Purpureo jamdudum tincta cruore.
Et Regina Paphi curru sublimis eburno,
Ardua Purpureis vehitur super æthera cycnis.
Imò & Purpurea clauduntur lumina morte,
Et Majâ genitus, nulli qui fata recludit,
Purpureas animas virga compellit in Orcum.
Pelle ferox rigida Alcides clavaq; superbus
Errabat, scopulos & inhospita littora lustrans,
Num fera fulmineo sæviret bellua dente,

Aut mala letiferi vibrarent ſpicula flatus,
Forte canis Tyrio raptam de littore concham
Eliſit, tenuemq; ſubeſt cui Purpura venam,
Olli Purpureo maduerunt labra colore,
Et color Alciden tenuit, namq; igneus atro
Flore micans, dici poterat tinxiſſe viriles
Heroum Divúmq; animas, & maſcula corda.
Hinc ſibi Purpureum fecit thoraca, furente
Prœlia Marte ciens, oculos ut flammeus horror
Terreret, fulgor pavidas & pelleret umbras.
Nec ſine purpureâ puerorum candidus umbo
Maieſtate fuit, quia prætextata pudore
Facta decent pueros, ut verba innupta puellas.
Purpurei Reges, & lato Purpura clavo
Cingebat gemino Patres ſplendore verendos.
Inque triumphali radiabat plurimus auro
Purpureus tenui textus ſub tegmine pannus.
Splendida felices exornat Purpura chartas:
Illa jocos, riſuſq;, ſales, & carmina velat,
Verbaq; jam madidus qua ſcripſit vernula vates.
Indice Purpureo libri frons lata reſulget,
Auctoremq; operis tituli rubrica tuetur.

Phœbum hîc toto pectore Poëta concutiebat, & juſto dolori meo, ſimul & iræ ſuæ vehementiùs indulgere mihi videbatur. nam Aſinos maledicere verſibus aſperis cogitabat. Repreſſi furentis impetum; Et, Poëta, inquam, parum tutus inter Aſinos iſtos ambulas. Videne te funeri ſuo inferias mittant. Eumolpum te eſſe puta & tace. Dum hæc moneo, pergit porro pompa funebris; & Præfica muliercula quædam

demiſ-

demissis antijs, ac fluitantibus capronis, miserabiles querelas femineo ululatu iterabat. Item monumentarij ceraulæ ferali tibia mœstissima suspiria concinebant. Et jam producitur ipse Biberius, qui lectica hexaphoro Romanorum è nupero fœtu civium subnixis cervicibus ferebatur. Ipsa deniq; plebes centuriatim candelis, funalibus, ac facibus undiq; collucentibus exsequias capitibus casantibus sequebatur. Et nos quoque turbæ adjungimur extremum fabulæ actum spectaturi. Deducitur funus in forum, eò loci video paratum nescio quem è Laconum familia, cujus in capite oculi locus apparebat, qui L. Biberium Curculionem corã Imp. pro rostris & concione laudaret. Ego frontem hominis miratus, rogavi Lucium, Quodnam oratori nomen? Parasitus est, inquit, L. Volturius Capito. veredurus capito. nam multæ olim in ejus caput quassæ aulæ, & solus oculus ereptus. Id enim est parasiticæ disciplinæ, ac

—— nisi qui colaphos perpeti
Potis parasitus, frangiq; aulas in caput,
Vel extra portam ire Trigeminam ad sacrum licet.

Interea dum hæc intra meipsum volvo, noster orator ad dicentium morem compositus, perparum quidem, nec id sine mendacio, in demortui laudem dixit, sed logis ridiculis Principis auribus fecit insidias. Silentium igitur orat, & Asinis aliquantisper quiescentibus, infit.

Multa mecum cogitanti, Quirites, & accuratiùs singula humanæ vitæ munia disquirenti, auro contra æstimandi videntur ij, qui postHabitis artibus ceteris ancillaribus, Parasiticæ scientiæ studuerunt, operamq; suam Principibus utendam præbuerunt. Et quidem certè quando omnia nostra beneficio Principis retinemus, quando ille patriam, libertatem, vitam mortemq; juxta in acie linguæ portat, annè iniquum videbitur ejus commodis studere, ejus ubiq; nutibus obedire? Is fuit L. Biberius Curculio. Sed eum, proh dolor! nobis invitis fati violenta series eripuit. Vixit, dum vixit, Principi abundè festivus, nobis carissimus, posteris æternum colendus ac desiderandus. Sciebat, homines, licet in artes vitasq; varias dispalati sint, non sibi, sed vicinæ sideribus majestati natos esse. Vt enim supera omnia Deorum immortalium voluntati prona sunt; ita infimam istam terrarum molem im-

peratoris arbitratu regi & gubernari decet. DI sibi cœlorũ subices substraverunt: nostro Principi terras, Principem nostrũ terris reliquerunt. Imò & eundem, postquam servus in cœlum redierit, cœlesti nectare ambrosiaq́, & Deorum cibo participabant. Vive tu Augustissime Princeps. Macte ter maxime Imperator. Salva Roma, si tu semper salvus. Et si qui austeri horridiq́, Lucumones, sacratissimæ majestatis jura violare cogitent, eos de podio, ut obscœnas infestasq́, volucres, sagittis transverbera: aut, si mavis, angineum istud genus, quod præpotentis tuæ virtutis vires viperino morsu vellicare & sugillare audet, clava cruribus supernatis, terræ audacter applode, tuoq́, & spectantis populi genio ita litabit. His gradibus viam in cœlum adfectavit Hercules. His artibus majores tui, quos factis & virtute longè superas, DI facti sunt. Et vos ite, Quirites, securi vivite. & L. Biberio, quem olim amavit imperator, suprema ferte munera, ejusq́, reliquias sperata in sede reponite atq́, condite.

Consumpta hac oratione, quumq́; Heliogabalum parasiticis adsentatiunculis ita ductasset Capito. Imperator parasito suo pyram ingentem construi jussit; imò ipse cum

cum ceteris Asinis, amicissimi sui justa est exsecutus. sed enim adfectata mollicie, testudineo gradu pedetentim progrediebatur; ideoque morbo aliquo præpediri ac distringi suspicabar. Et continuò prehendens Lucium, Euge, inquam, ut valet ille? aut enim incessum mentitur, aut lente admodum gradus suos metitur. Risit Lucius curiosulam meam quæstionem, Et, Asinus, inquit, à se ipso tardigradus, laborat eo morbo quo Claudium Cæsarem adfectum fuisse nosti. exhausit hodie Onopordon, quod Asinis ajunt crebros excutere crepitus: eoq; pharmaco alvum suam, aut parat, aut purgat. Sanè quum ille propiùs ad nos accessisset, deprehendi strepitu obscœno simul atq; odore viam implentem, & si minus ore eloquentem, aut certè inferiore gutture valde loquentem. Tunc itaq; mirari desij, cur omnes sponte illi de via decederent. Nam ut Romanis mulieribus unio, sic Heliogabalo crepitus pro lictore apparebat. Imò nec Dictatorij fasces tam placidè turbam submovissent. Risit iterum Lucius: at nostrum interea *fœtida anima nasum oppugnat*. Pervênit Imperator,

to-

totumque cum eo funus, atq; adeo ingens multitudo, in campum Martium. Illius jussu Doctores & Lanistæ paria quattuor & viginti gladiatorum lectissima præbuerunt. Interim alij pyram arduam, evinctam cupresso ædificant, lectulum, ipsumque cadaver pro more ornatum, quibus id muneris incumbebat, rogo imponunt: impositio clamaverunt omnes, VALE, VALE, VALE, NOS TE ORDINE QUO GULA AUT VENTER IUSSERIT, CUNCTI SEQUEMUR. Statim accensa face, M. Lurconius Musca aversus flammas subjiciens rogum incendit. Commodum ignem pyra conceperat, ecce solitâ sequioris sexus flendi facilitate, pectus suum ad luctus iritans Præfica, dum quisque certatim in rogum dona cumulat, & partim trullas, cantharos, lances, alij struices patinarias, cyathos, ciboria, coquinaria omnia flammæ committunt, ferale istud carmen pronuntiavit.

Abiit L. Biberius Curculio, Antonini delicium, quo cum sapissimè ludendo dies integros comburebat condebatq;. Abiit parasitus lepidus, elegans, facetus. Scalas conscendere, Ca-

paneus: plagas concoquere, Incus: vesci thymo, oleribus, Eruca: cœli injurias pati, Merula: sole fervido linguâ prodigâ & infreni garriendo cantillare, Cicada: nudis pedibus matutinis horis inambulare, Grus: ne pauxillulum dormire, Vespertilio: pugnitùs occallari, Massa candens: ferire. Fulmen: occœcare, Fulgetrum: inaccessa evadere, Ventus: cœnare absq; vocatione, Musca. Abijt pallidulus, frigidulus, vagulus, ad Orci templa horridula, nec ultrà, ut solebat, dabit jocos:

Finierat lugubrem cantionem Præfica, adfuit Threcum Myrmillonumque manus valentissima, quæ L. Biberij manibus, volente Imperatore, dedit inferias. Ac dum bustuarij gladiatores mutuis sese conficiunt vulneribus, collabenti jam cineri parentantes, extrui jussit silicernium Heliogabalus suis parasitis. Omnes illico advolant invocati: nec tergiversantur, accumbunt. Heliogabalus interior in medio, qui tamen jam erat ventre bellulè suffarcinato, super eum M. Lurconius Musca, in summo L. Volturius Capito, ceterique deinceps. Sed adposita cœna invisa priùs & inaudita. Pro gustatione & promulside, inferri

ferri voluit lactucas olivaſq; , ſed Samias. quæ tamen minimè ad guſtum Agathoclis: nam præter nomen, cetera lactucis abſimiles. Cœna ipſa capiebat patinam ſuminis, lepores, querquedulas, anates, Aſinum integrum inſtar Apri aut Bovis, quamplurima alia quæ ab ingenioſo & docto gulæ artifice curata videbantur. Verùm & patinæ, & cibi ipſi, ſolido ex auro, nec dentes, nec ferrum recipiebant. Menſa deniq; pomorum allata eſt, in quâ bellaria lignea affabrè ſculpta, quæ provocare eſuriginem poſſe putabantur: verùm aſpera ſignis omnia: nec, etſi calceatis dentibus veniſſes, hilum profeciſſes. Ac quod minimè prætereundum fuit, haudquaquam illi *florem anclabant Liberi ex carcheſijs*, ſed è pleno ænoforo ſardois herbis expreſſus liquor, mandragorâ medicatus, affundebatur. Et Paraſiti noſtri, belli homines, inter haſce lautitias, funus ſilicernio facere nequiverunt, ventriſq; eſuritoris inanias minimè repleverunt. Ridere quidem cogebantur, at crudeles in utero experiebantur vermina-tiones. Et jam in uſtrina deficiente rogo legendi cineres, vino ut matre natum erat, per-

perſperſos, urnâ aureâ tegeret. Juſſit præterea in foro Cupedinis, marmoreum cum cippo uſque ad H. S. centum extrui ſepulcrum, inque ipſum mormor litteris aureis quadratis, ſub perſona Biberij, incidi monumentum iſtud.

DIONYSO SAC.

HOC. AGITE. SULTIS. VIATORES. QUI. VOS. HOMINES. ESSE. NOSTIS. QUÆ. HOMINI. HUMANITUS. CONTIGERUNT. HUMANITER. SPECTATE. SI. NEC. VULTIS. FACESSITE. LAUDIS. RUMOREM. SEMPER. PARVIFECI. QVOD. RUMEN. IMPLERET. VOLVI. VAH. SOLENS. MORE. MEO. FECI. DIXI. MENDACIUM. NAM. NUNQUAM. UT. VOLVI. RUMEN. IMPLEVI. ET. NUNC. QUOQUE. SI. ME. VOCAS. I. PRÆ. INANIS. UMBRA. SUM. SEQUAR. RIDETIS? SUMMA. INGENIA. IN. OCCULTO. LATENT.

TENT. EA. VOS. FLORE. VINI.
EDENTULI. FORAS. PROLICI-
TE. PLUSCULA. JAM. AUDIVI-
STIS. NON. TAMEN. QUOD. CA-
PUT. EST. QUODQUE. MAXI-
ME. SCIRI. OPORTUIT. PRO-
INDE. AUDITE. VELSI. MA-
VULTIS. SEPULCRUM. HOC.
ADITE. HEM. QVID. EXCIDIT.
MENTIUNTUR. QVI. VERITA-
TEM. IN. VINO. ESSE. ADSEVE-
RANT. NAM. QUI. FIERI. PO-
TEST. UT. ME. ELINGUEM.
LOCA. SOLA. ET. NUDA. GI-
GNENTIUM. INCOLENTEM.
AUDIATIS? NEGANT. MEDICI.
SINE. LINGUA. ORE. DENTI-
BUS. ALIQUEM. LOQUI. POS-
SE. LEGITE. IGITUR. QUI.
LITERAS. SCITIS. H. C. S. CINE-
RES. L. BIBERII. CURCULIO-
NIS. PARASITI. FESTIVISSIMI.
QUI. AURELIUM. ANTONI-
NUM. HELIOGABALUM. AMOE-
NITATE. AMOENA. ONERA-
VIT. SINGULIS. SUPPARASI-
TA.

TATUS. EST. ET. DUM. QUEMQUE. TANGIT. VRBANATIM. EUM. NIGRA. DIVA. TETIGIT. RUSTICATIM. ATQUE. HOC. TANDEM. NE. ERRETIS. VERISSIME. SVM. VOBIS. ELOQVVTUS. B. F. VERBA. HÆC. MEA. UT. SERVETIS. POSTUMA. QUI. CUPEDIARUM. ALIQUID. EX. FORO. PRÆSTINATURUS. VENERIS. DOMUM. NE. REPETITO. QUIN. PRIUS. FALERNO. INFERIO. MANIBUS. MEIS. FECERIS. FAXO. EGO. UT. TE. SEMPER. AMBIAT. RISUS. LUDUS. JOCUSQUE. ET. OMNIA. HUMANA. SUSQUE. DEQUE. HABEAS. SIREMPSE. LEGEM. MULIERIBUS. ESSE. VOLO. QUÆ. SUNT. MULTILOQUÆ. MULTIBIBÆ. MEROBIBÆ. SIN. SECUS. VENEREM. FACIAM. EAS. UT. FACIAT. ITA. DARE. UT. NIHIL. SUPRA. HAVE. VIATOR. NEC. MORARE. NON. MORABOR. ULTRA.

H. M. H. N. S.

Collectis conditisq; cineribus, & cunctis solenni more peractis, pronuntiavit Præfica, ILICET. Paravit quisq; domuitionem. Hærebat autem Lucius, & Asinos Suos abeuntes, oculis sequebatur. Tandemq; ad me conversus, DI boni, inquit. quales hîc Asinos reperi! & meminime esse aliquando Asinum: sed quamvis essem Asinus, sensum tamen retinebam humanum: at verò isti corpore humano, asininum vehunt animum. Atque hîc Lucio monendi, mihi notandi FINIS.

N. R. P. Scribebam Augustoriti Pictonum Liberalibus A. S.
cIↃ. IↃ. XCVI.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767782267/phys_0852
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767782267/phys_0854
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767782267/phys_0855
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767782267/phys_0856
DFG

minibus terra, quum altiùs sese
lestia illa sidera considerarunt:
ne Sol oriatur & occidat, multi
fectus perscrutari voluerunt.
tione Luna, uti homo, sæpen
tur. eaq; sola, DI boni! quam
bage torsit ingenia contemplan
universam cæli machinam, ho
merario ausu, humano artificio
Constat Archimedem sphæram
cisse, quæ Solis annuos & Luna
bores, astrorum præterea conver
primeret. Neq; hîc etiam hu
ni positæ metæ, imò itum ulter
divinæ naturæ cognitio. Sic ac
mo divina omnia humano &
metiens, supremam illam &
mentem, quia videre non est, es
—— & quam non inve
Esse putet nusquam. ——
Atq; inde glisscente sciendi a
perstitiosa curiositate DIs om
erat q; jam Deorum numerus a
minum. Sed tanta copia & t
& fastidium cito attulit, & q
colebatur, malitiosè cæpit ir

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767782267/phys_0857
DFG